UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Magni Servi Dei P. Julii Mancinelli Societatis Jesu

Cellesi, Jacopo

Oeniponti, 1677

urn:nbn:de:hbz:466:1-42734

Visual Library

Th. 2473.

K. IV. 24.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITA
MAGNI SERVI
DEI
P. JULII
MANCINELLI
SOCIETATIS
JESU
ITALICE SCRIPTA
à
P. JACOBO CELLESIO,
LATINE REDDITA
Societatis Jesu à Paderborna 1679
P. SIMONE MAIR,
Utroque ejusdem Societatis JESU
Sacerdote.

OENIPONTI
M. DC. LXXVII.

Excudebat
Carolus Benedictus Reisacher Universitatis Typographus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITA

MAGNI SERVI

DEI

P. JULII

MANCINELLI

SOCIETATIS

JESU

ITALICE SCRIPTA

a

P. JACOBO CELESIO,

LATINE REDDITA

a

P. SIMONE MAIR,

Utroque ejusdem Societatis JESU

Sacerdote.

OLISIPONTI

M. DC. LXXVII.

Excudebat

Comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vi-
num tuum, quia Deo placent opera tua. Eccl. 9.

P. IVLIVS MANCINELLVS È SOC.E IESV. CVIVS NOMEN PER TVRCAS CIRCVMTVLIT, ET IN EVCHARISTIA LATENTEM MIRA PIETATE COLVIT SPIRITV PROPHETICO CLARVS, ANNOS NATVS 81. MORITVR MIRACVLIS NOBILIS ANNO 1618. DIE 14. AVGVSTI NEAPOLI.

Sequetur Vita Oenip.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AD

SANCTISSIMVM D. N.

CLEMENTEM IX.

BEATISSIME PATER.

QVicunque condendis libris operam navant, iis prima ferè cura est, suo ut partui obstetricanrem inveniant manum, id est, Patronum seligant, cujus sub umbra, & protectione non minùs auctor, quàm liber tutus, securúsque ævum degant, quæ ipsis plerumque causa est, ut sæpè diu multúmque circumferant oculos, donec potentem, & qui imponere adversariis silentium possit, patronum inveniant Mihi hic multùm anxio esse non licet; statim enim tota animi propensione illuc ferebar, quò me pridem teneris propè ab annis cor meum animúsque inclinavere, videlicet ad Sanctitatem tuam, Beatissime Pater! Etenim jam dudum

id,quod ſum , & quod poſſum (quod ſentio , quàm mea ex parte tantillum ſit) quodcunque tamen eſt, tibi me debere , & debiturum libenter confiteor ; accedit Religio Inſtituti noſtri, quod tibi ſe totum ex aſſe & debet, & ſe tibi debere ultrò fatetur, & gaudet, ad eum modum , quo fructus eſt ejus , cujus eſt arbor,ex qua pendet,& cujus ſucco vivit. Iſthæc igitur vita Patris Julii Mancinelli , cujus prænomen Sanctitati Veſtræ in ſacro fonte eſt inditum, ut nihil in ea ſit , quod tibi non debeatur , ſicut abſque benigniſſimo radiorum tuorum influxu & auctoritate non potuit, ità gaudet non niſi ſub ejuſdem Sanctitatis tuæ fortunatiſſima luce lucem aſpicere ; orbis namque terrarum, ubi audiverit eam eſſe rem Beatitudinis tuæ , devoto & ſubmiſſo eam oculo & poplite adorabit , ſicut tuas plus quàm humanas adorat, & veneratur virtutes. Et verum niſi velimus diſſimulare, iis tam plena eſt hæc vita, ut non plurimùm differat ab ea , quam tanto cum orbis feſtivè acclamantis plauſu vivit ſanctitas tua , unde & hoc titulo planè tua eſt. Etenim hic ipſe generoſus rerum humanarum & mammonæ contemptus, iſthæc talis in munificentiſſimas eleemoſynas profuſio, illa continua , & nimium quantum admiranda pauperum menſarum miniſtratio cum ſubtractione frugalitatis tuæ, illa tam inſignis hoſpitalium domorum ſublevatio cum imminutione ſplendoris

tui,

tui, illa tenera & assidua templorum, erga Sanctos, & cultum divinum cura, illa popularis & amabilis in admittendis ad se omnibus etiam infimis palàm & privatim laudatissima humanitas quid aliud sunt quàm heroica impressa vestigia cùm Sanctitati inprimis vestræ, tum Patri Julio communia? nisi hoc cum inter utrumque discrimine, quòd illa religiosus requirebat status, conditio & professio, in summo autem Pontifice Christianus adspicit Mundus, imò cum admiratione commendat orbis terrarum. Libeat igitur, quod humillimè mecum rogat, atq; obsecrat Societas Jesu, ac tua hoc quodcunq; debitissimi obsequii genus illo benigno oculo, & animi semper placidi affectu & conspectu dignari, cujus jam nonnullum hucusq; delibandum expertus sum prægustum, & promulsidem, & ego nunquam divinam exorare clementiam ac bonitatem desistam, ut suam Beatitudinem ex alto semper placidissimo intueri aspectu in longissimum pergat ævum, cujus ad Beatissimos exosculandos pedes profundissimè prostratus admitti supplex oro.

S. V.

Humillimus Obsequentissimus, Devotissimus Subditus & Servus.

JACOBVS CELLESIVS, S. J.

DEVOTO LECTORI.

MVlti, qui vitas Sanctorum condidere, accusarunt eorum, qui unà cum illis vixere, socordiam, & incuriam in observandis & annotandis eorum illustrioribus, dignisque memoriâ actibus, qui propterea dilapsi cum non modico posterorum dispendio interciderunt. In conscribendâ hujus magni Servi Dei vitâ ego sanè conqueri minimè possum; quidquid enim in ea percensebo, fideliter ex ipso Patre Julio mutuatus sum, quo teste fideliorem, vel scientiorem, ac veriorem desiderare non possum. Habeo ego penes me rerum ab ipso gestarum & perpessarum apparatum, quem ipsemet & conscripsit, & ego agnovi ejus manum & characterem, fide juratâ & publicâ nobilis cujusdam & oculati testis assertum. Extant præterea plurimæ ab ipso exaratæ literæ, & multæ aliæ, quas nostri Patres, qui cum ipso vivebant, perscripserunt. Insuper varia Diaria de rebus, quæ ipsi quotidie contigerunt, bonam partem quidem alienâ concinnata manu, recognita tamen, & propriâ correcta manu. Denique & articuli Neapoli in causa Processûs de integritate Vitæ, Sanctitate, Virtute, miraculis Servi Dei in ordine ad Canonizationem, prout illic dicitur, à Dominis Tiberio Caraffa principe de Bisignano, & Domino Alexandro Miroballo Marchione de Bracilia-no adhoc in publica forma nomine Civitatum Neapolis, Capuæ, Palermi deputatis Procuratoribus. Ex hujusmodi Scripturis non solùm ejus Nobiliores, sed & minutissimas quasque actiones potui ego securè ob oculos ponere, ut adeò Lector meus in hac vita non secus certus esse possit de iis, quæ in eadem legentur, ac si iis gerendis coràm adfuisset, ac vidisset Patrem Julium viventem, ac singula patrantem, id quod in vitis Apostolorum desiderabat aureum os Constantinopolitanus Præsul; non possum tamen infitias ire, ejus modestiam, ac submissionis studium, dum vanitatis metu, à qua

sancti

ſancti viri mirum quantum abhorrent, nonnulla adjuncta tacet, quæ ejus actiones, résque multò illuſtriores redderent, in denarranda vita mihi non parùm moleſtiæ faceſſiviſſe, ac perdoluiſſe, quòd ſervum Dei in vita non cognoverim, nec cum eo egerim priùs, quàm decederet. Neque verò eſt, cur quisquam miretur, ipſum proprias ſuas actiones & virtutes ſcripſiſſe; in hoc namque præter exemplum Sanctorum, & Sanctarum, qui proprias ſuas vitas ad Gloriam Dei elucubraverunt, non eſt aliam ſecutus legem & impulſum, quàm ordinem ſanctæ Obedientiæ, à qua compulſus, eo in negotio, prout ipſe teſtatur, expertus eſt, & perſenſit illum ruborem, erubeſcentiam, nec non & repugnantiam, quam experiretur, ſi oporteret ſe numeroſo coram populo nudum, inveſtémq; oſtendere. Hoc quidem liberè ac candidè fatetur, ad veritatem à ſe ſcriptorum quod attinet, promptum ſe paratúmq; eſſe ad omnia confirmanda juramentum præſtare. Atque hinc eſt, quod ipſemet efflictim orat, quisquis aliquando deſcriberet, in compendium redigeret, recenſeret res ab eo ſcriptas, uti verbis quaſi iiſdem id facere ne gravetur, quò nec latum, ut ajunt, unguem diſcedatur à vero. Id quod equidem ſic exequi ſtudebo, ut, procul omni tædio, quod ſubire forſan in ea legenda oporteret, quam ipſe ſcripſit, ubi videri poſſet vel nimis diffuſa, vel parùm ordinata, vel juſto ſimplicior, quoad ejus fieri potuit, illius me verbis aſtringam, abſq; ulla tamen elegantius loquendi, prout hodie fert mos, vel arte vel ſtudio, à me quidem ignoratis, & ubi, qui videri volunt ſapere, ſapiunt minùs. Menda in hac impreſſione, quæ forſan irrepſerunt, Lector ipſe pro ſua prudentia facilè corriget. Ita confido, vos, dum hanc vitam legendam in manus ſumetis, ea cogitatione & mentis judicio ad id faciendum acceſſuros, ut perſuaſum habeatis, vos magni Servi Dei vitam lecturos, quam ipſe ſcripſerit, & non alius quidam imperfectus auctor, qualis ego ſum; Ità legetis majori cum ſapore & guſtu eum collecturi fructum, quem ego deſidero. Hæc eadem verba admenſa pro ſe interpres ex animo cupit.

JOAN.

JOANNES PAULUS OLIVA
Societatis Jesu Præpositus Generalis.

CUm vitam piæ mem. Patris Julii Mancinelli à Patre Jacobo Cellesio nostræ Societatis Sacerdote conscriptam aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestatem facimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur; cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas sigillóque nostro munitas damus Romæ 24. Maij 1668.

JOANNES PAVLVS OLIVA.

Imprimatur si videbitur Reverendiss. Patri Mag. S. P. A.

J. de ANGELIS Archiep. Urbis Vicesg.

Imprimatur.

Frater Hiacinthus Libellus, S. P. A. Mag.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS S. J.
per superiorem Germaniam.

VItam Patris Julii Mancinelli Societatis Jesu Italicè à P. Jacobo Cellesio conscriptam, nunc latinè redditam à P. Simone Mair, utroque ejusdem Societatis Sacerdote, cùm à Deputatis lecta probatáque sit: Ego Benedictus Painter Societatis Jesu per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, factâ mihi potestate à P. N. Joanne Paulo Oliva ejusdem Societatis Præposito Generali typis dari permitto. In cujus rei fidem has manu meâ, & consueto officii sigillo munitas dedi. Monachij 27. Novemb. 1676.

BENEDICTVS PAINTER.

DEVOTO

DEVOTO LECTORI
Interpres.

QVam fidem hæc hujus vitæ hiſtoria mereatur, facilè mi bone Lector ex ſequentibus conjicere capitibus poteris. Eſt illa in primis ab Auctore dicata ſummo Pontifici Clementi IX. Chriſti in terris Vicario, cui utique nihil, niſi valde authenticum, niſi probè examinatum ſoleat offerri. Deindè ipſe P. Julius Mancinellus eam referre in tabulas & annotare coactus eſt obedientiæ, quâ religioſo homini fortior afferri neceſſitas nequit, inevitabili impulſu, quem confiat maluiſſe millies emori, quàm vel leviſſimum ex profeſſo dicere mendacium. Vide Præfationem. Demum Auctori conſtitit incredibili labore, fatetur enim in ſuis 22. Junii anno 1675. ad me datis ſibi agendum fuiſſe cum Congregatione ſacri officii, cum pluribus Epiſcopis, multis cum Cardinalibus, ipſis duobus cum Pontificibus, ac demum cum Magiſtro ſacri Palat. Apoſtolici, hiſtoriam hanc multis apud ſe annis preſſam tranſiiſſe per ignem & aquam, ac denique emerſiſſe in refrigerium veritatis apertæ. Ad fidem verſionis quod attinet, fateor me nunquam èx profeſſo voluiſſe à ſenſu auctoris deviare. Vale.

)( )(INDEX

INDEX CAPITUM
LIBRI I.

I. NAtivitas & pueritia. fol. 1
II. Vocatur ad Religiosum statum. Eligit Societatem. fol. 6
III. Ingreditur Societatem; Ejus Novitiatus. fol. 17
IV. De studiis,& quomodo in iis se gesserit. fol. 30
V. Confessiones,& Conversiones magnorum peccatorum. fol. 37
VI. De modo concionandi & aliquot peregrinationes. fol. 50
VII. Missiones in terras Catholicas,& fructus earum. fol. 59
VIII. Missiones per Turciam. fol. 70
IX. Missio Constantinopolitana. fol. 76
X. Conversiones aliquot Renegatorum. fol. 90
XI. Quantum boni in aliis missionibus præstiterit, & de periculis, ex quibus illum Deus liberavit. fol. 98
XII. Ter felix P. Julii mors. fol. 108

INDEX CAPITUM
LIBRI II.

I. DE Operibus misericordiæ erga Indigos. fol. 120
II. Victoria Tentationum. fol. 134
III. Imperium in Dæmones. fol. 143
IV. De Obedientia & affectu erga statum religiosum. fol. 151
V. Opera pœnitentiæ,perpessiones Corporales,paupertas. f. 159
VI. Magnanimitas,conformitas cum divina voluntate. fol. 168

VII. Ejus

VII. Ejus animi demissio. fol. 175
VIII. Examen Conscientiæ. Oratio. fol. 185
IX. Discretio spirituum. fol. 201
X. Devotio erga sanctissimum Sacramentum. Sacrificium Missæ. fol. 206
XI. Aliquot sensa Ascetica. fol. 212

INDEX CAPITUM
LIBRI III.

PRoœmium. fol. 235
I. De sanitatibus miraculosè collatis. fol. 236
II. De animabus in purgatorio. fol. 254
III. Instinctus interni. fol. 262
IV. Extases Corporales. fol. 269
V. De Visionibus. fol. 274
VI. Visiones pertinentes ad Deum. fol. 276
VII. Visiones & revelationes spectantes Beatissimam Virginem. fol. 289
VIII. Visiones Angelorum. fol. 296
IX. Visiones Variorum Sanctorum. fol. 302
X. Visiones Sanctorum ac Beatorum nostræ Societatis. fol. 311
XI. Visiones P. Julii quarundam personarum sæcularium inter Beatos post ipsarum obitum. fol. 326
XII. De Revelationibus & prophetiis Patris Julii. fol. 333
XIII. Revelationes & Prophetiæ de Principibus sæcularibus. f. 339
XIV. Revelationes & Prophetiæ spectantes religiosos maximè Societatem nostram. fol. 350
XV. Communis opinio & fama de sanctitate Patris Julii. fol. 362

PROTE-

PROTESTATIO AUCTORIS.

CVm sanctissimus Do. N. Vrbanus PP. Octavus die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & universalis inquisitionis decretum ediderit, idémque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii famâ celebres è vita migrarunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem sanctissimus die 5. Junii anno 1631. ità explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sanctorum, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt super mores & opinionem cum Protestatione in principio, quòd iis nulla adsit auctoritas ab ecclesia Romana, sed fides sit tantùm penes auctorem. Huic decreto, ejúsque confirmationi, & declarationi, observantiâ & reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor, me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut sanctæ sedis Apostolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem sacra sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

VITA

VITA
P. JVLII MANCINELLI.
LIBER I.
Nativitas & Pueritia
CAPVT I.

NAtus est P. Jvlivs Mancinellvs, Año MDXXXVII. Mense Octobri, III. Idus post noctis umbilicum, Sabbato in Auroram rubescente. Patriam Maceratam habuit civitatem Marchiæ sanè nobilem, seu situm, seu originis prærogativam spectes. Florent in ea studia literarum, aditu ad publicos honores optimo cuique semper aperto. Summa rerum penes præsidem est, seu legatum, cujus imperium omnes attendere debent. Parens illi fuit Leonardvs Mancinellvs, celeberrimus juris utriusque interpres, & Doctor, Mater Antonia Costa lectissima Fæmina, illustri ambo prosapiâ inter suos oriundi, quam & Antenati eorum cùm sacris, tùm profanis functi gradibus illustriorem reddidere. Extat ejusce rei locuples testimonium hodiéque, avita Mancinellorum bibliotheca, quam Petrvs Franciscvs Mancinellvs velut cum sanguine hæreditatam exteris thesauri loco commonstrat. Inter mares Julius primus aspexit lucem, nulli deinceps ex fratribus cùm probitate morum, tùm litterarum laude secundus Musis, teneris ab unguiculis puer ita assuevit, ut ijs sæpè quinas,

Annus & dies Nativitatis.

Patria.

Parentes.

Primus inter Fratres

Impigritas discendi.

ras, nonnunquam senas per diem horas dederit, indefesso labore, cui tamen fructus ætatulæ imbelliâ non uberrimè respondit. Supplere paulò post visa est Mater, mulier hercle perspicax, & intelligens, minimè perfunctoriè & in Latio, & in Platone versata. Tanti refert ad excitandam filiorum indolem promovendámq; parentum docilitas. Literis sociavit ingenuarum chorum artium, cantum, chelyn, gladiatoriam, equestrem animosè auspicatus simul tot perdiscendis facultatibus pares vires non attulit. Itaque rudimenta illa tam mollibus annis non tam instructio, quàm confusio videri poterant. Valuere tamen mirum, quantum in reliquam ætatem; ut magnis illum sæpè periculis terrâ, marique, insidiarum, indomabilium equorum feliciter subtraherent! ità nimirum Deo servorum suorum educationem admoderante, quos in egregia gloriæ suæ instrumenta paulatim adaptat. Sic Mosen adhuc vagientem securè dormire inter undas docuit, ne postea se vir, populúmque traducere per mare rubrum sicco formidaret vestigio. Quia verò vel pravo naturæ genio, vel odio communis inimici frequenter contingit, ut, quæ recta in nobis sunt, degenerent in vitium, ideò & magnanimi hi Julij spiritus, indoles virtuti alioqui peramica, magnam ei sui vincendi materiem præbuerunt, dum nil æquè difficile illi videbatur, quàm injurias perferre, neque se de lædentibus vindicare posse. Qui de se tanta alacritate incitabatur ad Musas, non poterat non item pari pondere erga pietatis studia ferri. Miram jám tum puer voluptatem capiebat ex sacrarum lectione literarum, à quibus propè ipsos integros dies non videbatur posse divelli. Ex ijs altissimos de Deo, déque Bonitate ejus hauriebat conceptus, quam illi sacræ illæ historiæ ob oculos exaggerabant, adeò ut domi posteà eas relegens, atque Matri ad id illum ex professo invitanti enarrans sæpissimè in uberes fletus diffluueret: qui tener sensus ei de Misericordia Numinis postea per reliquam

Genitricis perspicacia

Multitudo simul discendorum confundit.

Manent, quæ pueri discunt,

Sacris literis legēdis mirè initiatur, & assiduè.

quam omnem vitam manſit perpetuus, támque conſtans, ut nullum peccati genus tam enorme, támque horrendum committi poſſe crederet, cui non facilis impetrari venia à tam bono DEO poſſet. Ex quo & illa ſuavis cum divina voluntate extitit conſenſio, dum quaſlibet, quantumvis acerbas, quæ homini evenirent, calamitates, non ſecus, ac gratiſſimos paternæ manûs ductus intueri aſſveſceret, vel ad puniendâ impiorum peccata, vel ad acuendam proborum virtutem valituros. Luſtrabat item lectitando quotidie vitas Sanctorum cum deſiderio haud vulgari imitándi illorum acta, reputabátque ſummum felicitatis apicem ad illorum ſanctimoniam aſpirare licere. Nec aliunde vehemens illa audiendi verbi Divini exarſit ſitis. Ex concionibus per templa habendis cùm necdum eum fructum, quem ſperabat, referre per ætatem poſſet, dictionis granditatem minùs aſſecutus, aliud humilius dicendi genus pueri auribus arriſit. Horridos eremi incolas, peregrinos, mendicos, ubi per compita de divinis rebus, de quatuor noviſſimis, de gravitate peccati mortiferi rudi Minervâ diſputabant, avidiùs conſectabatur. Quippe quorum verbis ab ipſamet cultûs aſperitate afflari pondus, & Spiritum autumabat. Circa Feſtum Pentecoſtes diem aliquando cùm audîſſet verba de Spiriru Sancto fieri, enixè Matrem rogavit, libêret ſibi explicare probè, quid rei denique hic Spiritus Sanctus foret? & intellecto, illum eſſe Deum, perinde ac Patrem Cæleſtem, qui in terras deſcenderet, habitarétque in animis hominum, ſubjunxit Julius; ergò ego quoque potero habere hunc Spiritum Sanctum? Cùm annueret Mater, dummodo peccatis abſtineret; mirè gaviſus eſt firmiſſimo apud animum ſuum facto decreto, non ſanè unquam in poſterum delinquendi, ne Spiritum cordis inquilinum foras ejiceret. Atque hinc odium illud plus quàm Vatinianum erga quodvis peccati genus, inde propenſio illa animi erga Spiritum Sanctum ſingularis;

Lectitat vitas Sanctorum,

Audiendi verbi divini ſitis.

Diſtinguit pro ſuo captu inter concionea.

Simplices, piæ tamen magis arridenr.

Vult cognoſcere, quid Spiritus Sanctus ſit.

Pietas & reverentia erga Spiritum Sanctum.

de quo jam tum aliquid scribendi, prout posteà fecit, calor insederat, indignum ratus tam pauca de eo cùm in scripturis, tum à Scriptoribus extra Scholas tradi, ut mirum videri minimè debeat, tam parùm, támque propè nihil de eo ab hominibus sciri. Hoc tempore Julius opportunus videbatur, in quem vir gravis juxtà, ac doctus ingenuum jaceret jocum. Sciebat hic Julium esse perquam sciendi avidum, promisit itaque se ipsum scientiam quandam Angelicam doctu-

Ingenuus jocus in Julium.

rum, ad quam feliciùs capiendam debere se jejunijs, vigilijs, Sacramentorum usu, multo precatu apparare, secundum quæ Angelum ejus aspectui appariturum, qui ipsi nobilem illam omniscientiam infunderet. Quæ præviæ dispositiones si abessent, vel Angelum non adfuturum, vel certè ei infusas illas species animo quamprimùm diffluxuras. Speciosa promissa mirum, quantum accendêre adolescentuli mentem, ut nihil eorum omittendũ statuerit, quæ ad tam locupletis promissi consecutionẽ pertinerẽt, conatui addidit frequẽtia munera, quibus doctori illi ad standũ citò promissis adblandiri non cessabat. Postquã nec sic quidẽ velificari suis ingentibus spebus vidit, deprehendit tãdem astu se quanquam laudabili circũventũ; qui nec ipse suo fructu carverit; in animo namq; Julij cupido ingens perseveravit munditiem cordis illibatam conservandi, quæ ipsi viam ad omnes facilè scientias indipiscendas complanaret. Angelorum etiam venerationem, cultúmq; stabilem reliqnit, qui nec antè ipsum, quàm vita deseruit. Atque hujusmodi ferè ludicris in pueritia Julij animus attinebatur, aliorum, quibus ejus germani, consanguineíque plurimùm gaudebant, quæque propemodum jus hospitij obtinuerant, minùs nihilo curiosus, genio ipsum ad

Observantia erga Parentes.

seria magis, ac severa inclinante. Dabat scilicet hoc parentum reverentiæ, & amori, ut, quæ ipsis minùs probari cognoverat, ne attingeret quidem, probi filij munus esse ratus, majoribus suis nullam stomachandi occasionem præbe-

rc.

re. Et ipsi parentes, si fortè quadamtenus exorbitâsset, non continuò in illum acriùs advertebant, sed satis habuere agnosci errorem, suúmque ad sequiora vultum omni ferulâ, & castigatione filio esse potiorem. Spontanea ista noxarum agnitio semper ei, quamdiu vixit, adhæsit constanter, causaque fuit, ut nullam unquam per tot annos in religione exactos à superioribus pœnam tulerit, existimantibus supervacaneum esse illum punire velle, qui ipse jam de se pœnas sumpsisset. Summo odio in ea errata ferebatur, sine quibus infantia ferè non agitur, quæque deprehensos rubore suffundunt, qualia ut plurimum esse creduntur, Mendacium, & edacitas, nunquam in alterutro à quoquam quantumvis oculato observatore notata. Totius viræ decursu, qui fuit octoginta, & unius annorum, unum solum mendacium puero decenni excidit, non in damnum cujusquam, sed ad modicam puerilis gloriolæ captationem prolatum. Tam solers vitiorum fuga, solitudinis amor tantus, Sacramentorum adeò frequens usus sic Julium cum Deo conjunctum, abstractum à sodalium consuetudine, præsertim verò pravorum tenuere, ut ipsis esse irrisui inciperet, jocóque ipsum non aliter, quàm Anachoretam vocitarent. Quos equidem ille nihili faciebat, dulci interim familiaritate numinis lactatus; imò & Sanctorum, qui sensibilem quoque in modum frequenter se illi communicabant, & in animum terrenis affectibus purum facilius se super infundebat illimitas scienriarum. Decem non amplius natus annos jam non hospes, sed civis erat in Latio, exinde gradu ad Logicam, Jurisque purdentiam facto eos illis in facultatibus progressus fecit, ut brevi studiis illis Consultoris nomine præesse jussus fuerit. Qui honos temporibus illis non sanè neque nobilioribus quidem, aut ditioribus habebatur, nisi simul essent & cæreris doctiores. Verùm dignitas hæc, quantò illius nomen amplius famâ doctrinæ extulit, hoc magis eundem de

Assuescit fateri pueriles culpas

Mendaciũ & edacitas Julio ignorata.

Julij peccatum.

Sodales eum Anachoretam vocant.

Latinè doctus Philosophiã & jura cognoscit.

Consultor studiorum eligitur.

virtutis fastigio dejectum terræ afflixit. Pro muneris enim ratione, quod gerebat, necesse ipsi fuit perfrequentem cum dissolutissimo quoque effrenium illorum Juvenum agere, procul à parentum, ac Magistrorum conspectu, qui eum in ætate tam lubrica amandatum destituere non debuissent. Quantò autem minor cura erat hominum de Julij salute, hoc magis divino oculo cordi fuit, solicitè excubanti, ne quà graviùs cespitaret, medijs in periculis commonstratâ viâ, quâ se Mundi fallacijs felix transfuga expediret; ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam ejus.

Sap. 4.

CAPUT II.

Vocatur ad Religiosum Statum. Eligit Societatem.

Invitatur à Deo ad religiosum statum.

SOlitarius agendi modus, audiendi verbi divini studium, piorum voluminum lectio facilè id apud Julium potuere, ut aurem mundanis clausam turbis, apertam teneret Numinis voci, ad sequendum se, ad religiosum statum invitantis. Vbi primùm attigit ætatem quindecim annorum, dedit se lectioni S. Vincentij, ubi pientissimus Author de perfectione agit, quam unusquisque profiteri in Religione tenetur; statim ignem, & flammam concepit dispositissimus adolescentis animus, & formato sibi altissimo de ea vivendi ratione conceptu beatos ter, & amplius existimabat, quos Deus ad hujusmodi degendæ vitæ genus delegisset, simul illud Christi effatum nequaquam obiter in animum demisit. Qui non reliquerit patrem, ac Matrem, & omnia, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Quod quidem Christi oraculum calcaris instar non segniter ipsum excitare consuevit, quoties arrepto in proposito lentiùs agere, & in exequendo nonnihil tardari est visus. Et sanè non facilè

Legit S. Vincentium.

Incenditur amore perfectionis.

eilé aliud quodvis obſtaculum majorem ipſi remoram in negotio ſalutis injecit, quàm hæc ipſa deſerendi Patris ac Matris difficultas, quibus aſtringi ſe lege naturæ arctiùs ſentiebat, ac propterea minimè tunc deſeri oportere, cùm jam de filij dotibus quoſdam veluti præguſtus pro pignore haberent. Accedit, quantum ex eo conjectabat, quod in patria ſua fieri ſoleret, nullum refundi in familiam ſuam ſplendorem, nullum decus ex ſtatu Religioſo poſſe, quid inde metuendum, niſi olim in caput ſuum à ſuis regerenda opprobria, obtrectationum plauſtra? Et ſanè paucos poſt ejus in Religionem ingreſſum dies, cognatus quidam, ut opinor, patruus ex profeſſo ad eum inviſit, homo non multùm ſupra militem, qui erat, neque urbanus, neque ſapiens, acriter in eum invectus interrogavit, eccur tantam generi ſuo inurere notam auſus fuiſſet, amplectendo ſtatum uſque adeò avitâ ſuâ proſapiâ indignum, atque dedecorem? ſi ſe audiret, caneret quantocyus palinodiam, & excuſſo, quod temerè ſuſcepiſſet, jugo priſtinæ ſe redderet libertati: quaſi verò Deo ſe ſubjeciſſe, ſpreviſſe mundum, ſeipſum atque animum domuiſſe non ſit victoriæ genus quovis expugnatore urbium nobilius multô, atque præſtantius? Neque tela hujuſmodi omninò hebetia, atque irrita exciderunt, quin tenerum adhuc Iulij animum quadam tenus afficerent, & humani quiddam ſanguinis elicerent. Verſabantur ob oculos ſpes illæ magnæ, atque ingens ſplendor, quem familiæ ſuæ vel per literarum, in quibus pauculis his annis tantos feciſſet progreſſus, & in quibus genitor quoque ei adiumento non ſanè modico eſſe poſſet, vel per armorum tractationem, ad quæ ipſum avita tot fortium virorum exempla, atque decora, jmò proprius invitaret genius, indubiè eſſet conciliaturus. Ad hoſce vaniſſimos ſcopulos abſque dubio carinam Vocationis ſuæ alliſiſſet Julius, niſi Deus tempeſtivè eum evitare mundi ſyrtes alieno periculo docuiſſet. Intra perbreve temporis ſpatium vidit nobiles duos, eóſque

Difficultas deſerendi Patris & Matris.

Primus conflictus in negotio vocationis.

Oppugnatur Julij animus.

eósque florentes admodum, valentésque Capitaneos violento, & improviso fato ad omniscij Judicis tribunal rapi, qui sua felicitate ebrij æternos hîc annos meditabantur: vidit, & indoluit cuidam alteri sibi amicissimo lectori repente quoque vitæ fila succidi. Hic sub primum omnium honorum affluxum febriculâ correptus, de morte nihil cogitans usum rationis perdidit, & inter horribilia, quæ palam enarrabat, à se patrata scelera momento animâ & spiritu defecit, metu longè majori, quàm spe salutis. Quorum tristium casuum objectu nimirum id divina Bonitas egit, ut Julium hunc nostrum fallacijs mundi, quàm citissimè expediret, fraudes detegeret, certum quid de complectenda Religione statui cogeret. Statuit ille quidem tunc temporis, se in potestate, ubi primùm posset, fore vocantis Numinis, sed, ut in humanis fieri assolet, fratrum postea, ac cognatorum liberiore conversatione illectus, mundi risibus plus satis attentus, periculosis etiam studiosorum tricis, quibus præesse caput debebat, diu noctùque correptis armis pervolitantium compita, obliviscebatur scilicet omnium, quæ non multò antè ostentati timores trepido animo suggesserant. & contentus decreto non offendendi lethali noxâ Numinis propositum suum de die in diem inter exequenda reposuit. At verò cælestis medicus, qui vulnera nostra vertere in medelâ solet, infirmum nostrum in robur, singulis deinceps annis validam ei ægritudinem immisit, vellicandæ ejus auriculæ. Tunc enim verò tandem expergefactus Julius omni curâ ad se, ínque Deum revocatâ sanctè recepit, si revalescceret, nullâ interjectâ morâ invitanti se Deo obsecuturum. Verùm, quæ humanarum summa est miseriarum, recuperatâ postliminiò sanitate iteratò sibi memoriam religiosi propositi sivit elabi. Id quod sequentibus quoque deinceps aliquot annis passus est sibi obrepere, dissimulante interim bono Deo iuvenilis inconstantiæ tarditatem spe majoris frugis in ætate matura subsecuturæ. Equidem

Improvisa fata suorum terrent Julium

Vult iterum, & quasi non vult.

Vocationem inter exequenda reponit.

Ægritudo illum expergefacit.

Iterum nonnihil tergiversatur.

inficias

inficias non ivero Julij desideria sanctioris vitæ sæpius inter mundi vanitates intepuisse, nunquam tamen ita emortua fuisse, quin non identidem inter sacros recessus, intérque piorum lectionem libellorum reviviscerent, donec tandem numini placitum omninò fuit eũm his ex perplexitatibus in totum liberare. Cùm itaque ipsum unus ex usitatis eius morbis de more, ut dicebamus, acriùs solito divexaret, ipsùsque cum animo reputaret, si aggressus eam professiõem fuisset, quo pacto nunc inter servos DEI meliùs, quàm usquam alio in loco sua talenta collocaret, animas ad suum authorem, quà habendis concionibus, quà rudibus instruendis adduceret, mirum in modũ exultavit spiritu, non secus, ac si jam reipsa in illo animarum mercatu, negotioque versaretur. Ac subinde noctu evigilans, & identidem intercalarem illum versiculum Gloria Patri &c. mente ruminans visus est sibi interesse gaudiis, quibus fruerenter beati in Paradiso. Legendis item psalmis intentus tam copiosum a DEO lumen accipiebat, ut primaria fidei nostræ mysteria in illis contenta planè intelligeret: inde contrectans ossa sui corpusculi seipsum increpans, eia! dicebat, iret sanè, & illis, quantum vellet, blandiretur exquisitis illecebris, quando & ipsa jam sparsa per terram vermium esca albere deberent, quales tot alios sibi peramicos passim jacere conspexisset. Non nesciebat tamen hinc, periculosæ rem aleæ sibi fore, bellum indixisse carni, nisi intraret religionem, ac propterea totus in eam cogitationem jam certus animi incubuit. Verùm & hic inimicus ei laqueos nexuit sub umbra expedientioris cuiusdam consilij. Potissima deserendi sæculi ratio Julio fuit fuga gravioris peccati. Ob hanc causam abdicaverat se officio Consiliarij, quando ex una parte glisscentibus indies inter studiosos simultatibus, dum indigenæ cum exteris, hi cum indigenis identidem duellabantur, vidit omnia terroribus & inimicitijs plena

Vehementior solito vocantis Dei spiritus.

Apostrophe ad corpusculum suum.

Novæ inimici technæ.

fervere, nec se tanquam caput extra teli jactum contineri facilè posse! ex altera parte oculos in eas religiones, quarum notitiam habebat, reflectens, cùm ex earum vivendi norma spe excideret, conservandæ innocentiæ! sive id culpâ cuiusdam alumni minùs religiosè se gerentis accideret, sive, ut fieri in magnis planetis solet, quod in ijs non lucidissimum appareret, ctederetur macula eis, qui fixis eos nimium obtutibus observarent, certum est Julium penitus ab eorum institutis tanquam indoli suæ minùs opportunis, nec peccandi expertibus cæpisse abhorrere. Adeò peccata illorum, qui in publico versantur, periculo non vacant, ut non sibi solis peccasse censendi sint, sed communitatibus. Dum Julius deceptus ab hac boni specie refugit, & portum, ad quem ejus navim appellere divina aura satagebat, subire recusat, in aliud vitæ genus ex opposito valdè periculosum impegit, quippe solitarium, mæstum, consilij, auxilijque planè expers. Suorum congressibus, amicorum colloquijs, sociorum affatibus abstinebat in totum, & eremo paterna ex domo facta degebat solus Anachoretæ ritu, apud se certus eam veram, unicàmque esse gravioris evitandæ noxæ rationem. Hoc tempore oculos in sacerdotem Albanensem conjecerat hominem humilis conditionis, sed famæ bonæ, atque integræ vitæ! cum hoc solo transigere cordis intima consuevit. Confessarium sibi delegit ex Ordine Divi Franciſci, quos de Observantia dicunt, virum inter suos probatæ virtutis, & exempli. Apud hunc confessionem instituit inprimis de tota sua antegressa vita, postcà in quemlibet mensem, denique in singulas hebdomades idem factitare solitus. Quod illis sanè temporibus perrarum erat, quibus frequentia Sacramentorum unum ex infrequentibus habebatur. Ejus recreatio ferè fuit obire templa extra civitatem sita, identidem Deum solicitâ prece orare, sibi ut vitam degere sanctam, & peccati gravioris liberam liceret.

In aliud vitæ genus impingit.

Confessarium eligit.

Generalis & frequens confessio.

Credit tandem se veram vitæ rationem invenisse.

Qua

Qua in re sic in dies magis, ac magis solidabatur, ut persuasissimum sibi haberet viam hanc á se initam, & mali esse omnis immunem, bonorum verò operum feraciſſimam, & optimis exemplis tam ad domesticos, quam ad externos fætam. Hanc ille vitam aliquàm multo tempore perseveravit, lætus post tot cùm mentis, tum corporis in diversa agitationes repertam tandem quietis partem. At verò Deus, qui ipsum non ad suam unius salutem, non ad ædificationem duntaxat familiæ, vel civitatis, sed ad conversionem peccatorum, ad institutionem tot barbararum nationum elegerat, ex hac ipsa mentis malacia periculosas ei suscitavit tempestates, usus ad hoc ipsum amicorum primis, atque adeò domesticis, hoc metuendis magis, quanto amicioribus. Non enim monstrificum quid, aut territare volentium, sed blandientium vultum, atque ora incantatricum sirenum mentiti ad eum ventitabant. Agmen in hac scena ipsi germani eius, & consanguinei duxere, qui jocum de Julio tanquam de eremi incola facientes voluptatibus plus solito indulgebant, non ita cautè instrumenta illecebrarum introducentes in domum, quin facilè eorum sonus ad aures Julij perveniret. Parens gravioribus intentus curis vel non intelligebat necessitatem remedij, vel non reperiebat modum, quo auxiliatricem admoveret manum. Matris modica erat velut feminæ authoritas, totam medelam in lachrymis, in orationibus reponebat, magis solandæ sibi, quam sanandis vulneribus accommodatis. Soli Julio incumbebat onus, & labor medendi. Hic fervorem suum cum vigore mentis facilis irasci commensus, attento fraternis monitis non esse hic locum, imò in contemptum trahi, ad armorum vim recurrit, & Aquinatis in modum titione furiam pellentis, gladijs vel pugionibus blandas larvas ad stygem, unde venerant, ablegavit. Verùm non pluribus ille assultibus eas rejecit, quin plures in eum identidem

Alia Dei consilia.

Sirenes Mundi illecebræ.

Animosus Julij Agon.

retorqueret rebellis caro, ipsarũ follibus succensa, quæ tantò magis in eum insurgere nitebatur, quantò illam magis opprimere, & subijcere rationis imperio studebat, in eo videlicet pugnæ genere, ubi tota spes victoriæ non in conflictu, sed in fuga consistit. Inter hæc animi supra modum periculosa certamina, & inter externos cum suis assiduos conflictus, quos diximus, tandem apud se aliud decernere non potuit Julius, quàm non esse voluntatis divinæ hanc vitæ semitam porrò urgere, inimicos hominis domesticos esse, eos deserendos, cui salus cordi sit, sequendum Christum Crucifixum non sub larva proprij judicij, sed sub alterius directione & ductu, hominem solum ad clavum regendæ animæ sedentem minimè sufficientem videri ad resistendum tot inimicorum incursibus; vitam hanc tempestosissimum mare esse, scopulis, & naufragijs infame, quod, qui velit absque periti navarchi gubernaculo, sine cynosura exactæ obedienriæ traijcere, næ illum herclè aliud non agere, quàm ut carinam suam in præceps, inque præsentaneum cæcus impellat exitium. Itaque supra hoc denique fundamentum propositum ille suum de ineunda Religione toties impugnatum stabilivit. Relinquebatur dubium non minùs anceps, & solutu difficile, quamnam ex tot diversis religionibus amplecti deberet. Non erat ipse per se sufficiens ad hoc decidendum, ab alijs consilium exposcere prohibebat (ut in adolescentibus assolet) verecundia, ac timor, ne quid notitiæ ad suos dimanaret. Quæ etiam causa fuit, cur & confessarium suum rem hanc cælatum vellet. Aperiendi difficultas etiam ex eo capite incrementum sumpsit; si namque religiosos viros quosdam consilij causa adiret, premendo animi decretum, ex eisque scisciteretur, quam vitæ rationem tenerent, quamque contenti in eo statu degérent, aut responsum nullum daturos, aut si darent, modico sibi vel nulli solatio, vel adjumento futurum. Totum igitur ne-

Hic victoria in fugâ

Inimici hominis domestici.

Denique stabilit suum propositum.

Dubium grave, quæ religio amplectenda,

Negotium vocationis Deo, eiúsque matri cõmittit.

negotium in Deum, inque sanctissimam ejus Matrem rejecit, cum his solis agere, cum his capere consilium, ac regulam statuit. Quare luce quadam cùm in planitie floridi prati præ foribus templi consisteret, ubi simulacrum Crucis depactum erat, considerans frustra hic omnem humanam opem implorari! procrastinationem autem in dies periculosiorem fore, totus in se collectus (utor ejus verbis) oculis in cælum cum mente levatis, certus exaudiendi sui, divinæ Majestati supplicavit, dignaretur sibi in accipiti hoc casu adesse, sèque permolestis hisce tricis tandem expeditum vellet, juberet. Tum enim veró videre sibi visus est omnipatentis cæli aperturam, & ex nube faciem Dei tralucentem conspicari, qui serenum inter & serium medius innuebat ipsi; procederet porrò confidenter in arrepto proposito, se enim suppetias venturum in eo ad finem usque perducendo. Credi vix potest, quantos spiritus ceperit Julius ex facta sibi spe sui desiderij non solùm brevi executioni mandandi, verùm etiam eo in statu, in quo posset vitam agere sine labe gravioris peccati usque ad finem perseverandi. Inde totus ad orandam Divam Virginem conversus sensit sibi in mentem subire Societatis Jesu! de hac utpote nondum in patriam suam introducta Julius modicam notitiam habebat, nisi quòd sciret vnum è suis civibus eam olim ingressum, qui tamen in ea non usque adeò suos probasset mores, & quòd bis in urbe sua patrem quendam concionantem audîsset, qui optimam de se famam apud prudentes reliquisset. Decrevit itaque Lauretum, ubi patres domicilium haberent, se conferre plenius de eorum instituto per otium cogniturus. Hic dum cum Canonico quodam suo hospite subsistit, visis patribus, quos vocant, pænitentiarijs, scisciatur ex hospite, quod hominum genus essent illi patres? & quod eorum institutum? Tum sacerdos, qui de lege charitatis velare veros tenebatur, si quos sciret,

Videt Deum promittentem auxilium.

Venit ipsi in mentem societatis.

Decernit Lauretum proficisci.

Canonicus propudiosè de societate loquitur.

nævos, insuper etiam jure justitiæ, quo obligabatur non fingere falsos, non secus de ijs patribus locutus est, quàm si essent pessimi, & omnium sceleſtissimi, qui sub sole degerent, homunciones. Propudiosa dicta neque scribentis modestia, neque legentis reverentia sinunt referre. Hæc est nempe hœreditas à S. Paulo Apostolicis viris relicta, qui si adhuc Mundo placerent, Christi servi non essent! hoc patrimonium á sancto Fundatore Societati sepositum, calumniarum plaustra, injurias, convitia hilari vultu pro amore Jesu devorare, virtutis ergò perferre: hoc salario nata est Societas, hoc crescet, usque in finem, si, uti spes est, Jesu spiritus in ea non deficiat, salva, vegetàque perseverabit. Maledica lingua, & os impudens non eam apud Julium aurem, quam sperabat, invenit, qui licèt adhuc adolescens octodecim annorum, facilè tamen venenum, quod in corde gereret, ex dicacitate linguæ olfecit; memor proinde, qui alios ferulâ tam temerariâ censeret, seipsum condemnare, eum hominem corrupti judicij ac subleſtæ fidei judicavit. Quare aliud in arena consilium cepit: ex illo ipso suo, quem dicebamus Cive, qui non ita pridem id genus instituti complexus erat, expiscari statuit, quæ à se cognosci persanè multùm intererat. Hic cum modestia ei respondit; ne autem sua laudare nimium, aut eum trahere ad suam Religionem velle videretur, perquàm parcus erat, & siccus verborum. Parùm hoc loquendi jeiunium probavit Julius, & vel frigus in respondente interpretâtus, vel se non pro satis apto haberi, qui in Societatem cooptaretur, ratus, sive id Dei jussu evenisset, nolentis humaná eum operâ ad Religionem trahi, sive astu Dæmonis omninò eum à sancto proposito abstrahere satagentis, perinde frigidus, ac perplexus iter domum relegit, sicut Laùretum accesserat! timoribus insuper anxius, ne liberiore ore convitijs in patria obruendus à suis esset, si adlegi eum in patrum numerum voluisse intellexissent, quorum

Jesuitarum patrimonium.

Prudentia Julij in censendis dictis.

Cupit ex alio cognoscere de Societate.

Nec hujus responsa absolvunt Julium.

Redit domum perplexus.

rum plerique exteri, & ultramontani, ignoti, vili sanè occupationum genere, aut confessionibus rusticanæ plebeculæ excipiendis, aut erudiendis parvulis distinebantur. Remansit tamen ejus in animo integer ille affectus, quem ei Diva Virgo insinuaverat, magis hanc, quam aliam quamvis amplectendi religionem. Acciderunt ista ferè sub illa tempora, quibus homines etiam Christiani obliti se esse, qui sunt, inter Bacchi effrenes dissolutiones, formas induunt, ac mores bestiarum. Invitabatur & Iulius à parentibus, ac propinquis, ut & ipse inter thyrsigeros larvatus bacchari tantisper vellet, abnuit ille constanter importunum postulatum; verùm intelligens nullum ipsos finem facturos, nisi annueret, ut semel abrumperet filum texendæ telæ, statuit ad sanctam Lauretanam domum iteratò reverti, atque illic facta generali peccatorum exomologesi id Virginum Reginam efflictim orare, quò tandem exequi facto ipso liceret, quod ipsa sibi misisset in cor. Ita profectus est clam omnibus. Venit Lauretum tardiùs, quàm voluisset, sub finem sacrorum, quæ fieri in sanctâ Domo quotidiè solent; habuitque felici occursu obvium Patrem Montagnam ex Pœnitentiarijs unum, qui ultimus inter alios ad prandendum in Collegium properabat. Hunc salutatum interpellat Julius de confessione excipienda. Non attulit pater, quam facilè tunc poterat, excusationem! non illum in pomeridianum tempus rejecit, verùm perhumaniter acceptum duxit inprimis ad Deiparæ aram, inde factâ, ut decebat, Reginæ Cæli profundissimâ reverentiâ ad sacrum dicasterium. Peractâ ordine exomologesi aperit Patri suam de relinquendo Mundo voluntatem, quando sibi porrò animus non sufficeret in mundo absque peccato mortali, prout destinasset, agendi vitam? exposuit ipsi quoque dubium, in quo etiamnùm versaretur, quamnam ex religionibus præferre in deligendo deberet? petijt denique nonnullam de suâ, ad quam sen-

Detrectat Bachanalia vivere.

Redit iteratò Lauretum.

Bonis avibus incidit in Patrem Montagnam.

Excipit ejus confessionem.

Aperit vocationem, petit & accipit informationem de Societate.

sentiret se impelli, informationem. Pater ipsi paucis mixtam Societatis vitam explicuit, & absque ulteriori instituti anatomia, quæ ipsi dixerat, exemplis declaravit. Senſit se Julius cumprimis affici amore huius instituti, atque, ut exploraret, an libenter se in illud adlegerent, subjunxit. Si ego istam vestram Societatem complecterer, ad quod me applicaretis officium? Cui promptè pater, ad culinam, inquit, ego te applicarem. Ad quod responsum ipse, utpote qui se non solùm ad propriam abjectionem, sed ad salutem potiùs animarum vocari sentiret, ut ex una dissimularet suum de hac re judicium, ex altera verò parte amicè dictum eluderet; igitur vos ipsi, inquiebat, cocum agitis, & ne conducere aliquem mercede cogamini, ex parsimonia vestras manus atque ora inquinatis? Adolescentum optimus credebat illud officij genus, si semel culinam intraret, futurum sibi perpetuum; unde, cùm patrem error advertisset, ex templò, nos, ô bone! ajebat, non agimus cocum ex avaritia, sed ex demissione animi, atque charitate servimus unus alteri, prout Christus solitus est Magister ac Dominus inservire suis Discipulis. Atque hinc certis temporibus solemus omnes, etiam superior culinam subire, non ut illic perpetui inter ollas, sicut te video existimasse perperam, versemur; sed ut cocum tantisper humili in ministerio adjuvemus & Christo Domino quadam tenus similiores evadamus. Acquievit responso huic mirum quantum Julij animus, paratùsque faciendi omnia, ad quæ venerabilem illum patrem, immo superiorem ipsum duces haberet, & antesignanos. Cùm incredibiliter Societatis cupidine se inflammari sentiret, pactus est cum P. Montagna horam sub vesperum ad Collegium redeundi, conveniendique super his P. Rectoris. Venit horâ condictâ. Et verò, ubi P. Rector, qui tunc erat Oliverius Manaræus Belga, comparuit, visus est sibi in eo personam Christi ob gravitatem, & modestiam singularem in-

Festivum cum Patre Montagna colloquiū.

Societas quo pacto Culinæ ministeria complectatur.

Julio singula perplacent.

R. P. Rectori vocationem aperit.

intueri. A quo de necessarijs interrogatus capitibus, cùm ad singula sapienter respondisset, judicatus est per esse idoneus, qui in Religionem cooptari posset. Quoniam autem confestim eum recipere in Societatem, non erat in potestate Oliverij, recepit P. Rector scripturum se quantocyus Patri Generali, qui tunc temporis erat Sanctus Pater Jgnatius; cujus assensum opperiri in hoc negotio oporteret. Probabantur Iulio omnia, hac tamen cum conditione, ut, si reciperetur, ne se Lauretum, sed ad aliam paulò remotiorem destinarent civitatem; timebat enim plurimas à suis molestias, si vicinus Maceratæ degeret. Ita de successu lætissimus remeavit in patriam, ordinaturus sua, dum responsum Româ afferretur.

Scribitur Romam super hoc negotio.

Redit tantisper domum.

CAPUT III.

Ingreditur Societatem. Ejus Novitiatus.

REversus domum Julius totus fuit in eo, ut ne quid sui rescirent: quando autem Deo visum est exhilarare eum expectato Româ evangelio, se videlicet adlectum esse in Societatem Jesu, credidit ipse arcanum suum fratrum minori. contestatus ipsum per omnia sacra, ne quid ante discessum suum evulgatum iret, meditari enim se iter Venetias, ut festis illis, quæ Majo mense celebrari solent, interesset; hoc se consilij ideò cepisse, ut ne Patrem vel Matrem insolito affligeret nuntio. Frater mox ante tempus Matri enuntiavit instituendum Julij iter Venetias; illa credula rem ita se habere, prout Frater edicebat, nihil de eo patri significavit, ne fortè remoram inijceret pater; persuasum enim illa de Julio habebat, fore, ut iter hoc animi causâ susceptum reduceret illum

Venit responsum Româ in favorem Julij.

Credit arcanum fratrum minimo.

ad pristinum vivendi genium, lætum illum, atque affabilem, prout antehac assueverat. Omnibus eum ad iter necessarijs sedulò instruxit, quæcunque ei maternus dictaverat amor. Vbi profectionis adfuit dies, lautissimam ei merendam apparavit: videns autem Matrem ob brevem illam, ut putabat, absentiam filij lachrymis infusam, non potuit, memor illam separationem utriusque perpetuam fore, quin & ipse lacrymis immaderet. Nihil admodum tangere de appositis voluit cibis, passus tamen est viatoriam in peram analectorum potissima recondi, quô factô, conscenso properè equo patriæ, parentibus, amicis ultimùm vale dixit, jam non amplius neque suus, neque suorum, sed totus solius Dei futurus.

Mater eum omnibus necessarijs ad iter Venetias instruit.

Placuit illi profectionem hanc suam nonnihil domesticis adumbratam relinquere. In mensa Musæi sui viperam descripserat capite, & caudâ truncam, motu subjuncto. Inde antidotum, unde venenum. Ita nimirum Mundus cum crepundijs, quæ in phiala propinat aurea, venenum mortiferum offert, qui viperæ huic caudam, & caput recidit, hoc est, extrema vitiosa fugiendo evitat, ac virtutis tenet medium, illi enim verò venenum vertit in antidotum. Quantò mæstior erat Mater ex discessu filij tam dilecti, hoc lætior ibat Julius à sinu Matris divulsus. Cùm apicem colliculi cuiusdam conscendisset, ex quo postremùm videre Maceratam licuit, cogitatio ipsi incidit revertendi, ut saltem adhuc semel Matris frueretur aspectu: verùm recordatus vxoris Lothi mutavit mentem, & desiderium illud suum sui victoriæ immolavit. Paucos progredienti passus villula se illi peramæna objecit, quæ ipsi æstate jucundissimum præbere Tusculum consueverat; sed eam Julius nec videre quidem sustinuit, certus de se, deque charis omnibus triumphandi, atque in proposito immobilis persistendi. Trajecto amne, Potentiâ, qui Recinetum separat ab urbe Macerata,

Sub prætextu Venetiatum ad Novitiatũ proficiscitur.

emblema deferentis Mundum.

Matris revidendæ desiderium vincit.

cerata, descendit ex equo, potuitque ita dextrè cùm servulo suo agere, ut ei quamvis ægrè, persuaserit tamen, reduceret equum, pietatis causâ reliquum itineris ad sanctam Domum peditem se facturum, quod ideò fecit, ut ingressum in Societatem suos cælaret, ne, ubi tam citò illis aliquid de se suboluisset, permolesti illi esse inciperent, & ad eum parùm opportuni excurrerent. Tum enim verò videns se planè omnibus impedimentis liberum exultavit in Domino, & lætus bulgâ suâ ex collo suspensâ complura passuum millia processit, donec ambulandi insuetus, & infirmior à medicina, quam recens sumpserat, lassus progredi amplius non poterat. Deflexit ergò nonnihil á via in plana camporum; ubi jacentem humi viatorem invênit, ex quo, cùm interrogâsset, quò tenderet; & intellectô, eum itidem Lauretum cogitare, verùm inopiâ illic viribus defectum, quippe qui jam triduo nihil gustâsset, desperabundum id loci nihil aliud opperiri, quàm mortem, misericordiâ motus annonam à Matre paratam protulit, quâ, quantum satis erat, liberaliter refectum secum inde itineris socium habuit. Verùm qui propè fame enecto vires paulò antè instauraverat, progressus pusillùm, cæpit & ipse fame, & multo magis itineris labore excruciari; successit malum tertium languor insolitus, ut, licet perbreve supereſſet iter, reficere tamen fracta membra spicis debuerit; quæ res eum utcunque sibi, & viribus, ac multò magis Apostolorum idem facientium memoria restituit. Ventum est denique Lauretum; ubi salutata Sanctissima Virgine CæliReginâ, gratijs comiti itineris actis, insuper magna sui peculij, quod secum attulerat, donatum parte, à se dimisit.

Servulum rerum ignarũ dextrè dimittit.

Deflectit nonnihil ab itinere.

Viatorem deficientẽ reficit.

Spicas vellit more Apostolorum.

Ipse, quod felix, faustum! die decimo quarto Mensis Maij, annos natus viginti collegium subivit. Pater Rector loci summo eum gaudio excepit; idem fecere reliqui omnes Collegij inquilini. Credi vix potest, quantum Julius ex

14. Maij ingreditur Societatẽ annos natus 20.

eorum modestia, officiis, charitate, obsequiis sibi ut hospiti certatim impensis oblectamenti caperet, non quòd ista sibi deberi autumaret, sed quòd spirare ipsi omnia sanctitatem, parietes, aulæ, ambulacra viderentur; ex mutuo invicem amore, complexu hospitum, salutatione, ijsque inserviendi promptitudine, lotione pedum, religioso affatu totidem se versari inter angelos paradisi arbitrabatur.

Prima solatiorum promulsis.

Exactis aliquot diebus juri hospitalitatis consecratis initium tyrocinij fecit ab exercitationibus, quas nos vocamus, spiritualibus Sancti Patris Ignatij. His Societatis spiritus continetur, quem instillare novitijs, conservare, & provehere in veteranis consuevit. Interim Româ responsum expectabatur ad Provincialem Venetum, ut ipsum ad aliquod suæ provinciæ Collegium, quemadmodum desideraverat, evocaret. Verùm ab hoc suo postulato brevi destitit; quin jmò ità animum in contrarium inflexerat, ut legens Constitutionum illam partem, quæ de formandis novitiis agit, totum se spiritui vincendi sui, & metanœæ asperitatibus permiserit. Atque hinc paratissimus fuisset in patriam reverti nudus, centonibus tectus, humeris cruce onustis, cum fune in collo, ut vel sic de se ipso, dèque sæcularium hominum fastu triumpharet; aliisque exemplum præberet, paria, vel his majora faciendi, siquidem ad id ei superior facultatem annuisset. Obtinuit autem perfacilè id, à quo prius tantopere refugiebat, ut scilicet in eo ipso Collegio, ubi erat, liceret persistere, obfirmato animo quidvis à suis, opprobria, irrisiones, convitia, si insultarent, exsorbendi. Exuebat se sub noctem, ut corpusculum suum licet admodum infirmum flagellis exciperet, quibus utendi modum cùm nesciret, nam in sæculo eorum usus ferè exolevit, neque dolor conatui, & desiderio patiendi responderet, per cubiculum reptans saxum inquirebat, quô minimè inventô laterem de pavimento eruit, quo planè pectusculum sævum in modum

Auspicatur exercitia S. P. Ignatij spiritualia.

Apostulato suo, ut ad aliud coll: mittatur, ultrò desistit.

Primus Julij fervor.

Disciplinæ vespertinæ

Ingenium se cruciandi.

tam

tam diu pulsabat, quoad ei vires, & brachia sufficiebant, id quod ex pictura sancti Hieronymi didicerat. Verùm ubi hanc lanienam ab eo, qui Exercitia ipsi tradebat, dedoctus fuit, & de modo instructus, quo consueta ipsi flagra sat sensibilem cierent cruciatum, usitatum á cæteris verberandi sui modum resumpsit. Ab hoc in seipsum advertendi rigore nunquam, quo ad ætatem produxit, prout dicemus, quicquam remisit; & præsertim in ea, quam fecit pro felici Generalis electione, quæ sequi obitum sancti Patris Ignatij debebat, solito ferventior, & protractior fuit, ut parùm ab obitu crederetur abfuisse. Decursis undecim, vel duodecim ab ingressu diebus, cùm ex lectione Instituti didicisset in fine tyrocinij nuncupanda esse tria vota, paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, precatus est Novitium, qui ei à cubiculo erat, ut sibi formulam eorum votorum exhiberet, quâ ritè, maturèque apud se expensâ omnis moræ impatiens, ingressus sacellum, totum se Deo ex asse consecravit. Dum mundi planè oblitus ad aliud non attendebat Július, quàm ut se se cum Christo per charitatis vinculum penitus, conjungeret, Mater ejus, patérque mirati nullum â filio, ejusque rebus perferri nuntium, factâ de eo inquisitione, eum societati nomen dedisse comperêre. Dici haudquaquam facilè potest, quo sensu doloris, quaque intemperantiâ mentis id acceperint.

Disciplina pro felici Generalis electione.

Vota devotionalia

Pater ad eum literas dedit indignationis, & furoris plenas, in ijs cum minis ac promissis paternos miscet affectus; in memoriam reducit, eum inter fratres primogenitum esse, proinde obligatum ad sustentandam domum, absque eo facilè detrimentum, imò interitum spectaturam; ponit ei ob oculos suam paulatim decrepitam ætatem, quam gravi sua culpâ sit ad desperationem adacturus. Quod si patri debitus eum amor nihil moveat, saltem hoc eius precibus, & imperio det, ut ad breve tempusculum patriam revi-

Parentes intelligunt Julij consilium, quo eorum motu?

Pater ad eum literas dat plenas indignationis.

revisens tantisper suum dolorem soletur, antequam ex infirmitate lectulo affixum, quam ejus desiderio contraxisset, emori contingeret. Precibus magna promissa sociavit, ad studia eum, in quamcunque ipse eligeret, Academiam ablegaturum. In hæc, hisque confinia lamenta commotus Julij pater suis in literis erumpit, quas prius â se lectas Pater Rector dedit Julio legendas. Quippe jam de eius in virtute jactis fundamentis spem conceperat, ut securè huiusmodi conflictuum procellis posset exponi. Nec falsa de eo hausta opinio fuit, bonus enim novitius nec quidem explicatam chartam sic, ut erat, Vulcano consecravit. Simul ac pater intellexit, suas literas nihil apud Filium potuisse, cùm ipse morbo impeditus Lauretum se conferre non posset, Capitaneum illum, de quo supra diximus Julij patruum ablegavit. Hic tantum authoritate suâ apud Gubernatorem effecit, ut Julius in vestitu adhuc sæculari coactus fuerit cum ipso colloqui, audire splendida illius promissa, minas, exhortationes. Objecit ipsum esse causam mortis suorum parentum, dehonestamentum familiæ, domus, cognationis universæ, ejus captum consilium ab omnibus improbari, adscribi infantiæ animi, utpote quem generosi illi destituerint spiritus, ut auderet honoratè vivere, quemadmodum eius majores vixissent. Ita quidem militis ore sæculi prudentia. Super quibus haud parùm indignatus Julius laconicè hominem expedivit! suæ se familiæ haud paulò majorem honorem habuisse, quàm majores suos, capto hoc consilio; quod si non cepisset, vel hoc se capturum momento. Quo dicto vultum avertit, & cum socio, qui ipsum ad fores manebat, relicto Gubernatoris limine ad collegium festinavit! hinc rectá ad sacellum, ubi gratiis Deo actis, iterum vota Religionis instauravit. Quoniam autem assultus Capitanei hominis bellatoris in irritum reciderat, atque unà omnes eius minæ, & clamores, statuit pater aggredi

Literas patris sui Vulcano legendas tradit.

Patruus Capitaneus eum convenit.

Ejus ad Julium oratio.

Julius laconicè hominem expedit.

Vota instaurat.

filium

filium vijs mollioribus, magis expugnando animo idoneis. Misit ad eum fratrem suum Minorem, simul alium quendam de cognatis adiunxit, qui fuerant in sæculo Julij deliciæ, & ferè colloquiorum in pueritia duumviratus. Verùm his Julius ita dextrè concionari scivit, ut parùm abesset, quin uterque Religionis hamum devorassent. Successerunt fratrum, consanguineorum magnus numerus, sociorum alij, primæ ferè in civitate nobilitatis, qui omnes operam in permovendo Julio perdiderunt, plurimùm eius exemplo, & modestia recreati.

Fratrē minorē mittit ad eum Pater.

Julius propè fratrem ipsum hamat.

Oleum & operam perdunt in perverten-do Julio.

Non propterea tamen spem cum clypeo omnem abjecit amans pater, herbàmve porrexit, quin collectis tantisper ex infirmitate viribus cum uno de primis amicorum Lauretum accurrit. Monitus adesse Patrem Filius, tunc fortè triclinij curis occupatus sic, ut erat, in veste lacerâ, cum propendio ante munitus, vultu squallido, & macilento se obtuendum stitit. Erat hic talis aspectus, nimirum genitori telum morte acerbius! hœsit in eo statuæ ritu aliquamdiu totus attonitus, loquelæ, & sensuum propè omnium expers, lacrymis tamen facundiùs omni linguâ cordis vulnus testantibus. Nec minùs filio ad hoc spectaculum commota sunt viscera, defixo in illo mæsto veluti genitoris simulacro, tantis priùs obsequiis culti, & honorati, nunc autem in prædam ultimi doloris relicti. Stabat nempe, & ille marmori similior, quàm homini, nec inveniebat nisi in confusione lachrymarum responsum. Quo equidem in situ, & motu perseverassent, opinor, adhuc diutius, nisi patres à confessionibus audiendis reduces, & ipsi nec opinatâ illâ rerum scenâ detenti, videntes patrem venerandâ canitie, & annis gravem, septuagenario maiorem, mutum in collo filij hærentem, qui & ipse in complexu patris mutus lachrymis laxabat habenas, non poterant non vehementer utriuspue sortem miserari. Tandem Pater Rector, qui

Ipsus pater eum adit.

Lucta amoris,

Interventu Patrum divelluntur.

P. Rectoris ad patrem Julij oratio.

qui reliquis imminstus stabat, rupto silentio loqui cæpit; eum in finem generandos, & educandos filios esse, ut aliquando per eosdem Deus honoretur, eo modo, quo ipse vult, & scit è re sua & honore futurum, ideòque eum lætari debere, suum hunc, quem videret, & stringeret natum, ad eam religionem vocatum fuisse, in qua, præterquam quòd propriæ invigilare saluti, & proximorum vacare impensè posset, nihil insuper committi consueseeret, quod in familiarum dedecus, & ignominiam, prout ipse sibi imaginaretur, ulla ratione cederet! degere in ea vitam homines, quorum consortij neminem pudere fas sit, omni optimarum dotium luce conspicuos. Inde conversus ad Julium jussit paternam ab eo benedictionem petere, quod ille extemplò supplex fecit flexis genibus, oculis, & capite demisso. Pater eum tenerè intuitus cunctabatur tantisper in danda benedictione; à patribus tamen, qui ponè astabant, admonitus tandem eam illi impertivit, sed ita, ut lingua manum desereret, in pronuntiandâ formulâ hœsitans. Quô facto abscessit Pater Rector cum patrum corona, relictis patre, & filio solis, ut cum libertate inter se agerent. Julius autem nimium quantum pudibundus petitâ veniâ in sacellum est digressus, in quo commodum tum Sacerdos operabatur divinis. Interfuit toti Sacro, quod fiebat, unicè Deo supplex, dolorem ut afflicti patris mitigaret. Et sanè pondus habuere Julij preces. Egressus ille totus ab eo, qui intraverat, diversus, placido ei vultu dixit: quando ita Deo visùm, fili! hoc à te consilij capi, eja age, da operam, ut in eo perseveres, religiosus esto bonus, ut sis olim honori familiæ tuæ. Nec plura effatus ad præparatum hospiti conclave deductus est, nunquam postea eâ super re cum filio nec locutus, nec conqueri auditus; multoque minus eum alienare ab instituta vivendi ratione allaborabat: imò reliquo toto vitæ tempore res inter adversas unicum ei solatium afferebat

Petit benedictionem paternam.

Relicto parente in sacellum confugit.

Ultima patris ad filium verba.

Julius

Julius, non minùs Romæ, quò grandævus se contulerat eius revidendi causâ, quàm Laureti, quò itidem aliquot post septimanas reversus, & diutius illic commorans ad aliud non attendebat optimus senex, quàm ut bonorum operum actionibus deditus animæ suæ rationes componeret, eàmque exomologesi quadam generali à tota vitâ inita ante vitæ exitum expiaret. Adeò verum, exploratúmque, genitores nullam habere sobolem perinde suam, atque illam, quam putant se per ingressum religionis perdidisse; à nulla accipere maiora solatia, quàm ab illa ipsa, quam tanto cum dolore, & animi vulnere Deo tam inviti permisêre. Neque enim quod Deo damus, perdere est, sed id cum lucro recipimus.

Pater exemplo filij animæ suæ consulit.

Patris dolore mitigato, vel potiùs in totum sublato restabat consolanda Mater, cui nullum aliud solatij genus reliquum fecerat dolor, quàm ut in continuos gemitus, ac lamenta ciente fletu erumperet, domi suæ inclusa, procul ab omni hominum congressu, ex instituto neminem admissura, quò minus solatij ad eam sine teste penetraret. Hic luctui aliquamdiu litabat in occulto, donec satis obfirmasse animum visa est, ut regere se cum decoro inter colloquendum cum filio in habitu religioso posset. Tum enim verò & illa cum alijs nobilibus matronis sibi agnatis Lauretum advolans, evocato protinus ad templum filio ad primum eius conspectum statim in lachrymas erupit cum ingenti filij & rubore, & pudore, qui & ipse flens tacitus collacrimavit. Quô sanè viso spectaculo mira vis spiritûs puellam nobilem Recinetensem occupavit, utpote quæ jam in via virtutis multos fecisset progressus. Hæc propiùs ad Julium cùm accessisset, cæpit eius loco potenter prædicare Matri, ac reliquis dominabus de bono statûs Religiosi, ut non secus, ac si Angelum de cælo concionantem audivissent, planè commotæ omnes perstiterint, verèque persua-

Restabat consolanda Mater.

Mater ad eum Lauretum excurrit cum matronarum coronâ.

Mutuæ lachrimæ.

Puellæ sæcularis spiritus Julij defendit.

sæ, Sanctissimam Julium in deligendo vitæ statu instituisse deliberationem. Itaque gratiis Deo, ac Beatissimæ Virgini confestim actis, animô quietô, & tranquillo discessêre. Observat hoc loco ipsemet Julius id, quod magno pusillorum solatio minimè tacendum; in his teneris amoris insultibus, in quibus naturalis inclinatio, & sanguis egregiè suas partes agunt, tametsi oculis, & vultu à complorando sibi temperare nequaquam potuerit, sed teneris pluries innatârit fletibus, non solùm tamen semper sibi animum constitisse firmum, atque immobilem in proposito, ut nec minima quidem trepidatione in illo vacillarit! esto lingua suo defuerit officio violenter ligata, dummodo spiritus usque liber, atque inconcussus, id quòd sibi inpræsentiarum contigerit, suo inhæreat inconnivus Deo: sic, dicebat, Servator noster illachrimatus est amico Lazaro, sic eius sororibus comploravit, sic denique tristitiæ fluctibus innatavit, cùm præ oculis peracerbam suam cerneret Passionem. Atque hic demum cessavere Mundi assultus, quibus Julium oppugnatum ibat, hic inchoavit Julius suos, quos in mundum imperterritus, & victor retorsit. Etenim cum vero affirmari potest, simul ac eius fama virtutum Maceratæ innotuit, totam propemodum civitatem ad eius sequenda vestigia concitatam fuisse. Nobilissimi quique certatim ambiebant nomen dare societati, aliàsque religiones à Societate diversas prensabant, quorum alij defectu valetudinis, alij literarum inopiâ seu doctrinæ cooptari nequivere, quanquam etiam in infimo sociorum gradu libentissime substitissent. Vnus Societatem ingressus per vim suorum retractus fuit, dilacerato ex humeris, quem induerat, religioso vestitu. Alij alias religiones complexi sancto in jis fine conquievere. Inter eos, qui Societati se mancipavere, fuit

Julio etiam in fletu semper tamen animus constabat.

Juxta exemplum Christi.

Tota Macerata eius exemplo movetur.

Ut aliqué à Societate retrahant, eius tunicam dilacerant.

Julius Planus, magnus huius nostri Julij amicus, & perquam fidus Achates, qui missus ad Jndos grandia fecit, & tulit,

& tulit, digna ſuo Zelo opera! cui ſucceſſit Hieronymus à Coſta vnà cum duobus alijs germanis fratribus, cognatis noſtri Julij, primæ in hac civitate nobilitatis. Iſte admodum Juvenis obiit, ille multis prudentiæ ſingularis datis ſpeciminibus Ordinem ſummis functus officiis illuſtravit. Cooptatus præterea in Societatem fuit juvenis quidam familiæ Mancinellorum perpuàm notus, nomine Oliverius, qui poſteà Patri Valignano ſocius additus, dignus habitus eſt, qui mitteretur ad Indos. Demum coronidis locô inter primos memorandus exemplo Julij in Societatem adlectus eſt Pater Matthæus Riccius perſanè genere illuſtris, verùm virtute, & integritate vitæ, propter quam meruit & Apoſtolus dici Sinarum, ad quos primus Evangelium intulit, multò illuſtrior, vir unus hiſtoria dignus, ſed hiſtorico meliori. Ex ſororibus vna quoniam ſequi Julium per omnia non potuit, ſecuta eſt illum, quoad licuit, facta ſanctimonialis in Monaſterio, in quo & diſciplinæ rigor admodum floreret, nec procul Laureto abeſſet, nempe in ipſa civitate Recinetenſi, ut vel ſic etiam quoad locum imitaretur Julium. Poſtremò Julij exemplum ſuo modo æmulata eſt univerſa civitas, quæ cùm ingredi per ſe tota Societatem non poſſet, effecit tantum, ut ſocietas in illam intraret, nobili illic, ac numeroſo ex meris eleemoſynis extructo Collegio! ad quod plurimum Julij cognati contulere, & vel maximè patruus quidam, illius Capitanei germanus frater, qui nihil non egerat, ut vidimus, ad Julium à ſancto propoſito abſtrahendum! qui & poſtea Collegio annuos reditus ſcutorum facilè quinquaginta legavit.

Julius Planus magnis in Societate officijs fungitur.

Matthæus Riccius Sinarum Apoſtolus.

Sorores Julij.

Macerata effecit, ut Societas in ipſam intraret.

Verùm ad novitiatum Julij redeamus, qui, qualis fuerit, quàmque ad ſublimem perfectionem, & virtutis culmen aſcenderit, facilè ex jactis, quæ dedimus, fundamentis coniici poteſt. Perrexit ille accurare triclinium, quo in officio præfectum habuit juvenem quendam ſclavum gen-

Novitiatus Julij qualis fuerit.

te, quem P. Rector eâ caussâ in Collegio tenuit, quòd parens plurimùm Societati deditus, cùm per Sclavoniam iter haberet, eundem sibi summoperè commendasset. Isthic homo atrâ flavàque bile multùm vexatus, insuper supercilioſus continuam dedit Julio patientiæ, & submissionis occasionem. Molestiora laborum in ipsum reiecit, oneravit præterea eum verbis asperis, & crudis ex agro: nunquam probabat, quicquid Iulius egisset, vel omisisset! iniquo oculo identidem eum intueri, minima quæque, etsi culpa vacarent, ad superiores deferre solitus. Quàm hæc talia difficilia essent, & gravia perpessu, facilè lector ex Julij natura vivace, & delicata collegerit, minimè reprehensionum quantumvis dulcium apud parentes assueta, nunc autem ab homine multò se inferiore, & conditione, & annis tantoperè irritata. Obtemperabat ipsi nihilominus incredibili cum alacritate animi, sufferebat illum constanti, & submisso cum silentio, observabat eum, mundabat, ordinabat omnia examussim, singula ad eius nutum componebat, usque ad immunditias everri solitas, quas manu collectas ad consuetum deferre locum consueverat tantum sui vincendi studio, & huic Orbilio satisfaciendi intuitu. Ex triclinio transitus fuit ad culinam.

Exercetur a socio trichinij graphicè.

Julij mira patientia & virtus.

Cùm ea sit animi demissi indoles, & natura, ut, quò altiùs quis in eam descendit, hoc magis ad eius culmen ascendat. Hic quò abjectiores, & despectiores reperit labores corporis, hoc jucundius, & dulcius animo solatium invenit. Obediendum fuit uni ex nostris fratribus Coadiutoribus, homini Gallo, Joviali cæterà, & optimi undequaque exempli. Quasi culina non satis ei molestiarum intereret; adiunxit insuper longum bonorum operum catalogum sui in omnibus vincendi gratia, quæ omnia ea hilaris vultus amænitate exercuit, ut communis hominum inimicus tantam virtutis excellentiam ferre diutius non posset. Quocirca

Probatur in culina.

Opera bona, in quibus se exercet.

circa permoleſtum Julio tentationis genus ſuggeſſit; & erat huiuſmodi, qua equidem mâior non eſt, ut dicam, quod ſentio, religioſæ perſeverantiæ cuſtos. Aſſiduus timor, & anxietas animi identidem inter opera ab obedientia imperata recurrebat, non futurum, ut in hoc vitæ tenore, quem inchoâſſet; & in alijs obſervaret, poſſet perſeverare; & conſiderans, religionem non tolerare, qui in peccatum grave impegiſſet, angebatur, ne ſuâ culpâ forſan cogeretur ad ſæculum reverti. Hac de cauſa identidem âlios per domum, cùm poſſet, interrogabat, quantum temporis jam in Religione exegiſſent, & intellecto, eos jam complures in tam ſancto ſtâtu firmos perſtitiſſe, ſolabatur ſe ipſum, & Deum de eorum virtute laudabat. Ac propterea etiam quotidiè in ſacram Virginis ædem itabat, clamitans: Perfice hoc opus, quod tu cæpiſti; tu ó Domina juſſiſti me ingredi in Societatem, prout te rogabam, tu quoque effice, ut in ea vivam, & perſeverem uſque ad mortem. Has inter precationum formulas, multas ille à Deo gratias, & lumina impetrabat.

Tentatio, timor ut perſeveret.

Si potuere iſti, patero & ego.

Nominatim ille clarè vidit, quo pacto Deus ſua dona hominibus conferret per manus Sanctiſſimæ Matris non aliter, ac ſol mundi oculus per radios inferiora illuminat; ac quando cælum per nubes dat pluvias aridæ, & ſitibundæ terræ, Hinc colligas licet, quam pura, quamque terrenis libera fæcibus illa mens fuerit, cui ſe divina ſapientia tam largè ſuperfuderit. Et ſanè cum vero affirmari poteſt, eum planè mundo mortuum extitiſſe, adeò & corpus, & animum habuit in poteſtate, & illud quidem ita edomuerat, ut videretur omnis ſenſûs expers. Solitudo illa non interpolari ſolita (namque prodire foras animi cauſâ, pro eo, ut antea in ſæculo aſſueverat, cælô quamvis parùm ſalubri, ferè nunquam ſolebat) continuæ vigiliæ in homine tam modici ſomni ad id temporis inſueto, quèm-

Deus dona dat hõinibus per Matrẽ, ut ſol per radios.

Corpuſculum aſperè tractat.

que lectuli durities non parcè fatigare poterat, (more namque noſtro culcitræ uni incumbebat, nudo ab aſſere parùm differenti) mirum quantum ipſum extenuaverant, itàque doloribus aſſuefecerant, ut nihil amplius doloris fractum corpuſculum, neque cilicijs, neque catenulis fortiter preſſum perſentiſceret. Poſteaquam ſex menſium ſpatio, quo Laureti verſabatur Julius, ad hunc perfectionis apicem aſcendit, viſa fuit eius virtus digna, quæ in ampliori theatro ſpectanda ſuam perſonam ageret, atque eam ob cauſſam evocatus eſt Romam. Pedes illud iter ingreſſus, primò ſtatim, alteròque die ita vires per ſe modicas attrivit, ut ſæpius in terram pro mortuo ceciderit, neque ſe facilè inde erigere multo tempore potuerit. Tertio die Dei bonitas tantas illi vires ſuffecit, ut fortis factus ſim, inquit ille, ſicut caballus, & pluvias inter, & lutum nudipes ambulare quiverim, quantum volui, abſque omni defatigatione. Non illi tamen defuit aliunde patiendi materies. Datus illi erat itineris ſocius Pater quidam nondum ex infirmitate, quam extantlaverat, ſibi planè, & plenè reſtitutus, cui Julius, ſeu ex vi morbi, ſeu ex moleſtijs itineris plus ſatis querulo, quantumvis ſumma cum caritate, & diligentia inſervire conaretur, parùm admodum ſatis fecit. Romæ alios ſex menſes, prout Laureti fecerat, humilibus officiis, & ſui ipſius contemptui dedit; donec demum á novo Præpoſito Generali, qui fuit Jacobus Leinez ſancti Fundatoris ſucceſſor, in Romanum collegium ad litterarum ſtudia tranſductus eſt.

Mittitur Romam.

Itineris ſocius eum egregie exercet.

Alij ſex menſes Noviciatûs

CAPUT IV.

Studia litterarum, quomodo in ijs ſe geſſerit Julius.

SIngularem animi propenſionem ad ſtudia litterarum, quam Julius propé ab infantia quaſi cum

cum lacte suxit, tum demum vel maximè demonstravit, cùm ad ea ex instituto applicatum se vidit. Audivit totam peripateticam Aristotelis Philosophiam, ex eàque theses publicè summa cum laude defendit, quo tempore etiam disciplinas rimatus est Mathematicas, varietate suâ, & multitudine persanè operosas, & difficiles, eâ cum profectûs commendatione, ut octo vel novem horologiorum genera suopte ingenio concinnarit, quadrantes quos dicimus astrolabia, & his similia instrumenta confecerit, destinando jam tunc illicium hoc suum ad capiendas infidelium animas, & ad fidem Christi pertrahendas. Quatuor annos Theologiæ dedit scholasticæ, & eodem tempore Casus, quos vocamus, Conscientiæ, & controversos cum Heterodoxis discussit: & in his omnibus sic profecit, ut meritus fuerit gradum Magistri, & postea Anno 1570. decimo tertio ferè post initam Societatem, Theologiâ cum honore propugnata quatuor vota professi, non concedi solitum, nisi hominibus excellenti virtute, & doctrinâ.

Defendit Aristotelē.

Studet Mathematicis disciplinis

horologia omne genus conficit.

Theologiâ propugnatâ quatuor vota profitetur.

Conscripsit ipse XL. omninò tractatus, & amplius, non minùs utiles, quàm doctos, de honesta conversatione hominis in quinque libros partitum, tritum admodum nostrorum manibus eum legendi percupidorum; maximè autem Genuæ expetitus, & lectus fuit magno cum fructu plurimorum. De Doctrina Prophetarum, & de modo eos intelligendi cum applicatione ad Mysteria nostræ fidei. Institutionem Episcoporum quadrifariam partitam, visam, lectámque à doctis cum emolumento singulari; quod opus multi docti expetierunt suo sumptu typis mandandum, & scio longo tempore sudasse sub prælo, mors unius ex Julij nepotibus intercessit imperfecto opere. De Praxi divinæ illuminationis, & præsentiæ Dei. De æternitate. De sancto timore Dei. Permultas Meditationes super Mysteriis missæ; non pauciores de Sanctissimo Sacramento. De modo concipiendi

Libri a P. Julio conscripti.

cipiendi animo contraria juxta se posita præsentis, & futuræ vitæ. De ornatu hominis interni. Modum concipiendi se ipsum, & alios, in quatuor libros distinctum. Explanationes quorundam psalmorum: item Cantici Te Deum Laudamus. De quatuor noviſſimis hominis. Apprehenſionem ſtatûs Beatorum explicati per nobiliores ſcripturæ figuras. Inſtructionem Confeſſariorum, & Pœnitentium. Tractâtum de materiis difficilioribus. De Caſibus Conſcientiæ celebrioribus. Conciònum, & ſermonum tomos duos. Inſtructionem pro ijs, qui in Societate ad miſſiones adhibentur. Inſtructionem eius, qui Exercitia dat alijs S. Patris Jgnatij. Inſtructionem pro ijs, qui mittuntur ad redimendos captivos: adeunt carceres, juvant dammatos ad tranſtra. Tractatum de Regimine. Tractatum de Electione. Praxin itinerum terrâ marique. Hiſtoriam itineris ab ipſomet ſuſcepti ad Turcas cum relatione proprietatum regionum, veſtium, morum illius temporis, proficiſcendo Conſtantinopoli in Italiam per regiones ſeptemtrionales. Denique de gemmis, balſamo, & aliis ſcripturæ pretioſis rebus, ubi etiam agitur de præcipuis unionibus, & medicinis, quæ hodie in uſu, & pretio ſunt, afferuntúrque ex India. Qui tractatus operâ unius Patris è Divi Auguſtini familia Venetiis aſpexit lucem cum titulo, Theſaurus unionum, opus dedicatum cuidam equiti de illuſtriſſima Familia Bragadina.

Nonnulla horum operum hodieque extant in bibliotheca Petri Franciſci Mancinelli à ſuperioribus Societatis ipſi tanquam pretioſus theſaurus donata. Quæ quidem opera omnia ſi non ſunt juris publici, & publicæ utilitais bono vulgata, cauſſa certè alia non eſt, quàm ipſius authoris modeſtia ſingularis; qui ſimul ac lucubrationi cuidam ultimam impoſuit manum, eam ad ſuperiores deferre ſolebat, ut de illa diſponerent; vel de licentia illorum dabat alijs,

alijs, quos, ut ipse dictitare amabat, fructuosiùs se illâ usuros crederet. Nicolaus Lancicius nostræ Societatis vir integerrimæ vitæ, scriptor in ascesi perquam celeber de patris Mancinelli operibus asserit, se illa non facilè sine lachrymis, & pijs motibus volutâsse. Sacerdos sæcularis, qui nunquam sibi persuadere poterat, ut mundo valediceret, lecto Mancinelli tractatu de Vocatione ad statum Religiosum, manus dedit. Et multi, quibus Diabolus suggesserat, ut redirent ad sæculum, in sancto proposito fuerunt confirmati. Juvenis quidam viginti quinque annorum, professione scriba, cùm de horâ, quâ cum sua rea amica cupiebat convenire, jam inter eos constitutum esset, quòd ad alterius cujusdam petitionem describendam Meditationem Patris Mancinelli de Inferno suscepisset, & reipsa describeret, totus inter scribendum immutatus blandam à se pestem rejecit, & ipse ex horrore Inferni salubriter concepto coactus est decumbere. Atque hi erant fructus, quos Julius ex fuga otij, cujus semper & in studijs, & aliàs capitalissimus fuit hostis, referebat. Ex solis horis, cùm licebat, usitato recreationum tempori subtractis, computando quadraginta annos, reperit ille alios viginti, qui alioqui perijssent, sibi superâsse. Quo in negotio juvat ipsissima Julij admetiri verba, ex quibus, & quantum ipse otium aversatus fuerit, & quid de Religiosis sectari otiositatem solitis senserit, clarè patebit. Sic de se ipso, quasi de tertio loquitur. Valdè ipsi profuit studiorum tempore, prout à puero solitabat, odisse, & averruncare otium, & ignaviam, ut non dicam supinam socordiam; cujus tamen plerumque â secularibus insimulantur multi religiosi; & propterea in longum distulit Religionis ingressum. Etenim semper mentem illius ea remordebat opinio, religiosum confabulatorem otiosum, qui cum externis, & domesticis solùm fallendi temporis caussa multus agit,

Laus operum P. Julij Mancinelli.

Hostis capitalis otiositatis, & otiosorum.

neque hoc unicè quærit, ut animum vel ægritudine, vel contentione laboris fessum non nihil relaxet, jure merito comparari cum eo posse, qui conductus ad operandum in vinea, pro opere in herbam se abjicit, & in umbra cessator meridianus stertit. Atque hinc per paucos vidit intra religionum claustra spiritus generosos, & strenuos, qui constanter, & solidè incumberent ad ipsorum finem proprium, qui est perfectio, consequendum; raros item, & perexiguo numero novit sincerâ, germanáque complexione firmos, sed ut plurimùm decoctâ, debili, vitioso humore intercute suffusa, quam non vel atra, & flava bilis jam infecerit, aut otium fregerit, aut commodorum, aut illecebrarum enervaverit consectatio; permultos autem invenit cerebro corrupto, vi titubantes imaginandi, & multò plurimos inertes, frigidos, incurios, qui si mansissent in sæculo, cum fame illis, & ignavâ paupertate luctandum, quódque pejus, ut imprudentes, audaces, præcoces linguâ, conversatione insulsi, affectantes sub umbra libertatis arrogantiam sibi, & authoritatem; aliorum modestia, & silentio abutentes inter mundanos nullo numero, irrisui, despectui fuissent habiti, & forsan etiam à vitreæ patientiæ, sui similibus hominibus sæpe verborum grandine depexi: prout id sæpe usu veniisse in ijs, qui retrò pedem tulêre, compertum est. Ac propterea ægrè admodum ferebat, si superiores in his corrigendis lentius agerent, aut de eorum emendatione desperarent, aut in ijs, quæ fieri non possent, reponerent.

Otio corrumpuntur animi & corpora.

Huc usque Julius adversus Religiosos otio marcentes. Nec ipsos verbis magis, quàm exemplo reprehendit: id omne tempus, quod ei studia summa cum diligentiâ tractata fecerant reliquum, impendit ijs officijs, quæ & corpusculum moderatè exercerent, & animum ad submissionis, caritatisq; studium inflecterent. Et horum subin-

Etiam Exemplo otiosos reprehendit.

de

de octo insimul ejus curæ sunt demandata ; qualia fuêre, manè pulsare campanulam ad surgendum , excitare cæteros è somno , vespere visitare cubicula post examen , fratrum junjorum in triclinio , & culina gerere curam , verrere ambulacra Collegij, ciborum reliquias pauperibus deferre ad portam , eas distribuere : quibus in locis aqua deficeret , de illa providere , & his similia complura. Nec intereà omittebat invisere hospitales domos , carceres , nosocomia,componere conciones, ac sermones in missionibus suo tempore habendos. Quos sanè nequaquam contemnendos , & assiduos labores austeritate quadam , & rigore solitariæ vitæ comitatos , faciles ipsi , & jucundos usus reddebat ipse , prout de sua quadam perpetua mortis meditatione , & brevitate vitæ scribens memorat. Quoniam verò tempus breve datum sit nobis ad serviendum Deo, oportere non sinere elabi illud frustra , si promereri velimus divitias gloriæ in cœlis semper duraturæ. Ita intellectu , & voluntate optimis virtutibus instructus Julius evasit optimum Societatis instrumentum promovendi honoris divini. Et societas statim eum ad competentia applicavit munia , felici semper exitu , quocunque eum ministeriorum genere vel gradu collocasset. Namque docendi in munere , quod summa cum laude , & virtutis, ac Sapientiæ existimatione Senis,& Florentiæ obivit , egregia haud vulgaris sanctimoniæ , & doctrinæ reliquit exempla. Inde Minister , Procurator , dein Rector quatuor Collegiis præfuit. Adhæc sancti Francisci Borgiæ jussu primus Magister Novitiotum ad divi Andreæ Romæ renuntiatur , quod utique signum est manifestum præclaræ sanè opinionis , quam S. ille Generalis de eo habuit , quo scientiorem , aut feliciorem dandi Exercitia Spiritualia tam nostris , quàm externis non facilè reperturum se crederet. Quibus in muneribus quâ modestiâ , & exemplo

Domestica officia caritatis & humilitatis.

Occupatur & foris.

Munus docendi summa cum laude obit.

Magister Novitiorum jussu S. Franc. Borgiæ.

suis præluxerit, equidem humilis Dei servus scriptum non reliquit, cùm tamen certum sit, eum, sicuti sæcularibus purissimum absolutæ probitatis speculum se exhibuit, ita non minùs in Religione suis subditis raræ admodum perfectionis formam, & ideam extitisse; præsertim verò in Novitiatu, ubi præstantissimos educavit alumnos, id quod ille solum in genere quasi aliud agendo, & in alio proposito de uno solo nominatim pronuntiat, ex cujus tamen imagine facilè de alijs formari judicium queat. Fuit hic Pater Bernardinus Consalonerius, applicatus ad summa in Societate Officia, in quibus præclarissima cum prudentiæ, tum virtutis, ac sapientiæ singularis dedit specimina. Cursum vitæ absolvit Romæ, cum Italiæ Assistentem præclarè compluribus egisset annis. Fuit etiam P. Julius electus in Præpositum Provincialem; verùm id officij, & honoris eâ contentione deprecatus est, ut Generalem denique in eo deferendo desistere, & cedere modestiæ oportuerit, pro eo, ac in articulis sæpè nominatis lego, & invenio notatum.

Exemplũ & idea absolutæ virtutis.

Præstantes ex ejus disciplina viri.

Electus provincialis officium deprecatur.

Verbum Dei explicare populo, pro suggestu dicere fuit ipsius perpetuum velut officium, quod à vicesimo quinto ætatis anno usque ad sexagesimum quintum nunquam interrupto temporis filo protraxit; & si verum est, ad quod eum dicendum sua compulit modestia, ad id muneris non plurimùm valoris, neque firma admodum latera, aut robur lati pectoris attulit, majorem ipsi vim & gratiam ad habendos sermones conferente Deo. Quia tamen maximi ejus concionum extitere fructus, prout videbimus infra, fatendum est, Deum mediocritati talenti miras suppetias accommodasse. Frequens etiam ad Missiones adhibitus fuit, quarum formam, & ideam pro numero habendarum concionum in horas rusticanæ plebi peraccommodas distribuebat. Modum tradendi Fidei myste-

Concionator quasi perpetuus.

Item Missionarius.

mysteria, ac juvandi Conscientias fuit ille primus, qui in Italiam introduceret, quo in genere mirabiles operatus est animarum conversiones, inimicitias sustulit, pacem, & concordiam stabilivit. Denique Episcopi, Archiepiscopi per Italiam complures beatos se putabant, si in visitandis Episcopatibus assistentem, & socium habere potuerunt P. Julium. Non nunquam eum secum circumduxerunt, aliàs eum solum miserunt, sæpe eum interesse synodis tanquam Theologum voluerunt; ejus decreta, quæ ipsi visa sunt reformandis moribus idonea, libentissimè approbarunt, confirmarunt. Atque hi fuêre fructus, & utilitates, quos Julius ex studiorum suorum laboribus retulit, quorum promulsidem hic aliquam meo lectori dari oportuit, cùm infrà suis locis de ijs pleniùs iterum ex instituto sit agendum.

Assumitur ad visitandas Diœceses.

CAPUT V.

Confessiones, & Conversiones Magnorum peccatorum.

INter omnes fructus, quos Apostolici operarij per suos sudores, & labores colligunt, nullus æquè divino arridet palato, quàm qui ex radice surgit, & oritur amaræ metaneæ, sive pænitentiæ, irrigatus vivo, ac profundo liquore cordis contriti. Hujus generis fructuum copiosissimam messem collegit falx, & caritas Julij. Hic absoluto omnium scientiarum, quà discendo, quà docendo, curriculo deputatus fuit ad confessiones excipiendas, quo in munere tantum à Deo consecutus est donum, ut maximum summorum peccatorum numerum toto tempore, quo exomologesibus dedit operam, converterit; non autem prius huic labori coronidem imposuit, quàm vitæ usque ad annum octuagesimum primum pro-

Mirum donum excipiendi Confessiones.

tractæ. Et in hoc Julij caritas erga peccatores vicit superiorum de se curam, & sollicitudinem, volentium eum ob devexam nimium ætatem hoc ab onere habere eximium. Inter omnes ad hoc munus deputatos non erat facile Julio constantior, & promptior. Sub auroram mox ad sacrum tribunal se contulit, non inde discessit, nisi ultimus, & serum sub vesperum: neque sanctum illum laborem interpolavit, nisi cùm faciendum esset ad aram, dicendum pro concione, aut refectiuncula in prandio libanda. Acriter invehi solebat in eos confessarios, qui tantum dicis, aut fallendi temporis caussâ ad confessiones audiendas accedunt, & nihil illic molestiarum, aut incommodi exantlare volunt, dicere solitus, illos esse homines animo viles, ignaviâ insignes, nullius Spiritûs, nullius Zeli, in amore Dei, & proximorum perfrigidos. Zelus iste caritatis, qui summum in Julio locum obtinebat, caussa fuit, ut multò libentius se ad infima subsellia, & personas demitteret, quâm ad sublimes, & divites; etenim istis nequaquam confessarium deesse solere, qui ipsos audiat, non item illis. Carceres, cauponæ, domus hospitales, remiges, transtra, thermæ, ergastula visebantur ab eo identidem, & licet inter eos fœtores sæpius animi deliquium pateretur, reputabat tamen has ille suas delicias. Constantinopoli, Algieri totam concubiam noctem traducebat in confessionibus audiendis, inter horribiles putores, & catenarum strepitus, non aliam secum auferens mercedem, quàm stipatos animalculorum greges, qui ei adhœserunt. Hos ille non excussit, neque venatione persecutus est, sed ejus loco perrexit animas venari per stabula diversoriorum, illarum exomologesibus dans operam.

Ejus in hoc munere constantia.

Confessarios quales nollet.

Infima subsellia prensabat.

Julii deliciæ.

Quibus pœnitentibus gloriaretur.

Et est jucundum audire ejus inter miserias gloriationem, habuisse se inter pœnitentes ultra pueros, cæcos, claudos, agrestes, mendicos, mancipia, mente captos, latrones,

nes, nautas, plurimos etiam satellites, accensos, lictores, & non unum denique carnificem. Non defuere contrà multi principes viri, Prælati, Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales, qui gloriarentur uti se confessario Julio Mancinello, cujus amplissima charitas, nescia excludere ullum hominum genus, etiam varias complexa nationes fuit, quarum caussâ varias quoque linguas laborioscè perdidicit. Audiebat Gallos, Hispanos, Belgas, Sclavos, Walachos suis usos linguis, omnes denique populos latinè callentes; Et, quod omnem admirationem excedit, (& asseritur in articulis sæpiùs allegatis) eum in dando operam excipiendis confessionibus, intellexisse illarum gentium linguas, quas extra confessionem non intelligebat; & vice versâ, illum fuisse ab ijs intellectum, dum confitebantur, & non alio tempore. Hoc ipsi usu venit cum Arabibus, Polonis, Germanis, & alijs compluribus, Latinæ, & Gallicæ linguæ ignaris, ac propterea graphicè lamentabantur à se non reperiri, qui ipsorum audiret confessiones. Atque hinc, ut ipsos cum solatio dimitteret, præmissâ brevi, sed efficaci ad Deum precatiunculâ, eos audijt, seque invicem intellexerunt, non item post, quàm ritè omnia, quæ ad Sacramentum pertinebant, fuerant peracta. Ac quod fortasse majorem meretur stuporem, ut absque obstaculo utrinque procedi in hoc foro posset, etiam mutis impetravit eatenus loquelam, & surdis auditum, denique & fatuo nonnemini sapiendi facultatem: Nec hoc solùm: abscondita cordium pernovit, & inspexit lumine ipsi divinitus concesso: revocabat confitentibus cum summa ipsorum admiratione in memoriam peccata, quæ ipsi jam obliti fuerant, aut ex professo tacuerant, sibi solis, nemini alteri cognita. Nimia quorundam confessionis in plurimos annos dilatio non illum morosum reddidit, sed potius animos, & alacritatem addidit, ut applicatiùs attenderet,

Viri principes cum à Confessionibus petunt.

Omnium nationum prope homines audiebat.

Mutis impetrat loquelam.

Longæ confessiones non eum reddunt morosum.

deret, & manſuetiùs cum hujuſmodi ageret. Vnde cùm magni ſubinde peccatores propter difficultates, & nodos, quos afferre ſolent, ſæpius ex tempore non facilè ſolubiles, ab aliis confeſſarijs rejicerentur, ipſe hos tales cupidè venabatur, & ad ſe attractos in numero & catalogo ad ſe conſtanter accedentium reponebat, cúmque illis admiſſa ſcelera confuſis lachrymis deplorabat. Quod ſi forſan ſtato tempore non redijſſent, ipſe illos circum curſans tempore ſibi perincommodo quæritabat. Adeò amor Dei, quem unum in ipſis reſpiciebat, dulcem illi, & ſapidam reddebat peccatorum converſionem. Confiſus de hac ſolidiſſima Julij caritate Gregorius XIII. fel rec. largitus eſt ipſi facultatem peramplam Hæreticos, Schiſmaticos, Apoſtatas, Infideles cum Eccleſia reconciliandi: nec opus erat alio apparatu, quàm ut id fieret ſimplici, & privatâ abjuratione errorum. Et horum confeſſiones, qui ſe magno numero apud Turcas converterant, quæ erant breviſſimæ, repetebantur à quindecim, & viginti annis, cæteræ omnes à triginta, & amplius annis, vel etiam à tota vitâ, præſertim eorum, quos renegatos dicunt, uti & mulierum Chriſtianarum Turcis nuptarum. Quoniam autem advertit interrogatos, quantùm temporis abijſſet, cùm ſe in confeſſione accuſant, id plerumque ex profeſſo cælare velle, ne, prout dicebamus ipſis factum ab alijs eſſe confeſſarijs, tanquam non audiendi repellerentur; Non, non faciam ego ſic, inquiebat, imò dimittam potius omnes alios, propter vos, qui vel maximè indigetis confeſſione, rogabatque, ut adducerent hos tales ad ſe, qui multum haberent temporis à peracta exomologeſi, illiſque teſtarentur, P. Julium ipſos examinaturum cum charitate, abſque ulla ipſorum moleſtia, & impoſiturum pœnitentias, ut vocamus, leves admodum, & faciles. Pro eo, ac loquebatur, ſic examuſſim factitabat.

Ab alijs repulſos libenter acceptabat.

Greg. XIII. ei ampliſſimam dat abſolvendi facultatem.

Comitas Julii in recipiendis peccatoribus.

Patri

Patri Julio inter primos debetur Romæ introducta consuetudo cursandi per compita, & vicos platearum, ad navigia in litoribus, illicque rudi pubi prædicandi verbi Divini, item pauperem turbam festivis diebus. ad confessionem invitandi. Neq; verò hic facilé omnes ejus ingeniosas memores industrias, quas ipsi suus dictabat zelus, in pertrahendis ad Confessionem hominibus, qui id minimè cogitaverant. Per pagos, & castella, ubi invaluerat abusus non expiandi animum confesione, nisi rarissimis quibusdam per annum solleñitatibus, cúm frustra quateret corda induratorum, auspicabatur oppugnationem, quâ parte facilior se spes victoriæ ostentabat. Sumebat initium á parvulis: hos sacro aliquo allectare munusculo conabatur; quorum exemplum posteà paulatim secutis adultis nemo unus remanebat inexpiatus. Idem factitabat cum dammatis ad remos, ubi cúm nemo primus esse vellet, incipiebat ab infirmis, & junioribus, & in hunc modum sensim disponebat & cæteros, quamvis in principio multùm renitentes. Semel rogatus à Navarcho, ut triremes Neapolitanas expiaret, cùm ne unus quidem reperiretur, qui id secum fieri permitteret, conversus ad præfectum, eja, inquiebat, tu id feliciús exemplo, quàm Authoritate persuaseris, præeuntem sequentur. Cùm Navarcho non sufficeret animus rejiciendi invitantem, secuti eum fuere ad unum omnes. Vtebatur & alio artificij genere, cui nomen dabat Venationem spiritualem. Quos magno cum labore iam converterat homines passim pro sceleratis habitos, adhibebat adalios cicurandos Venatoris instar, qui efferatas feras per cicures mansuefacit. Hos â se invicem separatos collocabat inter obstinatos, & ad vocem Divinam surdos, quà illos percellere ad pœnitudinem satagebat; perseverantibus his contumacibus esse, monstrabat illos recens ad confessionem proclives, & alacres ac si nunc primùm converterentur; hos ablegabat ad confessi-

Ingenium in pertrahendis ad confessionem hominibus.

Exempli vis.

Ejus venatio Spiritualis.

Mira dexteritas cò-vertendi obstinatos.

onem, qui nutui Julij obsequentes cœteros exemplo & cohortatione ad idem faciendum inducebant; & isti, sancti stratagematis ignari etiam à Deo sperabant misericordiam consecuturos, quam viderent consecutos majores se peccatores. Ita ingeniosus amor non solùm Dei servos facit piscatores, verùm & venatores hominum. Et harum præda usque adeò jucunda solet accidere, & si unica esset hujusmodi ferarum, ut super eâ fiant plausus, & gratulationes in paradiso. Si quando verò suaves hæ Julij inventiones cecidissent in irritum, tum enim verò accensus Zelo, & indignatione contra reos, qui in culpâ, ac morâ essent, Divinam ipsis, humanámque minitabatur vindictam, ni resipiscerent. Et valuit sæpè incussus terror ad perfidiam, & obstinationem perfringendam.

Commiseratio in impios.

Quo in proposito relatu dignum censeo, quod in quadam Italiæ civitate cum nobili, & juvene vidua ei contigit. Hæc cùm moribus esset haud sanè probatis, contumacissimè repudiavit confessionem. Legationem ad eam misit in hunc sensum; aut veniret ultrò ad exomologesin obeundam, aut preces se fusurum ad Deum, ut eam permolestus invaderet morbus. Non secus evenit, ac precatus est. Intra triduũ adeò ei intumuit venter insigni cum doloris cruciatu, ac si gravida ferret uterum. Vexatio minimè simplex, & morbi, & infamiæ, cùm nollet videri, quod non erat, reduxit illam ad officium, ac mentem saniorem. Venit confessionis caussâ ad P. Julium, quâ ritè obitâ, mirum dictu, tumor extemplo resedit, cessavere dolores. Hæc paterna correctio valuit, ut postea in aliam mutata multo cum spiritu inchoaverit, & prosecuta sit vitam. Videmus complures confessarios affici tædio laboris, cùm ingentem ante se numerum conspicantur volentium confiteri, aut cùm lapis iste in longum volvendus est tempus: non ita Julius: afficielatur tœdio, cùm rari,

Contumacis viduæ pœna & resipiscentia.

Non terretur affluxu pœnitentium.

aut

aut nulli apparerent nantes ante ſua ſubſellia; & tunc circumjens templum, ubi fortè pauperculam quampiam reperiſſet ab alijs neglectam, hujuſmodi perſonam gaudens ad ſe pertraxit, eámque confeſſione expiatam cum ſolatio dimiſit. Multò magis relucebat ejus charitas in quærendis peccatoribus extra templa, percurſabat compita, & angulos, in quibus reæ illæ fœminæ deliteſcunt, quæ cauſſæ eſſe ſolent tot interituum & temporalium, & ſempiternorum. Quibus in caſibus protractâ de ſinu Crucifixi, quem ſemper ſecum deferebat, imagine, ecce! dicebat ad malè ſanos, ecce Servator veſter, & Redemptor, qui ad vos quærendos deſcendit in terras, ut vos ad flenda veſtra peccata adduceret. Non videtis, quo pacto mali Dæmones per portas, ac feneſtras erumpant, vóſque per harum meretricum laqueos pertrahant ad flagitia, vóſque præcipites agant ad inferos? Decernite tandem alterutrum de duobus; Vtrum arridet? Aliàs ſecum portabat mortuorum calvas, aliàs agmen graviter ſe verberantium deducebat. Et fuit mos iſte, quem ipſos quatuor per annos conſtanter tenuit, uſque adeò efficax, & ſalutaris, ut ſubinde centenos ſecum peccatores ad templum mille paſſibus diſtans ad confeſſionem perduxerit. Illarum autem, quas dixi, mulierum complures reconciliavit Deo: & ſemel lucroſo ſanè fœnore decem, & octo; prout affirmant illi ſæpè nominati pro ejus Apotheoſi formati articuli. Neque verò dubium eſt ullum, quin ille omnium corda ad frugem facili negotio reduxiſſet, ſi perinde alij, divites maximè, ſicut ille linguam & manum pio admovit operi, ſic illi manum miſiſſent ad crumenam, quò converſis eſſet, unde viverent. Nec his includi ſe paſſus eſt limitibus Julij Zelus; progreſſus eſt porrò ultrà ad ultimum propriæ vitæ diſcrimen, ut mortis è faucibus eriperet peccatorum animas. Remis alligatorum in mari, in noſocomijs infirmorum fœ-

Apoſtrophe ad ſeductores, & ſeductrices.

Calvæ mortuorum. Flagellationes.

18. Proſtibula adducit ad confeſſionem.

tentium, & contagiosorum, peste infectorum, quos nemo non vitaret, & quotquot miserorum, aliter excipi non poterant, prosternebat se ad latera, & auriculâ eorum oribus applicatâ jacens excipiebat confessiones: nec rarò putentes in stomachum halitus demittebat; qui, nisi Deus servum suum salvum conservare decrevisset, mortem ipsi hercle indubitabilem attulissent. Semel incidit in fæminam totam leprâ obsitam octennio ipso affixam lectulo; carendum ipsi fuerat Sacramentorum solatio totidem per annos ob nimium sacerdotum horrorem, ne quid mali, si ad ipsam propriùs accederent, afflatu contraherent; cum patientia eam tractavit Julius, & ejus confessione amanter auditâ per id exempli facilè curionem induxit, ut sacram ei synaxin ausus fuerit impertiri. Quin imò non rarò ipsi usu venit, ut, quorum animas sanabat per exomologesin, etiam à corporibus tenaces depelleret ægritudines. Et videbatur inisse cum Deo pactum, uti is ad se graviſſimos quosque peccatores destinaret, & si parere recusarent, periculosos immitteret morbos, quos inde Julius auditâ eorum confessione persanaret. Certum porrò est, eum semper orasse Deum, quò pessimi quique ad se accederent. Fuit autem usitari quasi miraculi instar, quoties illi cunque in mentem venit solitæ illius orationis fundendæ, toties à Deo aliquem submittendum, quippe alioquin hujusmodi ei instinctum ad precandum minimè suggesturo.

Fœmina leprosa.

Mutuum cum Deo pactum.

Probationis ergò nonnulla placet afferre exempla, in gratiam lectoris, & animandis confessarijs. Neapoli in suburbanis Mater quædam multùm afflicta degebat: caussa erat, quòd unus filiorum quindecim ipsos annos abstinuerat ab exomologesi, nec ulla ratione adduci ad eam potuerat; recurrit Mater ad Patrem Julium; hic solatus eam jussit, rogaret Deum, brevi suppetias laturum. Biduô post videt patrem alia de caussa ædes suas prætereuntem, pro-

Ejus rei exempla.

properè eum secuta orat, succederet domui suæ, in qua filius æger decumbebat ad mortem, jam planè fandi impotens. Successit pater, induxit eum ad confessionem, in qua, quanto amplius progrediebatur, tanto fiebat loquendi, & virium potentior. Sub finem febris priùs ardentissima omninò eum reliquit. Præcepit filio, ut in alterum diem sacram synaxin accederet, & matri, ut eum ad illam, prout posset, adduceret. Obedivit per omnia licet cum labore corpusculi. Refectus de manu P. Julij, integer, valénsque ex toto reversus est domum. Florentiæ in templo adijt eum homo pauper confessionis caussâ, ex quo scisscitatus est Pater, cur id diei nempe professi accederet ad confessionem, tempore nec ejus conditioni, nec pietatis studijs satis accommodato. Dominus meus JESVS Christus, respondit ille, me huc misit, & si quidem scire desideras, quare? equidem libenter dixero. Tribus mensibus æger lecto tanquam clavis affixus decubui, omni ope, & auxilio ego, familiáque, quantula est, destitutus; jamque me malus Dæmon eò vecordiæ perduxerat, ut, quandoquidem Deus nec in ultimo quidem hoc articulo suppetiarum nihil afferebat, statuerim apud me (prô dolor!) abjurare Deum. Antequam tamen in id præcipitij provolverer, rapior obtutu in imaginem Christi spinis redimiti prope lectum pendulam (crucem humeris gestabat) interim dum ego per mille suspiria, & gemitus imis ex præcordijs ductos dolorem meum cum lacrymis exprimo, mirum! & ipsus mihi collacrimavit Christus, solatus est me, animavit me, præcepítque, conferrem me ocyus ad hoc templum vestrum: confiterer uni vestrûm, unde subitò strato consurgens tuis me pedibus hic provolvo.

Christus mittit peccatores ad P. Julium Florentiæ.

Perusij cúm P. Julius daret operam feriâ secundâ Paschæ confessionibus excipiendis, stitit se juvenis quidam apud ipsum, viginti tres annos, ut videbatur, natus. Quæ-

Perusij.

rit ex eo pater, quantum temporis ijſſet inter poſtremam, & hanc, quam faciendam aggrederetur, confeſſionem; & compertô annum integrum fluxiſſe, ut eum ab hac mala conſuetudine obeundi tam rarò confeſſionis Sacramentum avocaret, dicit illi dulcia verba. Et ô bone! videtúrne tibi factum benè, confeſſionem tam diu diſtuliſſe? Vade in pace, non te audio. Tunc juvenis, ô Pater! ſi ſcires, quis me huc mitteret, non equidem loquerere ſic, audires me extemplo. Ecquis igitur te huc miſit? ſubjungit pater; & ille, noſtra Domina, inquit, me mittit huc, & rem à capite exorſus in hunc modum exponit. Scito mihi inimicum fuiſſe capitalem. Hunc ego pluribus locis, & temporibus quærebam ad necem manibus meis inferendam: Demùm ſtatui illum è medio tollere noctu die Veneris ſancto. Quare illum præſtolor cum armis propè hortum, ubi illi tranſeundum erat ad concionem de Paſſione Domini audiendam. Antequam autem illuc me conferrem, ingredior ſacellum ſalutaturus B: Virginem (ſic meus ferebat mos) quoties illic prætereibam. Tunc (totus commoveor memorans) Beatiſſima Virgo ad me converſa ſic me affatur. Miſerum te! quò ruis? ecquid cogitas? Deus malum hoc averruncet à capite tuo. Vade, ignoſce, ini pacem, ac Jeſuvitas adi, confitere. Quô auditô tute ipſe facilè colliges, quid mihi animi fuerit, quàm totus immutatus, quamque confuſus veſaniam meam deteſtatus fuerim. Vbi primum domum veni, Matri factum ex ordine denarro, cæteris de familia expono; magno illos ſolatio perfundo. Offero pacem ei, qui me toties illam fruſtra rogaverat. Eandem à die Veneris ſancto ad hanc uſque diem ritè conſcivi. Et nunc, ut faciam, quod imperavit Mater ſanctiſſima, hic me ſiſto, paratus confiteri. Suprà quàm dici poteſt, lætus P. Julius paternè ipſum excepit, & auditâ ejus confeſſione opti-

Etiam Beatiſſima Virgo mittit peccatores ad P. Julium.

Mirabilis ſanè ignoſcentia.

optimè aninatum dimisit. Romæ præscius P. Julius sequenti die toto sibi jus dicendum pro tribunali ad confessionem accedentibus, more solito se ad id muneris accinxit, oratiunculâ præmissâ Deum rogans, ut insignem ad se peccatorem destinaret.

Eandem gratiam manè in oratione,& inter litandum repetijt. Secundum quæ confert se ad dicasterium. Quô vix occupatô ecce tibi, Juvenis se sistit viginti trium quasi annorum. Pater suspicatus id, quod erat, hunc nimirum fore, quem Deus mitteret, lætus hominem excipit, rogat, an forsan recèns admodum esset confessus? respondit ille subfrigidè, quem scilicet sui ipsius dispuderet, utpote, qui nec per matris cohortationes, nec per sororis monita fœminarum cætera pietati,& honestati peraddictarum, nec per occasionem recurrentium Jubelæorum adduci unquam potuerat, ut se reum in hoc foro ageret, sub involveris, inquam, vocum perambiguarum dixit denique, ante aliquot annos, at nunc se, quamquam suam præter consuetudinem; Ex quo nocte; inquiebat, prægressâ inter dormiendum audivi vocem expressam dicentem mihi; Confitere apud P P. Jesuitas, statuisse se velle in officio esse. Quam vocem excitatus & vigil iterum audio; percellor, commoveórque animo; difficultas confitendi, quâ antea occallueram, momento labitur; nox videbatur longa crescente cum mora desiderio. Audijt illum Pater Julius, & inter alias imperatas, & acceptatas pœnas etiam hanc imposuit, ut duos per annos in singulos menses semel confessionem obiret, &, ut posset oscitanti vellicare auriculam, voluit de illius domicilio cognoscere. Mensis fluxit, homo non comparet. Julius, qui priùs omni die preces pro eo fuderat, tunc validius instaurat vota, proponit illum adire; verùm nunc inopiâ socij, nunc memoriæ lapsu res protrahebatur in longum. Aliquando tan-

Quas pœnas in confessione præscribetet.

tandem ipsum sub vesperum, cùm subire ostium Collegij vellet, redit memoria hominis. At verò tunc prodire vetabat regula, jubens ante noctem reverti domum. Nihilominus cùm rem gravem esse intelligeret, quæque excusationem apud superiores mereretur, capto in arenâ consilio eum adit, invenit hominem decumbentem, morti vicinum, certum tamen, & firmum non confitendi, per quicquid amici, & curio urgerent. Viso Patre Julio statim ejus fuit in potestate, eo adhuc vespere peragere confessionem voluit, tametsi aliud propter noctis vicinitatem suaderet Julius. Eum tamen sororum una detinuit, metu, ne ægrotus ea nocte loquelam perderet, prout eam nocte antegressa amisisset. Etiam hic confessio medicinam attulit corpori; æger enim post biduum sanus, & incolumis prodeambulavit. Julius revertens domum janitorem reperit alia de caussa in reseranda januâ occupatum, quamvis jam serum noctis processisset, & ipse superiori de mora Julij nil indicasset. Ex quo manifestum fit voluntatem fuisse Dei, ut Julius ad juvandam illam animam id temporis exiret. Juvenis ille cum matre & sorore multos in annos provixit, ac demum post exactam vitam Christiano homine dignam optimè ad mortis ictum dispositus decessit. Non solùm invaletudine hominum usus est Deus in lucrum animarum, ut eximio P. Julij satisfaceret Zelo, etiam cacodæmones ipsos compulit, ut suam ad id operam quamvis inviti conferrent. Ne prolixiores justo simus, & ut tandem hoc caput concludamus, unum de multis exemplum in medium affero. In quadam celeberrimâ civitate, Româ plus sexcentis, & amplius millibus distante, receperat se pater Julius in quoddam religiosorum virorum cœnobium.

Divinitus monetur de adeundis ægris.

Confessio etiam medicinam corpori attulit.

Hic eum vir adit honoratus inter suos in paucis, suum apud eum animum confessione expiaturus. Linguam ei,

ei, & os verecundia per decem, & novem annos integros occluſerat, ne enorme quoddam peccatum ab eo commiſſum fateri auderet, continuis interim ſacrilegijs periculoſè involutus. Viſum eſt & huic injungere, quam ſuprà diximus, pœnam, ne rariùs per biennium, quàm ſemel quovis menſe ſe ſiſteret ſacerdoti. Primo ſtatim menſe pœnitens defuit officio. Quare itidem pro hoc preces accumulat; Ecce autem octiduô poſt videt eum ultrò ſe adeuntem, dum lætus ſe ad audiendum comparat, intelligit ex eo, quo pactô depoſitâ omni confeſſionis cogitatione nocte præcedente Dæmon in forma bufali apparuerit, furioſo curſu lectum impetentis, ex faucibus, naribùſque, horrendum viſu! flammas cum ignibus eiaculantis. Quo formidabili ſanè ſpectaculo territus evigilo, conjugem inclamo, excito, quæ identidem ſalutiferum Crucis ſignum efformans, & iteratò ingeminans ſanctiſſima JESV, & MARIÆ nomina invocans monſtrum illud fugavit: Quod cùm feciſſet, nudato poſteà brachio, ecce ſignum uſtulationis in eo cernebatur à combuſtione illius infernalis monſtri relictum. Julius reverſus in Italiam, cùm octo poſt annis tranſire per eandem civitatem, in qua novus iſte caſus contigerat, eum oporteret, nihil tale ſuſpicatus, feſtinus evocatur ad ægrum moribundum. Excuſavit ille linguæ inſcitiam, verùm intellecto, ægrum optimè callere Italicam linguam, & ni accelerarctur negotium, periculum eſſe, ne infirmus fandi poteſtate dejiceretur, aut omninò voluntatis ſuæ tam ſanctæ propoſitum deponeret, prout per tres omninò menſes ſemper illud rejeciſſet, properè eò ſe contulit, & dum ejus excipiebat confeſſionem, cognovit planè eundem illum eſſe, quem quondam bufalus ille perſonatus aſpectabilis tantoperè terruiſſet; quòd certè permirum videri debet; Nam vix pater eam in civitatem appulerat, eo penitus ignaro, ſic utique à Deo admo-

Peccatum enorme per 19. Annos tacetur.

In tranſitu evocatur mirabiliter ad ægrum.

nitus statim petijt confessarium, & confessus accepto sacro viatico post triduum migravit ad dominum. Pater verò suum prosecutus est iter. Hujusmodi complura alia adduci exempla possent ingeniosæ Julij charitatis, quâ in reducendis ad exomologesim peccatoribus usus est, liberantis nonnullos à morte temporali, quam alij ipsis machinabantur, inferendam; alios ab æterna, alios à pudore, & obstinata peccatorum reticentia, alios denique ab angustijs rei familiaris ipsos ad desperationis barathrum impellentibus. Reduxit etiam multos Regulares ad suos ordines, à quibus Apostatarum ritu defecerant, cogendo quasi Deum ipsum per suas preces, quas ipsi offerebat, ad dandum, quod per eas Julius nitebatur obtinere. Atque ut mundo constaret, P. Julium in excipiendis confessionibus non tam suum, quàm caritatis judicium, & obedientiæ regulam secutum, cùm ei Pizzofalcone in novitiatu Neapoli ob virium defectum munus hoc sacrum interdiceretur à Superioribus, extemplò à sibi alioquin tantopere dilectâ provinciâ manus abstinuit, nec verbulo in contrarium allato. At verò jam tempus est ejus Zelum etiam in alijs societatis proprijs ministerijs, si libet, inspiciendi.

Reduxit multos Regulares ad suos ordines.

Jussus statim intermittit confessiones.

CAPUT VI.

Modus, quem tenuit in Concionibus. Quædam ejus Peregrinationes.

Ejus Concionandi talentum.

SI Patri Julio credimus de se narranti, haut sanè summum fuit ejus concionandi talentum ob laterum infirmitatem, & insitam quandam à natura verecundiam, quæ ipsius dicendi genus minùs forte, & invalidum reddebat; scivit nihilominus illud tam fructuosè & utiliter impendere, ut propter divini afflatum spiritûs: qui ipsi nunquam non dexterrimus aderat, mirè auctum quàm plu-

plurimas animas in paradiſi viridaria invexerit. Et quanquam in concionibus ſecundum regulas benedicendi factis maximos ſæpè plauſus retulerit ab auditoribus univerſis, faterentúrque ultrò Cardinales, alijque ſummi viri, ſe non audiviſſe ſimilem Orarorem, hos tamen ille plauſus non ſecus accepit, quàm pro dulciarijs, quæ Deus ſubinde addendis animis, & corroborandæ Operariorum imbecillitati ſubmittit, ut in ſuſcepto ſemel Animorum mercimonio progrediantur hoc alacriùs, quò ſecundiore feruntur aurâ. Neque verò propterea ex profeſſo, ut laudem conſequeretur, ſe floridæ huic dicendi methodo unquam dedit, verùm totum ejus ſtudium eò unicè collineabat, ut animarum ſalutem in primis ante oculos poſitam haberet, quid de ſe dicerent homines, planè incurius. Itaque in compitis multò libentius, quàm in templis, in ſubſellijs & ſcamnis, quàm in pulpitis; in noſocomijs, & fumoſis hypocauſtis, ubi & ipſius fervens charitas egregium ſudandi theatrum inveniebat, quàm ex Cathedris & ſuggeſtibus perorabat. Ejus dictio modeſtiæ, quàm nitelæ amantior, quæſitos colores & phaleras planè reſpuebat; neque tamen abſque numero, & claudicans, manca aut diſſoluta incedebat. Verbis utebatur proprijs, non barbaris, aut peregrinis. Res, quas tractabat, ſuccoſæ, & nervoſæ, dignæ auditu, & attentione, non de trivio, aut ex tabernis petitæ.

Plauſus.

Quid dicant homines, incurius.

Libentiùs in plano, quàm ex ſublimi dicebat.

Thema plerumque dabant noviſſima hominis, gravitas peccati mortalis, Metanææ neceſſitas, præſentis vitæ miſeriæ, mundi vanitates. Multus erat in afferendis ſententijs ex Evangelio, & oraculis prophetarum, ſed longè ſcitiſſimè applicatis. Exponebat eas per modum Meditationis juxta normam & amuſſim noſtrorum Exercitiorum ſpiritualium. Proponebat quaſi ob oculos auditorum loca, perſonas, actiones internas & externas cum col-

Thema plerumque noviſſima hominis.

Per modum Meditationum cum colloquijs.

colloquijs in fine. Quæ quidem concionandi ratio pro mediocrter doctis, quales ut plurimùm noſtri ſunt auditores, multò optimè ipſi ſucceſſit, ſucceſſura hodieque non minùs bene alijs, ſi eam ritè aurigante ſpiritu tractaverint. Non facilè contingebat, dum is vel peruerſitatem obſtinati peccatoris, vel miſericordiam Numinis, vel ſempiterna cœli gaudia, vel horrenda inferorum ſupplicia dicendo exaggerabat, quin non extemplò in calida prorumperet ſuſpiria, & ſingultibus copioſas affunderet lacrimas, dimidiaret voces, ægrè traheret anhelitum. Tum enim verò corde compuncto commotior arripiebat crucifixum, illum de ſinu promptum oſtentabat ex alto, miſericordiam numinis una cum ſequace populo implorabat. Diſcurſus ſuos, quos ſanè intonabat de morte terribiliſſimos, plerumque concludebat cum calva mortuali, in cujus aſpectu auditores defixi, & horrore prius verborum tonitribus concepto, mirum, quantum conſternarentur. Attulit nonnunquam ſecum in exedram ſportam flagellis plenam, præſertim Romæ, illáque magno numero donabat ijs, qui ex animo compuncti ea flagitabant. Similem in modum diſtribuebat Coronas, ſive, quæ nos dicimus Roſaria, ijs potiſſimum, qui ſe ajebant vel non habere, aut ſeſe ſtituros in proximum confeſſionis ergò. Tanto fervori par ex æquo reſpondit fructus. Poſt concionem namque non ſolùm certatim confluebant magno numero pœnitentes, verùm multi ſtatim propalam alta voce vulgabant peccata ſua in ſignum germanæ contritionis, & ut per eam publicam & gravem ſui confuſionem mererentur à Deo faciliùs erratorum veniam. Alij infuſi lacrimis palam inclamabant clementiam numinis; imò ſæpiùs eveniebat, ut, cùm in Xenodochijs verba faceret, repente ægroti ſe proriperent lectulis, curvarent, ut poterant, genua, ignoſci ſibi poſtulantes. Luſus chartarum peni-

Non nunquam Crucifixum arripuit.

Calva mortualis.

Attulit flagella in Cathedrã.

Veræ Contritionis ſigna.

penitus abrogabatur, repellebantur è sinu Dalilæ, & aliquando Romæ cùm auspicaretur concionem, nauta quidam homo rudis cœpit illum denigrare verbis, & aspernari animò, visâ autem posteà hominis constanti modestiâ cum rubore ad dicentis pedes se abjecit demisse veniam petens erroris sui; Quod equidem in homine agresti, & parùm Christiano, qualis ipse erat, magnum est argumentum validi oratoris. Aliàs ut honestum auditorum numerum convocaret, præmittebat agmen parvulorum cum floreis corollis & sertis in capite, telâ candidâ actutum humeris injectâ, manu pium quoddam Symbolum deferentium; istis, posteaquam publicas per plateas circumducti laudes, quas litanias dicimus, altâ voce decantassent, doctrinam explicabat Christianam, quam illi per modum Dialogi recitabant, bene meritis congrua donabat præmiola, aut elegantiorem icunculam, aut ceram pontificis consecratione obitam, quem nos Agnum Dei à figura impressâ nominamus, donec coacto per sanctam hanc industriam honesto audientium numero, ipse justam est concionem exorsus.

Ægroti in mosocomijs.

Nauta illi procidit ad pedes.

Non rarò evenit, ut ipse mente in Deum raptus, cùm Agyrthæ circumforanei populum suis nugis ac clamoribus detinebant, in eorum pegmata, ac theatra evaderet, eos minimè repugnantes facessere tantisper juberet, tum scilicet, quoniam tot favillas, quot verba, ardore succensus ejaculabatur, astantium corda magis, quàm unquam aliàs scindi contritione, & in lacrimas abire ac suspiria vidisses. Si forté in tympanotribam, aut pastorem incidebat, qui tympano vel fistulâ post se manipulos traherent otiosorum hominum, spiritus ejus nunquam non promptus ad certamen cum vitio ineundum, numero & multitudine allectus, in obvium quemvis, ubi poterat, evadens altiorem

Congregat auditores congregatis concionatur.

Agynthiarum pegmata invadit.

Quot verba, tot favillæ.

locum, extemplò cæpit cum ijs pro concione agere. Nec facilè unquam res tulit, ut non unam alterámque Diabolo extortam animam in Dei jus regnúmque transcriberet. Ità qui verè Deum diligit in proximis, & hos in illo, nullam nec minimam negligit occasionem iuvandi illos cum gloriâ hujus.

Præ animarum lucris ipse dignitatem flocci habet.

Iste agendi modus per compita platearum, in trivijs, ad ripas fluminum, cum fæce vulgi, cum mendicabulis planè sepelivit omnem Julij splendorem, quem ei conciliare generis nobilitas, collecta tot annorum decursu prudentia, doctrinæ existimatio, regularis observantia, instituti amor poterant, evectura illum facilè suâ in Religione ad primos honorum gradus, prout alios subinde evehunt, si dare se ille ad certam morum gravitatem, & retinentior dignitatis suæ, quàm salutis animarum cupidior esse maluisset. Verùm istâ cogitatione affligi tantum aberat à P. Julio, ut potiùs miris gaudijs incederet ac lætitijs, hac ratione passim se vilipendi, & ut hominem nauci ultrò se relinqui in ijs occupationibus, quæ viderentur ejus genij minimè elati propriæ; Romæ complures esse etiam suis è discipulis, qui, quæ ipse in negotio animarum incepisset, prosequi cum dignitate possent, suam illic operam, utpote in theatro tam spectabili minimè desiderari, aut necessariam videri. Proinde jure potiori villas sibi ac castella deberi obeunda pedibus, ubi major esset opis suæ inopia & minor operariorum commoditas. Non tamen fuit, ut superiores eum pro illo tenerent, pro quo ipse optabat, tentantes ei sæpius munus regendarum provinciarum demandare, quod ipse, ut diximus supra, dexterrimâ subterfugere constantiâ novit, ratus singulare Dei donum procul omni luce ac splendore posse ævum degere. Et certè parvi eos faciebat religiosos tanquam minus illuminatos, & sapientiæ Christi vacuos, qui, cùm possent in statu medio

Libenter suis se discipulis splendida cedere.

Villas suas esse.

Affectantes splendida officia.

dio cum perfectione propria procurare etiam salutem proximorum; per artificia & inventiones ad splendida grassarentur officia Ordinum suorum.

Hæ excursiones, de quibus nunc aliquid quasi pertransennam dicemus, fuere velut prolusiones quædam & ideæ earum Missionum, ad quas illo postea sollenniores ex professo fuit superiorum voluntate applicatus, & in quibus fusiùs ex instituto heroicas ejus actiones ponemus ob oculos. Peragravit pleraſque omnes pedibus, emendicans ostiatim victum, itineris molestias orationibus condiens, ac labores consolans. Viatores, in quos incidebat, allaborabat instruere in rebus ad salutem spectantibus, quod ipsi persæpè jucundissimum accidit, dum pari passu sequi equitem contendebat, nec prius vestigia accelerantis retrò longiùs subsequi, quàm eundem, quod satis videretur, ad plenum instruxisset. Idem actitabat in cauponulis summo cum depontanæ illius plebeculæ emolumento, & lucro. Non abijt dies, quo non Augustum Missæ Sacrificium Deo offerret. Examina conscientiæ à nobis domi fieri solita non intermisit unquam, neque Litanias de omnibus Sanctis, id quod planè sæcularibus ipsi se associantibus miro fuit exemplo. Solitus erat divertere ad valetudinaria publica, ubi inter infirmos medius in stramine capessebat somnum, expositus exulceratorum putoribus. Cibus ejus quotidianus erant frustilla mucidi panis emendicata cum pauxillo frigidæ, nucibus, melle, & hujusmodi reculis eleemosynæ loco comportatis. Semel quondam ut Juveni Germano inter delicias educato, & pessimè inter extrema habito, ferret suppetias, suscepit in se conquirendam stipem pecuniariam, ægrè novem nummulos corrasit, quibus frustillum carnis coëmit, sed ità duræ, ut miser ille Juvenis maluerit efurire, quàm comesse. Has lautias, cùm non esset alia mensa, sæpiùs humi nudo in solo cænitabat, & illuc inter cupedias assidens

Missiones conficiebat plerumque pedes.

Juxta equos ambulans instruxit equites.

Sacrificium, examina, Litaniæ iter agentis pensum.

Nobili Juveni germano suppetias ferr.

dens dictitare solebat; Eja! cænemus, prandeamus liberaliter, & gratias agamus Deo; nullus enim principum, aut regum terræ tantam habet varietatem panis in mensa suâ; si non invitamur à grandibus, Christus manducat nobiscum. Cùm aliquando diversorijs excluſus circumiret, oportuit illum denique declinare ad sacellum quoddam, atque illic supra sepulchrale marmor sportulam sumere, tunc visus est sibi videre Christi è cruce pendentis marmoream statuam benigno se vultu contuentem. Hunc in modum excludi, inconcinnis excipi verbis etiam ab ijs, quibus humanitatis ineſſe sensus, & caritas erga Evangelicos operarios ex officio magis esse cordi debebat, somnum capere sub Dio, vel in cæmiterijs, aut jumentorum stabulis, perfrequens illi fuit, & inter delicias numerandum, ut qui non aliud mendicaret à Deo, quàm pati pro amore Dei incommoda, & convitia.

In sepulchris ea pesſebat somnum.

In hunc ipsum finem, ut videlicet haberet, quod pateretur, & animas posset ad Deum adducere prædicatione, suscepit in se operosam oppidò peregrinationem ad montem Garganum, quam & peregit pedibus honorandi Divi Michaëlis Archangeli ergò, cui vivebat addictiſſimus. Quo in itinere plurimæ se offerebant occasiones ipsius genio patiendi percupido valde idoneæ. Fuit, ut in aliquam Domum hospitalem receptus ad capeſſendum somnum cum infirmis, nec hauſtum quidem frigidæ habuerit, quo reficeretur. Delatus fortè ad Præsulem quendam, cùm is peregrinationem istam, quam Julius suscepiſſet, ipsi in pœnam ob delictum impositam à superioribus persuasum haberet, ac propterea asperis illum verbis, & dicterijs oneratum repelleret, plurimum ipse gaviſus lateronem suum adhuc à sæculo recentem consolatus est Apostolorum exemplo, qui ibant gaudentes, quoniam digni habiti essent, pro nomine JESV contumeliam pati.

Peregrinatio ad Mõtem Garganum.

Convitijs onustus gaudet cũ Apostolis.

Ani-

Animadversâ hac invictâ Julij mansuetudine Episcopus ille placatior factus, cognitâ viri innocentiâ obviam per scalas processit, & hominem complexus multis verbis ignosci sibi errata postulavit. Obtulit deinde, si vellet, in civitate Evangelicæ prædicationis gratiâ subsistere, hospitij copiam; renuentem coëgit pecuniæ acceptare, quantum ad iter suffecturum credebat. Sub abitum commonuit; quando Apostolicum illud munus exerceret, mirum non esse, si, prout Apostolis factum esset, ita ipsum Deus hujusmodi salutationibus excipi permisisset, inde ejus merita augeri, ejus coronis præstantiores innecti gemmas.

Ignoscit sibi Episcopus postulat.

Offert digredienti viaticum.

In nobilissima Aquilæ civitate cùm ad valetudinarium de more se recepisset, parùm aberat, quin illic ipsi emoriendum fuisset, reciprocandi spiritûs facultate ob ægrorum intolerabiles putores ferè in totum intercluså. Concionabundus in foro tantos fecerat animorum motus, ut omnes palam effusissimè inciperent flere, cujus cùm urbaniores puderet, non posse sibi temperare a lacrimis, ora, vultúsque contexêre pallijs. Hic quoque cùm histrio quidam numerosissimum diu teneret populum, Julius illud ipsum, in qno dominabatur Agyrtha, insilijt pegmá; mirum dictu! & amabilitate patris, quam cernebat in vultu, & vocibus populi vociferantis, facesse hinc, facesse, compulsus libentissimè ipsi cessit locum. Ex hujusmodi non vulgaris virtutis exemplis tantum sibi Julius sanctimoniæ conciliavit opinionem, utquacunque incederet, novem illis, quibus ea in urbe commoratus est diebus, passim illum flexis genibus salutarent, nec aliter, quàm Sanctum venerarentur. Secundum hæc prosequens porrò inchoatum iter, ubi locis successit muratis, quamquam oppidò fessus, & quietis indigus, statim ad comitia viarum se contulit, illic signo crucifixi ô sinu prolato, altùm inclamabat; Veni-

Ob putores ægrorum propè emoritur.

Agyrtha cedit ipsi locum.

Passim de genu salutatur.

te ad audiendum Verbum Dei ; mox altiorem evectus in locum cæpit de rebus divinis disserere, operæ semper pretio ejus conatibus pari. Deinde ad ostia Domorum stipis quærendæ causâ declinabat, denique ad Xenodochium. In trajectu montis non procul urbe Chietta, (alijs Caietta,) ubi & equitantibus difficilis est trajectus, oportuit idemtidem interquiescere; venit denique ad eam virium defectionem, ut planè succumbens humi tam diu abjectus jacere debuerit, donec eum socius homo validus, ac præcelsæ staturæ metu noctis jam jam imminentis tam diu humeris exceptum detulit, quoad ejus perferre vires potuere. Ità cum aliter non possent, quà reptando, quà moliendo gressum, bihorio post solis occasum tandem ad urbem pervenerunt. Hic semimortuum egregiè per triduum sustentavit equestris vir ordinis Alexandri Valignani hominis Apostolici Germanus frater.

Quocunq; deveniret, concionabatur.

Socius illum gestare humeris cogitur.

Nec hic intermisit licet etiamnum æger consueta pietatis opera, ac quoniam imbecillitas ipsi conciones in foro interdixit, illas in quodam sanctimonialium coenobio habuit. Atque adeò, ut apparet, sicut in alijs itineribus lassitudo perpetua ei comes adhæsit, ità & in hoc ipsum nequaquam deservit. Vnde colligas licet, quantas ei vires sua heroica caritas ad agendum & patiendum pro Deo, & animarum salute identidem suffecerit. Sæpè eum febris non una corripiebat, vel à nimio frigore, vel à calore, aliàs ex diuturniori justo morâ in nosocomijs contracta, cui haud secus mederi solebat, quàm vel longiori inedia, vel sudore inter ambulandum elicito, cui tamen abstergendo nova adhibere indusia neutiquam sustinebat. Neque verò est (humano loquendi modo) ulla ratione credibile, naturalem ejus complexionem, & corporis habitudinem & à se perinfirmam, & à frequentibus morbis exhaustam, ac fractam potuisse resistere tot undequaque in-

Concionatur privatim, cùm publicè nequit.

Febribus sudere vel inediâ medetur.

sul-

sultibus, perdurare tot in difficultatibus, nisi Deus illum, pro cujus gloria ipse se generosè impendebat, modis ac vijs mundo occultis cum prodigio conservasset. Nisi valde fallor, ejusmodi divinitus immissa virium instauratio mihi videtur fuisse illa, quam Deus ei in termino hujus peregrinationis concessit in templo S. Michaëlis Archangeli, in quod ingressus, ut ipsemet scribit, statim se sensit sacro quodam horrore sancti illius loci perfundi, & sensus exteriores juxtà & interiores sic obumbrari, & obnubi, ut nihil admodum distinctè cognosceret. Hoc ipsum illi evênit altero die, cùm sacrum faceret in ara, cui impressa erant vestigia Archangeli quondam illic aspectabilis, eum quidem in modum, ut planè sui impos nesciret, ubi loci esset, aut quid rerum ageret, ac parùm abesset, quin interrumpi sactificium deberet, quod ille nihilominus postliminiò in se reversus feliciter absolvit. In his arcanis congressibus communicavit se Deus servo suo inexplicabili modo, confirmavit corpusculi vires ad agenda & patienda grandia, simul docuit viam ac rationem convertendi animas ad Dominum JESVM Servatorem ipsarum, cuius spiritu animus & manus Julii plenus per quemcunque transibat locum, distribuebat sacra metalla, in quibus ejus sanctissimum cælatum erat nomen, ac per illa operabatur res magnas ad gloriam Dei.

Deus mirabiliter eum conservat.

S. Michaël eum corroborat.

Extasis in Monte Gargano.

CAPUT VII.

Missiones in Catholicorum terras.
Earum fructus.

FAma de Patris Julii excellenti virtute, & insigni dono convertendi maximos & obstinatissimos quosque peccatores ità passim increbrescebat, ut præter quam cùm ipse ultrò superiores adijt petens aliquò excurrere, id

Vndequaque expetitur Julius.

quod fiebat, quoties aliter non occupabatur, communitates eum, Episcopi, Civitates, populi, terræ integræ sibi depoposcerint, imò nominatim ipsi summi pontifices pro eo impetrando institerint. Servabat autem eum in hujusmodi missionibus modum, qui posset esse vera amussis & regula mittendorum omnium. Non equidem semper pedibus eas obibat, id quod fieri non poterat, fuit tamen qualibet equitandi sorte, quomodo cunque ea foret constituta, contentus, sine sella, ephippio, stapede, quem temerè ex loris conficiebat. Pulvinaria, umbrellas, muscaria, & id genus similia instrumenta solarum commoditatum ergò excogitata penitus repudiabat. Vsus est iumentis ut plurimùm vilibus, agasonum, clitellariorum. Viatica vel non acceptabat omninò, vel ità parcè, ut minimè ulli alteri sufficerent, quæ tamen ipsa sæpius cum obvijs Codris faciebat communia. Victum ei vel alterna populi caritas apparabat, vel ex collecta stipe coquebatur in hospitali domo. Sub auroram operabatur sacris, quibus finitis dicebat ad illos, qui manuali labore tolerare vitam cogebantur. A prandio tradebat doctrinam Christianam parvulis, sub vesperum dissertationes habebat ad populum de modo confitendi peccata, de dubiis ad conscientiæ nodos spectantibus, reliquum diei dabat excipiendis confessionibus. Festis diebus perorabat ad populum, quàm poterat, paratissimè, explicando nunc Indulgentiarum Thesaurum, quas secum in bulla Pontificia circumferebat, nunc illarum valorem, & pretium in animis hominum, quantum satis est, exaggerando, simul cohortando universos, ne tanta de cœlo lucra neglecta vellent. Instituebat processiones parvulorum, quos eorum matres habitu & cultu ornabant Angelorum; eos per plateas deducebat celebriores, cantans cum iisdem hymnos & laudes Litaniarum. Nonnunquam cum ijsdem subsistebat in

Omnes commoditales itinerum repudiabat.

Occupationes diurnæ.

Festis diebus concio paratior.

Modus cogendi numerosi Auditoris.

in foro, ut fidei noſtræ capita recitarent ex memoriâ ; intermiſcebat ipſe explicationem myſteriorum magis difficilium, & ſcitu neceſſariarum, Inſtructiores donabat imaginibus, coronis, reliquiarijs. Subinde etiam in templis exhibebat ſacrum quoddam drama, cujus illicio attraheretur populus, ut bono numero collecti cùm eſſent ſpectatores, haberet deinde occaſionem verba faciendi ad plures de agenda pœnitentiâ, ubique locorum introduxit morem, ut Ludi magiſtri ac præſides ſcholarum quotidie adducerent ſuos diſcipulos ad audiendam liturgiam,& quovis menſe ad obeundam Confeſſionem, obtinuítque ab Epiſcopo, & ejus ſubſtitutis, ut certum ad id tempus, certus confeſſarius ſtabili lege denominaretur. Vbi carceres erant, & noſocomia pro ſceleratis & ægrotis, ſuccurrebat iiſdem ferè modis, verùm tenerioris cum caritatis affectu.

Ordinabat Scholas.

Carceres, noſocomia, cænobia.

Idem actitabat cum Virginibus Deo conſecratis, quarum complures reduxit ad clauſuræ rigorem, & ad vitam in commune agendam, quam antea non erant profeſſæ. Quod abundabat temporis propriæ alioqui quieti deſtinati, id omne referebat ad conciliandos inter ſe inimicos, tollendas ſimultates, componendas lites, eliminandos omne genus abuſus ; Atque hæc omnia in tanto numero, & frequentia, cum ea ſinceritate & germanitate animorum, qualem, niſi ejus literas haberemus, eſſe poſſe vix crederemus. In unis illarum ex ſancto Angelo Firmis ad P. Bernardinum Roſignolium Provincialem Romanum datis 13. April. Anno MDIC. ſic loquitur ; *Suſtulimus quàm plurimas lites, conciliavimus animos, reduximus pacem, concordiam ſtabilivimus, ita quidem, ut, cùm viderem eos ſe in vicem complecti in oſculo pacis, inter lacrimas ex germano corde profuſas, qui inveteratis antea odijs diffidebant, non potue-*

Virginum.

Literæ P. Julij.

rim non & ipse collacrimans agnoscere vim, & dulcedinem divini numinis. Hæc ille.

Et jam erat ejusmodi de Sanctitate servi Dei præconcepta apud omnes opinio, ut libentissimè cuncti ejus arbitrio & potestati ultrò permitterent suas alioquin immortales, & sempiternas animorum dissensiones, quidquid ipsi visum esset, id ratum atque fixum apud omnes fore, in ejus judicio unicè neminem non sincero corde acquieturum. Vnde non mediocris sanè Dei gloria resultabat. Suppar, si non major, erat illa, quæ ex sanitatibus passim cum miraculo collatis, ex depulsione malorum Dæmonum provenire solebat. Ex circumvicinis undique locis adducebanrur certatim infirmi, fascinis corrupti, ab acheronte possim infesti, ac vexati, qui quasi omnes liberabantur per aquam, quam à se benedictam vir Dei ipsis bibendam propinabat. In urbe quadam inter alias, cùm certum pustularum genus venenatum plurimos civium funerasset, postquam ejus laticem superstites hausserunt, nemo amplius elatorum auxit numerum, evaserunt omnes. Nec potuit ille ulla ratione defugere laborem quot diebus plurimum salis & aquæ consueta Ecclesiæ obeundi prece. Hinc Domina quædam cùm jam triduo cum morte ex dolore partûs luctaretur, jamque medici ad matrem conservandam extrahendi frustillatim infantis consilium agitarent, spem concepit, si biberet servi Dei laticem, salvam fore. Nec eam sua fesellit spes, eâ etenim haustâ, statim feliciter enixa est infantem marem. Quod ubi ad aures nonnullarum mulierum pervenit, extemplò adeundum sibi patrem Julium censuere, rogatum ut filios suos jam multo tempore sepultos è tumulo ad vitam revocaret, omninò certæ, si ipsis assentiretur Pater, fore, ut quam primùm sibi assererentur vivi.

Eius arbitrio libenter se permisere.

Pestilentiæ genus tollit.

Quotidie salem & aquam benedicit.

Matrem cum fœtu conseruat.

Pater Julius pro suscitatore mortuorum proclamatur

Atverò longè aliud erat Julii de se judicium, quia nulla

nulla aliâ re peræquè abhorrebat, quám eiuſmodi conflictibus temeré ſe commiſiſſe, ac, cúm aliud non poſſet, ſaltem operam dabat, ut totam miraculi gloriam a ſe in eorum, qui gratiam accepiſſent, reiiceret fidem. Verùm alius erit locus opportunior de his agendi. Nunc de P. Iulij miſſionibus dicendum. In quarum fine plerumque potiſſimi extitere fructus, Conuerſiones plurimæ, communiones pæné ſine numero, incredibilis in diſceſſu populi dolor. Nemo ferè valedicebat, nifi in genua provolutus petiiſſet ſibi a diſcedente benedici, ipſe autem declinandis eiuſmodi plauſibus ferè clam omnibus moliebatur abitum. Duodecies ſaltem in latrones incidit regionis familiares, & in famoſiſtima eorum capita, qui illis temporibus percurſabant Italiam; Nomina autem eorum ab eo deſcripta non eſt operæ pretium hic exprimere; ſufficiat dixiſſe, nunquam ipſi quicquam moleſtiæ intuliſſe, ſemper illæſum abire permiſſum, pluſquàm ipſe ſperare potuiſſet; dicere ſolitum, non fuiſſe ſe dignum, qui ab ipſis ſpoliaretur, ligaretur, aut exciperetur fuſtibus, prout eam gratiam aliis conceſſiſſet Deus. Sacerdos, qui cum eo iter faciens plus dimidium diem ſecurus inceſſerat, ubi tantiſper ab eo declinavit, incidit in eos, quos fugerat, prædones, qui illum uſque ad induſium denudaverunt. Si conſtanter Patri Iulio adhæſiſſet, nec pilus ipſi nec hilus in capite fuiſſet dimotus. Adeò magna erat illa innocentis animæ lux, quæ transfuſa in corpus neſcio quid reuerentiæ eius vultui præſentiæque communicabat, ut venerabilis etiam barbaris illis & crudelibus viris, qui eum non noverant, appareret. Talis apparuit ad Citernam in via Neapolim inter & Romam, ubi illi patriâ extorres, qui recto impetu ferebantur in tabellarium, & alios viatores ſpoliorum & prædæ cauſâ, vltró nemine cogente retrò ceſſerunt fine cuiuſquam damno, indubiè propter merita Patris Iulij, qui eam gratiam

Miraculorum gloriam reijcit in aliorum fidem.

Duodecies incidit in latrones.

Nihil ipſi moleſtiæ intulerunt.

Sacerdos ab eo diſcedens ſtatim in eos impegit,

Etiam tabellio eius meritis evadit.

gratiam manè in sacrificio a Deo postulaverat, & idipsum tabellioni, qui iam totus frigore & metu tremens expalluerat, vtpote iam quintum ab ijsdem, rebus omnibus exutus, prædixerat futurum, ut omnes indemnes evaderent. Non fuerunt tanta mala, quæ potuissent illi perfidi inferre Patri Iulio, & sociis, siue in corpore, siue in fortunis, dum sæpius ipsorum in latibulis euntem vel redeuntem diuersari, & commorari eum oportuit, quin duplo semper maiora studeret referre bona, nunc animosè, cùm se dabat occasio, reprehendendo desperatos illos, nunc ad frugem cohortando fortiter, aliàs omnino illos feliciter conuertendo, nullo non modò hæc inter concussus metu, verùm etiam acri sæpiùs in duris illis cordibus vel iudicij divini, vel supplicij sempiterni infixo aculeo. De pluribus eiusmodi exemplis duo duntaxat seligam, quæ possint excitare fervorem in ijs, qui ad missiones destinantur, simul ob oculos legentium specimen exhibere eius messis, quam P. Iulius collegit in suis.

Bona pro malis compensat.

Locus est non multis millibus distans a nobilissima & antiquissima ciuitate Senarum. Huc Pater Iulius venerat, cùm iam duæ horæ post solis occasum fluxissent. Loco nomen erat Diversorium Diabolorum, conveniens herclè admodum & personis & actionibus, quæ illa nocte illic agebantur. Ingressus Iulius reperit quatuor proscriptos exules mensæ assidentes unà cum totidem mulierculis prostituti pudoris, qui & infandis dictis & factis nomen Domini conscelerabant. Iulius pessimè affectus nec pedibus insistere, nec proferre vocem præ lassitudine poterat; nihilominus rei indignitate comotus sibi ipsi loquens seque Deo vnicè commendans, nunc, ait, nunc tempus est defendendi honoris divini adversus hosce impudenter effrenes, qui tanta cum proterviâ, & incesto cachinno eius nomen inquinant. Exinde ad mensæ caput accedens, erectus

Diversorium Diabolorum.

Sigma convivale.

Iulius se ipsum cohortatur.

erectus in pedes, cùm, quod superabat, collegisset virium, de gravitate peccati mortalis super eos intonuit, de severitate iustitiæ divinæ, quæ evitari nequeat sive in hac, sive in altera vita, de gehennæ incendiis nunquam extinguendis. Et quamvis in principio nullam ei aurem accommodabant, nihilominus, cùm viderent eius in dicendo & comminando constantiam, & vim vehementiámque insoliti afflatûs aduerterent, quâ ipsos percellebat, sic commovebantur animo, ut planè spiritu consternati, nihil ausi contra mutire, nec porrò prosequi suam id loci protervitam, pedem continuò ex diversorio relictis illic suis appendicibus extulerint. Vna rearum feminarum stemmate prognata nobiliori, quàm pro factis, quæ agitabat, faciem velo, ne agnosceretur, obvolvit. Omnes subinde in genua ad pedes P. Julij provolutæ rogabant veniam scelerum, simul locum sibi procurari flagitantes, in quo securæ anteactam possent vitam melioribus moribus emendare. Non ferventiùs illæ petierunt, quàm promptiùs ijs altero mox die Senis Pater Julius impetravit.

Protervos consternat.

Exeunt vnus post alium.

Iulius impetrat conversis receptum.

In antiquissima Civitate Orvietanâ catenis ligatus attinebatur famosissimus exul Perusinus. Hic in panis metâ limam sibi procuraverat, quâ se ferro expediuit; occiso vno, & altero ex lictoribus lethaliter sauciato, clavi carceris mortuo ereptâ emisit reliquos omnes in custodia detentos, seque ipsum in libertatem vindicavit. Non multis pòst diebus cùm Pater Julius a Diversorio, quod quindecim non amplius millibus abest ab vrbe Castelli, iter quopiam haberet, coactus fuit illic a procella imbris subitô effusâ divertere, etsi parúm quoque boni primo intuitu promitteret ipse caupo. Vix accubuerat mensæ, cùm iuvenis procedit prævalidis viribus, sciscitans ex veredario, quî haberent illi duo lictores vulnerati? comperto, vnum obijsse, altetum non procul abesse a morte, Dispu-

Exul Perusinus.

Clavi ereptâ captivos emittit.

Dictum sicario dignum.

det, inquiebat, non expedijsse ambos; tum enimverò Pater Julius advertit hunc ipsum esse celebrem exulem Perusinum, & cùm per breviusculam se precatiunculam commendasset Deo, conversus ad eum vultu leniter reprehendentis dixit; Næ tu, O. bone! parùm intelligis, quantum nefas sit hominem occidere, cùm pœnitere te facti, & veniam rogare de commisso vno homicidio deceret, doles non perpetrasse & alterum? respondit iuvenis, id se fecisse servandæ vitæ causâ, & evitandæ infamiæ mortis, quæ ipsum Romæ maneret; nam Papam in se anxiè inquirere. Tum Pater; licet equidem fugere mortem, at non per huiusmodi vias & modos, quorum te necesse sit pœnitere.

Dictum Operatio Apostolica dignum.

Hortatur eum ad Pœnitentiam.

Conticuit hic Perusinus: Remotâ mensâ ex professo hortatus est eum ad pœnitûdinem scelerum. Absisteret tandem illum ludum ludere, alioquin futurum, ut ipsi aliquando Comes ire deberet ad furcam, sicut pluribus alijs frequenter Comes iivisset. Audivit omnia cum patientia, benevolo Patrem vultu contuens; id quod caupo & agrestium multitudo, quæ confluxerat curiosorum videndi finem, satis capere non poterant, ac demirari. Seduxit ergò Perusinum a turba secum solum, ut liberiùs cum eo ageret, & induceret, ut aut Capuccinorum ingrederetur ordinem, aut militiæ nomen daret aduersus infideles. Hic demum ferox isthic homo herbam porrexit, receptq; aditurum se oppidum Sancti Sepulchri, ut illic se apud ipsum confessione expiaret, interim preces, quas Pater illum docuerat, manè & vespere recitandas nunquam intermittere iussus. Cùm discessum pararet Pater, & hospiti soluere Symbolam vellet de prandiolo, Cave (inquiebat Perusinus) quicquam accipias; alioquin ego tibi caput: Ego solvero, illum habeto asymbolum. Atque hinc Pater clam satisfacere cauponi debuit, qui & ipse multum hac tam rarâ conversione permotus secutus est per longum viæ

Cum Perusino solo agit.

Spondet resipiscentiam.

Specimen animi emolliti ex ferocia.

spatium

ſpatium Patris eqvum, tenendo ephippij pomum manu, & ita ſuorum quoque criminum catalogum Patri per exomologeſin exponendo, quippe & ipſe ſcelerum ſuorum reus exul maluit certò in gratiam redire cum Deo, quàm a ſuo principe fruſtra illam diutius in incertum expectare. Atque in hunc modum etiam animi perverſiſſimi, ac genij cæteroqui indomabilis ceſſere tandem germanæ Patris Julij caritati, quos ut Deo lucraretur, incredibile dictu eſt, quos labores ipſe in demandatis ſibi miſſionibus ſuſceperit, & exantlarit, Cœlo ſæpius admodum pluvio, & hibernante, incedendo pedibus, pernoctando in noſodochijs, per aperta camporum, ſilvarum obſcura cum ipſis latronibus mucidi panis fruſtilla abſumens.

Caupo confitetur equitanti Patri.

Omnibus omnia factus.

Quodam die ut tempeſtivus eiuſmodi promouendæ gloriæ divinæ adeſſet occaſioni, ſolus triginta quinque millia paſſuum pedibus ambulauit; metuens verò, ut id itineris conficeret, bonam eius partem decurrendo perfecit, inde tantiſper deficiente ſpiritu cúm reſpiraſſet, eo reſumpto iterum repetijt curſum, & ſic deinceps. In ſilva cum paſtorculis humi ſeſſitans in viridi toro de reliquijs duratæ Cereris roſit quidqiam potiùs, quàm comedit, frigidam hauſit, in extemporali furno ſomnum ſupra ſtramen cepit; & divina ei bonitas ita aderat, ut in ætate multum provectâ, & valetudine vſque adeò attritâ nihilominus exantlaret, quæ tolerare vix iuvenis poſſet. Cauſa eſt ſummum gaudium, quo eius recreabatur ſpiritus, attento, ſummam in Deum reſultare gloriam ex tot peccatorum converſionibus, quorum complures ipſemet ſuperſtes videret in diverſis religionum ordinibus Sanctam degere vitam, & fine nequaquam pœnitendo defungi. Non eſt hoc loco ſilentio prætereundem, ſi magni extitere animorum fructus, quos Pater Julius ex tot peccatorum converſionibus collegit, multò ſanè maximos extitiſſe in ijs noſtris hominibus

Curſum conſummavit.

Eius laborum ſolatia.

minibus, quos ei superiores in obeundis missionibus socios & comites addidere, qui quidem plerumque adhuc erant in religione nouitij, & tales Pater Julius ut plurimùm optabat cereos in omne bonum flecti, & percupidos patiendi. Hi sub eius disciplina & exemplo, utpote qui multis annis fuerat tyronum Magister, mirum in religiosa perfectione capiebant incrementum, & imbibebant illum animarum Zelum, & laborum ac molestiarum sitim, illud publici contemptûs ac sui vincendi desiderium, ut ex ijs ferventissimi evaderent in vinea Domini operarij, & multi eorum obtinerent profectionem ad Indos, apud quos magna pro gloria Dei & proximorum salute effecere.

Socij eius exemplo animati.

Profecti ad Indos.

Impono huic capiti coronidem relatione cuiusdam facti, ex quo, quantum apparet singulare Dei auxilium in obsequijs pro eius honore susceptis, tantum & multò magis elucet fiducia servi Dei, quam in ipso repositam habebat, solitus arduarum rerum aggressionem & successum non humanæ prudentiæ decempedâ, quæ sæpe fallit, verùm ex modo & vlna confidentiæ, quam sibi pollicebatur de Deo, metiri. Agebat semel æstatem in Collegio Perusino nonnihil ab vrgentibus liber officijs, petijt, obtinuitque a Patre Rectore missionem per terras & Castella vicina. Bettonam cùm accessisset, reperit illic magnum numerum hominum in fossis ad mænia purgandis ab inutilium herbarum ac stirpium silua occupatum; causam scisceitatus comperit timeri ex ea parte assultum virorum potentium, qui ex illo loco se proripuissent, adversus quos pars altera intus agens compararet sese suo cum ductore, viri itidem omnes cordati, & probè armis instructi. Julium hæc omnia nihil morabantur, imò arripiens inde rei bene gerendæ occasionem, oppidum ingressus ad templum, solitum suum asilum properat. Hic factâ de more præfervidâ oratione, regressus videt omnia feruere turmis militaribus

Fiduciâ erga Deum metiebatur negotia.

Seditio.

Animosa petitio.

militaribus, chartarum, & talorum lusu occupatis. Vocat Parochi collegam, docet, cupere se hic pro concione dicere, proinde daret signum ære campano. Mirari hic primùm; deinde abnuens dicere; Non convenire illâ horâ in vesperum declinante dari signum ex turri, perstrepere omnia armis, hostes in propinquo, ad portas esse, expectari iam inimicæ factionis assultum; omnes interpretaturos hoc signum pro classico ad arma; quippe illo ipso ære campano etiam militem convocari solere; hoc nihil aliud fore, quàm tumultum & rixas intempestivè ciere. Sine, O. bone! sine, dicebat Pater Julius; totam in me culpam reijce; nullus dubita, tumultum omnem nullo negotio ego comprimam, nihil incommodi inde erit. Habuit hæc Julij vox tantum in animo Sacerdotis virium ac ponderis, Deo ita promovente, ut contra omnia humanæ prudentæ dictamina, & regulam id temporis curarit signum dari. Tota mox communitas in armis est, concurritur ad Templum, fit murmur. Hic Pater Julius, imò potius Deus per ipsum, momento populum sedat; volentem inducit in Templum, perorat eâ vi ac robore spiritûs de morte, de Iudicio, ut vehementer perterrita omni audientium multitudine vnus fuerit, qui metu divinæ vindictæ, quasi iam iam cervici imminentis passus sit animi deliquium. Perrexit Pater Julius etiam sequenti die docere populum ex cathedra, excipere pœnitentium confessiones, Sacram synaxin ritè præbere accedentibus. Nec Sanctimoniales loci fuere fructùs expertes; quibus à longissimo tempore nullus Sacerdos Sacramenta administraverat. Porrò inimicorum invasio nulla successit, indubius Julianæ caritatis effectus; cuius meritis Deus ex tam periculosis initijs tot bona ad animorum illorum periclitantium salutem elicuit.

Datur signum ex turri ære campano.

Motus concionantis.

CAPUT VIII.

Missiones ad Turcas.

Accenditur exemplis Indorũ nostrorum.

IAm inde à primo in Societatem ingressu Julius, cùm rara nostrorum hominum in Indijs exempla legeret, & illustres infidelium conversiones, quas Deus per manus illorum dignabatur operari in vastissimis illis regnis, statim se sensit magno accendi desiderio illarum missionum, spei bonæ plenus Deum, per grandia illorum patrum ac fratrum merita, id sibi roboris ac vigoris concessurum, ut posset pro eo, ac ipse loquitur, suam expugnare pusillanimitatem, & in ijs laboribus vsque ad finem perseuerare. Et quamvis ipse se indignum talis expeditionis, neque satis habile existimaret instrumentum, non omisit tamen rem sæpius superioribus proponere. Verùm longè fortioribus

Ab Indis vertit vota in Turciam.

post hæc stimulis impelli se sensit ad convertendam Turciam, pro qua viginti ipsis continuis annis non cessabat orare, & acribus in se flagellis, ac pœnis publicis & privatis dirè animadvertere; quoniam autem alio modo desperabat se compotem fore votorum, optavit seriò à Turcis comprehendi, & in servitutem abstrahi, quo casu confidebat futurum, ut cum ijs frequentiùs, & familiariùs agens facilè ipsis inculcaret Sanctam nostram fidem, & ipsorum propriam salutem. Solus peccandi timor eum vnicè absterruit,

Optat capi & ita pertrahi in Turciam.

quominùs se eorum mancipatui addiceret, considerantem, se non esse Dominum sui ipsius, & grave vulnus Sanctæ inflicturum obedientiæ, si se religioni suapte auctoritate, quasi furto subtraheret.

Absterretur metu peccati.

Audivit demum diuturnas eius preces ac vota Deus, reserans ei portam agendi, tractandiq̃ cum Turcis peramplam. De voluntate superiorum proficiscendum ei

fuit

fuit tanquam Theologo cum Archiepiscopo reip. Ragusanæ, vbi in visitationibus ab illo Archiepiscopo obeundis, maximè cùm illum solum misit in ditiones remotiores, illius Diœceseos, frequens & multum illi colloquium cum Saracenis intercessit summa cum eius consolatione, & inquilinorum profectu, præsertim verò eorum, qui canalem Vitaglinum, Castellnovanum, Cattarum incolebant. Nec erat in illis alpestribus locis magna Christianos inter & Turcas distinctio, utrique sicut sterilitate terræ, ita non minùs inopiâ roris cœlestis æquè omnes laborabant. Villæ istæ & communitates passim casnaccinæ appellantur, in quibus maximam partem miselli sine confessione, aut ullius alterius Sacramenti usu decedebant, Sacrificium Missæ in quibusdam locis audiebatur semel iterúmque, vbi sæpissimè, ter per annum. In alijs per mensem non plus semel, parochijs nimio abiunctis intervallo. Fuere, qui per ipsos quadraginta annos nunquam viderant faciem, multò minus audiverant, vocem pastoris sui. Templa eorum stabant sine tectis, & ianuis semper aperta in angulis montium & vallium solitarijs. Calices non nisi stannei, vrceoli cyathi mensales. Desolatio hæc tanta introducta fuit per Sacerdotes latinos, qui Turcici iugi impatientes, penuriâ victûs, redituum parsimoniâ paupertinum illum populum commiserunt Sacerdotibus illic rusticanis, & idiotis, qui pro se, vxoribus, filiis victum stivâ, & ligone quæritabant, ipsi autem receperant sese in loca tutiora. Eorundem culpâ latinorum Sacerdotum totus ille populus degenera vit in ritus Græcanicos, quibus succedentium Sacerdotum ignorantia & simplicitas obsistere nequaquam potuit. Vnde decumani in illam Ecclesiam errores, abusus intolerabiles irrepserunt; adeò quidem, ut ab hisce popis potiùs, quàm Sacerdotibus ut plurimùm schismaticis Turcarum renegatorum filij clam aquâ lustrali initiarentur,

Occasio percommoda penetrandi in Turciam.

Casnaccinæ Turcarum.

Missæ Sacrificium ter per annum.

Desolatio, deserti à Sacerdotibus.

Eorum errores.

initiarentur, postea Saracenorum educandi ritu, eorum sepulchra lustrarentur prece, matrimonia Ecclesiasticis cæremonijs coalescerent. Huic malorum torrenti omni conatu se opposuit Julij Zelus. Obtinuit ab eorum magistratibus, quos provinciarum capitaneos dicunt, pro terris ipsorum ditioni subiectis decretum huiusmodi, ut quotidie tres, quatuórve Casnaccinæ sive villæ convenirent pridie de loco & tempore admonitæ; his ita congregatis primùm sacrificabat, ob eorum multitudinem, angustias templorum ac rimarum, quas agunt, periculum ut plurimum sub Dio. Sacro finito per interpretes sive decuriones clarâ voce eos docebat res ad salurem magis necessarias eo cum popelli illius fructu & consolatione, ut palam erumperent in plausus & clamores, nunquam se eiusmodi documenta audivisse, quorum percupidè excipiendorum tantâ inhiabant siti ac fame, ut, cùm semel aliquot Turcarum venissent armati oratum socios, qui iuvarent se retia capitonum piscium plena attrahere ad littus, & illorum curio, quem Episcopi loco venerari solent, quibusdam demandasset, ut suppetias irent, ne vnus quidem inventus sit, qui illic operam suam vellet condicere; omnes enim excusabant, nolle se carere eâ institutione, quam sibi Deus vel semel misisset in vitâ. Atque adeò oportuit alios de alijs invitare plagis, Sanctè invicem recipientes, bonam hanc tam Sancti operis fortunam in diem sequentem ipsis cessuram. Adeò sæpè religio & fides maiore est in pretio, & existimatione apud eos, quibus parciùs & avarius se credit, & viciſſim in minori apud eos, quibus se liberalius indulget.

Quomodo hanc Silvam curârit.

Quomodo cum idiotis cœperit agere.

Aviditas audiendi verbi Dei, & Fidei mysteria.

Neque verò hoc solum & potissimum est optimorum illorum Christicolarum signum, quanto in honore apud ipsos habeantur res Sacræ. Quoties Sacerdos Sacram elevabat hostiam in Sacrificio Missæ, omnes clarâ voce clamabant,

Summa estimatio rerum Sacrarum.

clamabant, Misericordia; percutiebant pectora, manibus in Cœlum sublatis. Quo tempore nonnemo, qui gravioris cuiusdam insimulatus erat delicti, ad testificandam innocentiam suam publicè protestabatur coram supremo illo omnium iudice in ara præsente, se culpæ illius, cuius accusabatur, minimè reum esse, & hoc cum eâ ingenuitate & candore, ut facilè omnes intelligerent, eam protestationem esse omni probatione potiorem. Cùm Pater Agnum Dei exponeret ob oculos populi, rectâ omnes exibant e Templo, sed mox reptantes genibus per terram vsque ad aram revertebantur, ut majori cum reverentiæ significatione illud Agni signum possent dissuaviari. Ita multis parasangis absumus ab illorum populorum decentiâ, quâ materiatum Agni signum prosequebantur, dum nos verò & immaculato Agno Dei in Sacramento existenti multò minorem sæpius venerationem vix studemus exhibere. Hunc Agnum Dei ferculo conspicabilem deferri cupiebant in processione; hoc benedici agris suis & campis volebant; hoc sepulchris lustrali latice largè perfusis. Atq; per hunc nulli dubitabant collecturos sese copiosissimæ frugis segetem; & ut eorum gaudium plenum esset, & magis augeretur pietas cum fide, Agnos Dei in frustilla divisos lentis instar, & calici impositos, ut veneratio crescceret, pagellæ chartaceæ inclusit: Sic inclusos & obsignatos, distribuebat Pater Julius. Quo facto dimittebat eos domum, magis contentos, quàm si gemmis vel vnionibus donati reverterentur. Cujus rei argumento sit tot turbas ex tam remotis congregatas terris, cœli iniurijs expositas, sub Dio, inter ventos & pluvias, cum infantibus ex collo & vbere matrum pendulis, tam diu moras traxisse ad ipsum vsque meridiem, imò serum vsque in vesperum, donec Pater Sacras suas absolvisset lectiones & lectissima illa Agnorum Dei analecta distribuisset. Inde se in vicem in signum

Protestatio Publica innocentiæ.

Reverentia erga Agnum Dei.

Devotio & Fiducia erga eundem.

Agnos Dei in frustilla dividunt.

Sitis audiendi & discendi.

mutuæ caritatis complexi revertebantur vnuſquisque in Domnm, & villam ſuam. Ex his tam manifeſtis veræ fidei, frequentis caritatis, aliarúmque virtutum demonſtrationibus colligi equidem facilè poſſunt præclari illi fructus, quos in hiſce alioqui plurimùm ſterilibus ac deſertis agris Servi Dei Zelus, & indefeſſa retulit cultura.

Quantos manipulos collegerit.

Qui autem ſcire vellet, quanto ei labore conſtiterint comportati hi manipuli, non operoſè illud conijciet ab extrema, quâ laborant, incolarum paupertate. Eorum tuguria vel potius cauernæ, ex fruſtillis ſaxorum caſu magis, quàm arte aggeſtorum connectuntur ; qualia ſubinde à noſtris alpinis paſtoribus videmus temerè conſtrui pro receptu gregum. In his Pater Julius capiebat ſomnum vel humi, vel in ceſpite ſupra aſſerem, vel in aëre ſupra arundinem duobus ſuſtentatam palis, pendens ex ruinoſo pariete; fatetur minùs nihilo ſe defenſum ab inclementia noctium, ventorum, tempeſtatum. Veſtitus eorum totus lacer, & argus. Incedunt magis nudi, quàm tecti. Calceorum loco vtuntur pellibus caprarum crudis, & illaboratis, piloſis, ſupra talos nonnihil colligatis. Veſtitu nihilo melior victus. Vini & graui non plus fert illa Tellus, quàm quod vix ſufficit in tres menſes, & ex hac ipſa tam macra portione coguntur ſoluere decimas, cernere tributa. Reliquo anni tempore ditiores vivunt ex pane miliaceo. vel hordeaceo, fabaceo. Alij victitant ſolis leguminibus, & his deficientibus, ſolis herbis ab ipſorum ſobole ex fiſſuris montium carptis & conquiſitis Atque vbi & iſtæ denique defiunt, adiguntur agere hiemem ſolis Iuniperis. Qui viciniores ad mare colunt, deſtituti & ipſi pane victitant oſtreis hoc modo captis. Expandunt per mare magnam ſarmentorum vim invicem connexorum; ramorum poſtremum firmant in littore, addito ſigno, ex quo vnusquisque dignoſcat ſuam capturam illis ſarmentis

Incolarum paupertas.

Magis tecti quàm veſtiti.

Vini & grani penuria.

Oſtrea quomodo capiantur.

mentis adhærentem: Alijs absque ipsorum industria providum mare prospicit. Ingressum hoc canales intra aperturas montium offert illis in fundo non plurimùm alto saxa durissima conchis prægnantia, dicuntur ab incolis dactyli; hos clavâ ferreâ contundunt. Ita supercilioſa, & ingrata illic natura est inquilinis, qui tamen è diverso magnoperè illam deamant, ut eam etiam alijs magis benignis & clementibus provincijs nolint posthabere.

Dulce natale solum, etsi immite.

Verùm, quantus amabo? non fuit Patris Julij erga eos amor, quantum studium! quandoquidem tot miseriarum genera & difficultates nihil illum retardari potuere, quominùs per duos illic annos ipsos pro salute ipsorum demoraretur? Non est tamen terræ genius usque adeò vbique immitis & contumax, quin eum subinde incolarum industria non vincat & emolliat, ut velit nolit, cogatur esse frugi. In fine nonnullarum vallium inter montes erigunt magnos aggeres, & repagula, quibus aquas pluviales cogunt in maximos lacus, in his generantur pisces vsque adeò præstantes, & pulposi, ut absque vllo alio liquore & condimento coquantur in proprio succo, ut evadant suaviſſimi saporis. Inde circa mensem Martium solutis glacie illis lacubus, & aquis in mare effusis fundus ità aptus relinquitur sementi, ut granum Martiale matureſcat illo ipso anno cum altero grano, quod multis mensibus ante terræ mandatur. Atque adeò idem fundi genius mira fertilitate dat incolis & pisces & triticum, quod cum Gargaris certet. Imò & arboribus ipsis Monachi insulæ Meledæ colligunt pisces hoc modo. Arboris ramo prope mare stantis alligant prægrande saxum, cuius pondere pressus ramus submittit caput in aquas; ita illic vno, duobus hæret annis. Fune abscisso redit ramus ad locum naturalem oneratus præstantissimis conchis. Hæc omnia Pater Julius oculatus testis refert miseratus illotum peruriam populorum

Industria naturam mansuefacit.

Idem fundus & pisces, & granum fert.

Concharum piscatus.

pulorum, quibus ob inopiam victûs suggerit natura extraordinarias tolerandæ vitæ inventiones & industrias. Verùm non tam sodulò eorporum incommoda evitare satagunt, quantum elaborabat Pater Julius, ne eorum animæ præcipites ruerent ad tormenta Inferorum.

CAPUT IX.

Missio Constantinopolitana.

ET sanè longè maior, quàm nobis dicere fas sit, & illi sperare poterant, extitisset vtilitas Patris Julij, si diutius apud illos populos commorari, & eorum invigilare saluti potuisset; verùm Deo aliter visum, dum eius preces minimè frustrandas longiùs ratus eum interiora Turciæ inspicere, & in ipsam penetrare regiam Constantinopolim voluit, vbi plurimum fecit, tulitque pro bono fidei RomanoCatholicæ. Preces quas Rex Christianissimus per Oratorem suum, & serenissima Respublica Veneta itidem per suum apud Sanctissimum Patrem Gregorium XIII. interposuere pro civitatibus Perâ & Galatâ suppetiarum admodum indigis fuerunt ità perseverantes & efficaces, ut amantissimus ille Pater omninò decreverit, illic missionem Patrum Societatis IESV instituendam, quam postea Sixtus V. eius in sancta sede successor ratam firmámque habuit Superiores probè gnari vocationis Patris Julij eum illic ad fundandam eam residentiam cum quatuor alijs socijs miserunt, quorum duo erant Sacerdotes, Gallus vnus, alter Ragusanus, qui & Turcicam callebat linguam, & duo fratres adiutores, vnus Græcus, & alter itidem Gallus. Patrum cura & officium fuit instituere pueritiam moribus Christianis, & docere literas, confirmare mancipia

Orator Gallicus & Venetus.

Gregorius XIII.

P. Julius cum 4. illuc socijs mittitur.

Partiuntur munera.

pia, quorum illic maximus est numerus, & sæpè à fide deficiebant, in religione Catholicâ, administrare item civivibus illius loci Sacramenta, qui pro eo, ac Pater Julius memorat, ut plurimùm trahebant originem ab illustribus reip. Genuensis familijs, quæ olim vrbem illam ædificaverunt, & à lacte pecorum, quæ illic in quadam piscina potari solebant, voce Græcanica Galatam dixerunt.

In itinere quadraginta quinque dierum velonam inter & Constantinopolim somnum non aliter cepit, quàm aut humi, aut in conditoriis Turcarum, aut in Græcorum tuguriis: per quod, uti & per vitam sanctissimè institutam, Albanensibus, Bulgaris, Græcis Macedoniæ & Thraciæ, quà transeundum, summo exemplo fuit. Manè & vespere solitum orationis pensum percurrebat, recitabat Litanias Sanctorum, & horas Canonicas dicebat cum ea attentione & corporis compositu, ut Turcæ ipsi non solùm illi nihil molestiarum inferrent, verùm etiam curiosè ipsum observarent, atque rebus in perplexis suum ad eum haberent recursum; Vnde in illorum civitatum unâ statim solâ aspersione aquæ lustralis facilem partum expedivit fæminæ, quæ jam triduum totum periclitata cum Lucinæ doloribus pro depositа habebatur, jam jam insciti Hebræi Medici curæ & ferro permissa: Civis eum schismaticus itinere unius diei inter continuas pluvias secutus est, & tandem assecutus rogavit, porrigeret sibi aliquid remedij pro uxore sua malis geniis infesta, qui ipsam potissimùm in Lunæ mutationibus infestabant, & illa tunc amentis instar cursitans per domum verberabat obvios quosque fustibus & armis, eósque graviter læsos sauciabat, subjunxit plurimum spei ejus se in orationibus habere repositum tanquam Sacerdotis Latini, suos autem Sacerdotes nũquam eam potuisse liberare, & hoc ipsum deberi ejus precibus, quòd non sumus, inquit, Turcæ. Pater tantâ hominis

Vbi somnum ceperit.

Turcæ ad ipsum recurrunt.

Facilem expedit Lucinam.

minis fide commotus, jussit cum protinus abjurare omnes, quibus tenebatur, errores, & in omnibus sentire cum orthodoxis, quo facto, consecravit ipsi modicum aquæ, & donatum Agno DEI dimisit certum obtinendæ gratiæ, quam petebat. Eodem ferè modo liberavit aliam fœminam Dæmonio vexatam, Græci olitoris uxorem. Vbi Peram venit, magnam sanè auctoritatem, & religioni nostræ, & sibi ipsi conciliavit, dum per solam aquam benedictam à malis infestos geniis liberavit. Et hanc ob causam cùm Græci tum Armeni templum nostrum Divo Benedicto initiatum perlibenter frequentabant tanquam peraccommodum cùm fundendis precibus, tum peragendæ liturgiæ. Quin imò ipsissimi renegati & Turcarum sacra complexi, ut in fide, quam dicebant se in animo retinere, confirmarentur, & confessionis causâ, perlibenter intrabant. Quia verò Cydarim infidelitatis signum non deponebant, eorum confessiones non excipiebantur. Excipiebantur autem uxorum confessiones, postquam, quod satis est, docuerunt se ex animo reverti ad fidem, quam ejulatibus sinceris prosternendo se in terram, & oscula Patris pedibus figendo, cum gaudio exeeratæ peccata testabantur Diripiebant folia lauri & myrthi, quibus templum & parietes exornabantur, iisque lectorum suorum spondas, & cunarum arcus obvelabant adversus infestationes Diaboli, & contra quodvis malorum genus. Conducebant ipsæ infantes ad baptismum. Et quamvis id facientibus pœna esset constituta rogus vel palus, non propterea ab eo conferendo abstinebat Pater Julius; imò se totum in hoc sancto obeundo obsequio singulari cum DEI protegentis servum suum auxilio occupabat.

Obsessam liberat.

& alios per solam aquam.

Cydaris infidelitatis signum.

Pœnâ rogi vel pali constitutâ non tamen abstinet à baptismo.

Frequenter ipsi Turcæ adducebant suos infirmos, quos habebant, incurabiles, ut supra eos invocaret Deum suum. Sic unam Turcam septennem ab ipsis incunabulis

Vnam Turcam sanat solo Crucis signo.

semper

semper ægram sanavit solo Crucis signo in fronte efformato. Privatis curis sociavit publicas. Coëgit suâ industriâ integram veluti synodum omnium religiosorum, qui in illis partibus quamvis diversi agebant, ut in rebus ad salutem illarum animarum spectantibus uniformes se gererent; verbi gratiâ in baptizandis Turcarum filiis, quando sic eorum parentes volunt, & promittunt se Christiano eos ritu educaturos, quòd fœminæ Catholicæ Latinæ possint nubere marito Græco, dummodo mariti non cogant eas ad ritum Græcum. Vicissim quòd maritus Latinus possit ducere Græcam, etiam schismaticam cum promissione vel spe eam reducendi ad fidem Catholicam. Quòd Christianis non liceat execrari, sive devovere Turcarum nomen, nec imprecari ipsis mala. Quòd non liceat ipsorum bona diripere absque justa compensatione. Quòd usura ipsis sit penitus interdicta, etiam cum in finem exercita, ut ex lucro redimatur mancipium. Quòd redempti legitimè, verè sint liberi, nec debeant operam redemptori, multò minùs teneantur peculium tanquam fructum, aut compensationem illius, quod ad redimendum eos mutuum acceptum erat. Quòd denique Apostatæ, sive renegati nullo modo absolvendi sint, nisi planè infidelitatis signis dissolutis, & abjectis. Ac quoniam opiniones his contrariæ usu ipso altas egerant radices, præoccupatis hominum mentibus & voluntatibus non facilè se errasse confitentium, magno sanè conatu & contentione elaborandum Patri Julio fuit, ut excogitaret modum uniformem, diversum tamen ab eo, quod ad id temporis erat usitatum. Apud Græcos longè plurimum effecit, cùm quòd & de ejus doctrina præclarè sentiebant, tum quòd & de ejus integritate & fide planè confidebant. Vnde quoniam sincero eum corde amabant, perlibenter & familiariter cum eo agebant, nec rarò cum illo in mensa quoque; non loquor solùm de

Synodi statuta.

Apostatæ & renegati quando absolvendi?

Mona-

Monachi Sancti Basilij.

Monachis Sancti Basilij montis Sancti in Macedonia, divisis in quatuor & viginti monasteria, ac rigidâ sub disciplina gubernatis, quibuscum habuit utilissimas sæpè collationes de rebus ad spiritum pertinentibus; verùm etiam de Calogeris, qui perfrequentes ad illum invisebant, devotionis spiritum ab eo hausturi, & literas, qui nunquam satis eum demirari, & laudare ejus caritatem potuere.

Calogeri.

Frequentabatur nostra Domus.

Quod verò pluris faciendum, ipsi Episcopi, Archiepiscopi, primates, Patriarchæ magno numero ventitabant ad eum in Domo Residentiæ nostræ, æstimantes illum pro homine, qui erat, docto, & insigni DEI servo, nonnunquam sortem suam, exilia, proscriptiones, quas patiebantur à Turcarum tyrannide, miserati, pertæsi proditionum, machinationúmque falsorum fratrum, quibus fides auro venalis est, mercantium à canibus templa, ac sese in Ecclesias intrudentium, fatebantur ingenuè Patri Julio, sese Ecclesiam amisisse.

Fassi suat se Ecclesiam amisisse

Quoniam autem pleraque horum malorum nascebantur ab ignorantia, cùm illic inter tot non nisi duo sint, qui calleant linguam Græcam, & auctores intelligant, ideò Pater Julius auctor fuit, ut multi illorum mitterentur Romam studiorum causa, quem in finem ipsis etiam de viaticis prospexit.

Auctor est, ut mittantur Romã.

Hos autem inter soli Armenorum Propatriarchæ, & soli Metropolitæ Veriæ, cui ab antiquo Titulus Patriarchæ competebat comites eò literas dedit. Hæ tales amoris demonstrationes sic Patri Julio eam gentem devinxerunt, ut suo hortatu tredecim omninò primi Græciæ Metropolitæ subscripserint, ituros se Romam, & Papæ obedientiam præstituros. Verùm illæ literæ perlatæ quidem Romam fuere ad Cardinalem Sanseverinum, sed ob mortem Gregorii XIII. desideratissimi illius nationis parentis non habuerunt effectum. Peræ conjunxerunt se cum ipso in vinculo charitatis & in conformitate opinionum Patriarcha Constantinopolitanus, & Antiochenus,

Mors Greg. XIII. turbavit omnia.

tiochenus, receperúntque venerabundi pontificis literas, polliciti id, quod poſtea reipsâ præſtiterunt, ſe miſſuros Romam virum ſuo de gremio, & ſanguine præſtantem, qui ſuo nomine Papæ tanquam ſupremo totius Eccleſiæ capiti obedientiam deferret, quamvis expeditio illa ſubinde non ità publica fuerit ob metum, ne eorum malevoli inde perſequendi eos ſumerent occaſionem: non defuit tamen charitati Patris Julii ſuus aculeus, non qui inficeret, ſed qui feriendo ſanaret. Patriarcham Alexandrinum amicum ſuum, virum Græcorum judicio ſanctum, & miraculorum Patratorem cordatè reprehendit ob neſcio quam parùm ſanam doctrinam in vulgus ſparſam; tantum autem abfuit eâ libertate Patris Julii fuiſſe offenſum, ut re meliùs expenſa palàm confeſſus ſit ſuum errorem, & illo ipſo deceptos errore ſecum traxerit ad canendam palinodiam. Libertas P. Julii non ſine fructu.

Eâdem libertate reſtitit legato cujusdam magni principis Hæretici, qui malis ſuis moribus magnopere offecit ſanctæ ſedi, inſuper arcana Chriſtianorum principum conſilia detegere Turcarum Imperatori ſolitus erat; hunc animosè à conſecutione templi Sanctgeorgiani à Latinis deſerti, nixus gratiâ & auctoritate legati Veneti impedivit, & ipſe aditâ poſſeſſione licet cum incommodo ſuo, ne profanaretur, hæreticum excluſit. Eadem libertas in legatum Hæretici principis.

Et quoniam ad ejus aures pervenit, alium quendum legatum orthodoxum fuiſſe adhibitum menſæ illius Hæretici, & quòd in Benedictione, aliisque precum formulis ritu hæretico cum eo communicaſſet, acriter objurgatum monuit, proſpiceret accuratè ſaluti animæ; ſcire enim eum oportere, excommunicationem à ſe incurſam, vetuitque confeſſariis, ne quemquam civem Peranorum, qui illi convivio affuiſſent, pro confeſſione abſolverent. Legatus mox domum noſtram venit petens abſolvi anathematis vinculo. Porrò admonitionem Patris Julij non ſolùm non ægriùs juſto tulit, Eadem libertas in legatum orthodoxum.

Humilitas Excommunicati.

verùm & illam in ſumma habuit veneratione. Dilata nihilominus abſolutio tantiſper fuit probationis causâ, ut eam conſtantiùs ac ſubmiſſiùs expeteret, fateretur culpam, nihil ſimile amplius auſurum ſanctè adpromitteret. Nautis præterea omnibus ſuæ nationis præcepit, ut ne quisquam navim vel celocem hæretico elocaret. Sanctus iſte rigor ſicut res Catholicorum mirum quantum erexit, ità Heterodoxi & ſequacium plurimùm attrivit ità quidem, ut nemo ampliùs nec de Turcis, excepto unico Hebræo veteratore auderet ſe illis adjungere: nec propterea Pater Julius contemptui Hæretico fuit, imò, ſive is timor fuit, ne amoveretur, prout Pater Julius agentibus Gallo & Veneto legatis conabatur impetrare, ſive opinio de integritate, & ſanctimonia Patris Julij, quoties illum obvium habuit, ei ſingularem depoſito pileo exhibuit honoris ſignificationem. Tanto in pretio vera virtus, & ſanctimonia habetur etiam ab ipſis inimicis, & ſeveritas uſurpata cum temperamento caritatis affectuum ſtudio non depreſſa conciliat non odium, ſed reverentiam.

Rigor ſalutaris.

P. Julium quoties obvium habuit, honorat.

Hujuſce rei clarum ſpecimen dedêre duo Catholici, perſonæ honoratæ. Hoſce Pater Julius quodam die in plateâ vidit parùm honeſtè occupatos ponè tabernam; ſubitò ipſi in mentem venit reprehenſionis faciendæ. Verùm juſta ex cauſa tunc quidem ſtatuit tacere, ac ſimulare nihil à ſe obſervatum: mox autem ſentit à zelo ſuo vehementer ſibi contradici; iret, expectoraret vaporantem animi flammam; jamque violentus ibat verſus illos cum non modica tempeſtate minax. Advertunt illi nubem ex vultu, citâ ſe fugâ auferunt in latebras, tota vis fulminis exoneratur in tabernæ præſidem, cui divinam minitans vindictam ſic ejus animum perculit, ut mox Patrem Julium rogaret veniam, ſanctè pollicitus, prout poſtea fecit, nunquam in poſterum ſe hujusmodi transgreſſionibus præbiturum anſam

Severitas cum temperamento.

Zelus zelans.

vel

vel occasionem. Quod & illi duo cordi habuêre, qui domi latentes, Patris Julij tonitrua audierant ex occulto, nihil tamen contra mutire ausi, reverentiâ viri absterriti. At verò, quemadmodum supra indicabam, cùm hujusmodi missionis princeps finis & scopus sit juvare Christiana mancipia, & captivos, horum in primis auxilio se Pater Julius totis viribus studebat impendere. Frequentabat eorum ergastula, quas thermas dicunt, diebus Jovis. Illic coram altari, extemporali modulatione decantabat vespertinas preces; adjuvabant cantum & Monachi, & Sacerdotes seculares, quorum illic semper est non contemnendus numerus, id quod miseris illis in magnum cedit solatium & gaudium. Inde ex sella supra tapetem ad dexterum altaris latus collocata, vel ex pergamo dicebat ad plus, quàm quingentas personas in balneis degentes, nam totidem illic ut plurimùm versantur, & nemo negligit concionem. Neque unquam facilè verba fecit, quin miselli illi non magnoperè plangerent peccata sua. Concione dimissa assidebat ad alterum altaris cornu auditurus confessiones, quas excipiebat ad usque auroram sequentis diei, cujus sub exortum accinxit se ad sacrificium Missæ, sub quo præbebat accedentibus sacram Synaxin, ut postea totam diem veneris sive feriam sextam haberent liberam ad obsequia Turcis præstanda, qui illum diem agunt festivum. Et hic, si unquam, ut aliàs dictum, elucebat ejus invicta patientia in tolerandis vigiliis, immunditiis, pædoribus. Advertebatur palam ejus caritas ardens in iis, qui ejus opera magis indigebant, & qui exomologesin diutiùs distulerant. Elaborabat potissimùm in cohortandis & animandis illis, qui omne genus inveteratos malos habitus in confessione aperiebant, ut radicitus evellerentur. In concionibus nihil frequentiùs inculcabat, quàm JESVM Christum venisse propter peccatores, & se ejus imitandi studio trajecisse tot

Energia monentis.

Frequentabat mancipia & captivos. decantabat vesperas.

Concionatur, excipit confessiones.

P. Julij invicta patientia.

Quid P. Julius potissimum inculcârit.

maria, tot peragrasse terras, nec quærere aliam mercedem aut lucrum, quam conversionem unius vel alterius ipsorum. Et cùm hæc diceret, conversus ad imaginem Crucifixi adeò tenera cum illo miscebat colloquia, ut non solùm omnes auditores moveret ad fletum, verùm & ipse quoque in abundantissimas prorumperet lacrimas.

Antea non erat aliud, quàm ipsissimus Acheron.

Annosiora mancipia dictitabant illi; Pater, tu hæc loca consecrasti adventu tuo; Antea non erant aliud, quàm ipsissimus Acheron. Ludebatur totis noctibus: non aliud videre vel audire erat, quàm diras execrationes, blasphemias, ebrietates, crapulas, & enormissimorum quorumque scelerum colluviem. Imò ipsi Turcæ, quod sine admiratione non possum memorare, illorum ergastulorum custodes orabant, & advocabant Patrem, ut illuc se conferret ad obeunda illa sua sancta opera. Et aliquando ipse Subasius, custodum princeps non dubitavit adire Patrem, illúmque rogare, ut accederet; quia verò Pater monstrabat se renitentem, ne suspicionem incurreret, quasi fugam promovere captivorum vellet, id quod acciderat alteri cuidam confessariorum, qui parùm aberat, quin & ipse in pœnam mancipium fieret, dixit illi: Tu Pater, benè, optimè facis, veni, accede, quotieslibet. Et cum ista fiducia, quam habebat de fide & virtute ejus, & aliis causis adductis compluribus, illi persuasit, ut eò accederet. Et sanè tantum erat miserorum illorum Patris desiderium, ut, cùm ipse ingredi balnea illa non posset, rogarent, & corrumperent custodes, quò per ipsos liceret sibi exire, & duci ad nostrum templum confessionis causa, & tunc semper Patri offerebant in eleëmosynam quindecim asperos, sive, quod idem, quindecim obolos. Illos Pater non acceptabat, sed eorum loco dabat illis corollas, Agnos Dei: sacras imagines, pro quibus ipsi, & illemet Turca custos à Patre hujusmodi

Ipsi Turcæ videbant ejus opera bona.

Circumspectio P. Julij.

Fervor mancipiorum.

Capiuntur donis.

modi reculis donatus maximas egêre gratias, mirificè illis donis recreati.

Neque verò isthæc tanta caritas usque secura ità evadere potuit, ut juxta assiduos labores non incurreret subinde plurima, eáque gravissima vitæ pericula servitutis, impalationis apud persidam illam gentem, quæ nunquam servat fidem maximè Christianis, & ministris Pontificiis, (& pro tali habebant Patrem) cui sæpiùs relatum est, quòd Turcæ ipsi machinarentur mortem; Et speciatim semel, cum à renegato quodam accusatus fuit pro exploratore Romano, ubi per triduum, quo agitabatur ejus causa, semper expectanda nex fuit. Verùm divina eum bonitas propter multas orationes, quæ pro eo fiebant, flagellationes, & alias ultroneas cùm à seipso, tum ab ejus socijs susceptas pœnas præsenti eripuit discrimini. Nihilominus Deus, ut barbariem Turcarum plus satis experirerur, absque eo, quòd hujusmodi tam utilem operarium Apostolicum per mortem illis partibus subtrahi permitteret, bene multas illi præbere occasiones patiendi pro amore suo voluit, id quod ipsi Patri Julio summo fuit solatio & gaudio.

Pericula servitutis, impalationis, mortis.

Per triduum semper expectabat necem.

Tales occasiones fuere præter contumelias frequens lapidum imber, quo compluebatur: fustium dolabra, alaparum grando, & hujusmodi injuriæ, quas ipsi inferebant Turcæ. Et ut luce meridiana constaret clarius, has tales vexationes esse dona, quibus Deus suis caris blanditur amicis; eósque corroborat in spe ac desiderio, quod habent, moriendi pro ipso, permisit subinde, ut ipsum occasio sufferendi dura pro Christo deficeret, cùm illam jam jam etiam contra ordinem naturæ videretur in manibus habere concluſam. Ità contigit, cùm aliquando ad latus seu angulum cujusdam Moscheæ ictum expectaret duorum prægrandium silicum, quos Turca Sacerdos sustulerat jam jam in illum ejaculaturus, ut ille planè immunis & inco-

Lapidatio, fustes, alaparum grando.

Jactura sine jactura.

lumis abiret, libratoris manibus sic, ut erant, immobilibus in aëre suspensis, nec valentibus ictum absolvere. Constantinopoli revocatur Neapolim. Hinc in Moream mittitur, priscis, ni fallor, Achaiam dictam, provinciam Africæ, in Civitatem Algieri, quam Turcæ Juliam Cæsaream vocant, duorum regnorum Neapolitani ac Siculi redempturus captivos. Quæ ambo regna constanter solicitabant apud Patrem Generalem pro Patre Julio; de cujus integritate ac fide plurimùm confidebant, præsertim ubi agebatur de summâ multò maximâ, in qua jam quorundam fidelitatem desideraverant. Pater Generalis eum pro bono animarum illarum annuit in ipsos tres continuos annos. Verùm partem ob suam valetudinem, partem ob inopiam sociorum ad hujusmodi expeditionem idoneorum coactus est spe citiùs reverti, anno in prima redemptione non omninò integro insumpto. Verùm si breve tempus fuit, non ideò breves, nec paucæ fuere ærumnæ & pugnæ, in quas illum ferocia illorum principum, ac populorum perfidia induêre. Impendit ille se totum, sicut Constantinopoli, in auxilium Christianorum Captivorum, iisdem caritatis officiis usus. Multus præterea fuit in reducendis ad sanctam fidem, in eâque, saltem in occulto illam repetendi proposito conservandis renegatis, id quod ipsis in articulo mortis plerumque ad resipiscendum contra votum cecidit. Demùm strenuè agebat causam redimendorum, quod sanè negotium multam ipsi laborum segetem ac certaminum facessivit. Rex ille, quem etiam Bassam dicebant, totam pecuniæ summam longè alium in finem allatam, illi eripuit, ac per vim domi suæ detinuit, quâ postea restitutâ adigebat illum ad majorem Captivorum numerum, quàm tenebatur. Dabat illi pro libitu suo captivos, quos volebat, neque ejus conditionis, neque nationis, quâ oportebat. Ægrorum unum, eúmque moribundum abstra-

Mittitur ad redimendos captivos.

Insumit eo in negotio annum non integrum.

Totum se impendit captivis.

Difficultas in redimendis captivis.

xerat

xerat in regiam ſuam, pro cujus ſalute & temporali & æternâ Pater Julius recurrit ad ſenatum Janizerorum, illúmq; recuperatum, ac Sacramentis Eccleſiæ ritè procuratum ſequenti nocte emiſit in libertatem filiorum Dei. Animum uſque adeò heroëm ac generoſum, cætera omni humanâ deſtitutum ope, in conſpectu dominantis tyrannidis, ſolo Deo confiſum, pro cujᵒ gloriâ militabat, inflexibilem, ac cedere neſcium, non poterat non mirari ſummopere rex ipſe, & ſtupentem inter ac timentem medius ſic ſe voluntati Patris Julij addixit, ut eum contra vim quorundam divitum renegatorum defenderit, volentium, ut Pater Julius redimeret captivos, quos ipſi cepiſſent.

moribundum emittit in libertatem filiorum Dei.

P. Julij ſtupenda magnanimitas.

Nec minores difficultates paſſus eſt ab ipſismet captivis Chriſtianis, atque à ſuamet, quam erga ipſos habebat, commiſerationis pugnâ. Omnes ſe illi offerebant liberandos; at pro omnibus non ſufficiebat lytrum à Congregatione Redemptionis Neapoli & ex Siciliâ ſubmiſſum; nec pro omnibus catalogus expediebatur à regnis. Incredibile dictu eſt, quantum eorum causâ doleret, quos relinquere in ſervitute cogebatur, & ipſi nimiùm quantum libertatis avidi, & parùm æqui patris delectui, in quas ipſum anguſtias redegerint vera falſa præferentes. Fuit autem his dubijs in caſibus planè admirabile divinæ providentiæ conſilium & auxilium, quam ipſe quaſi ſuo arbitratu in manu habebat ac poteſtate; ſiquidem in ſummis quibusq; difficultatibus, in quibus ſociorum variabant ſententiæ, ipſe levatis tantiſper in cœlum oculis, factâ ſilentio brevi precatiunculâ, ſubito conſilio cuncta expediebat mirâ omnium cum pace, & tranquillitate animorum, id quod nec ipſi barbari ſatis mirari aut capere apud ſe poterant; ſed in ſequentibus duobus caſibus clariùs pateſcet.

A Renegatis & à Chriſtianis difficultates.

Divina providentia eum à perplexionibus expedit.

Janizerorum quidam in redemptionis negotio cum mercatore, cujus in domo morabatur Pater Julius, colliſus

Janizari furiæ.

à ſua

à sua insita furia in transversum actus, solennem illi alapam inflixit, inde eadem erynnide impulsus conclave Patris Julij petiit, contumeliam illi allaturus. Reperit eum solum, & illum intuitus, planè alium mutatus in virum, indignationem vertit in venerationem; contigit eum manu protensa, quam eandem retractam, quasi sacram à contactu rei sanctæ venerabundus dissuaviatus est, sicque abscessit.

Deus pro dormiente excubat.

Hic ipse vir elapsis ab eo successu aliquot diebus, iterum ad Patris Julij cubiculum, iisdem agitatus domesticis furiis advolavit; reperit cubiculum clausum, vim adhibet, effringit. Dormiebat Pater Julius suaviter sellæ innixus. Vigilabat tamen pro ipso divina providentia, quæ truculentum illum hominem ex tigride mansuetum reddidit agnum. Vidit supra mensam positum rosarum unum, alterum gelsaminorum fasciculum, quem arreptum manu totum sparsit supra Patrem Julium. Et sic eum Nazaræum, velut rem Deo consecratam reliquit. Quæ res hoc dignior admiratione est, quo barbarior homo ille fuerat & crudelior etiam erga suosmet, adeò quidem, ut eum Janizerorum Aga seu princeps oportuerit ligatum catenis attinere; nec tunc pater dormiens potuerat se munire adversus eum suis solitis orandi formulis, & si pro dormiente excubuit Deus, quanto magis pro orante excubuisset? Ad hanc ipsam Dei pro Julio soliciti curam referri debent illa privilegia, & gratiæ ipsi à Deo concessæ, cujus amicitia ipse magis, quàm ullus alius fruebatur. Discedenti aulæ præfectus, & Jeminus Publicanus dederunt saccos plenos panibus, vervecina, & reliqua in iter viatoria annona. Et cum Algieri moraretur, præsertim æger gubernator Subassius, princeps captivorum custos, quasi quotidie illi misit aquas mellitas, & alias illius terræ delicias, absque omni remùnerationis spe solo illius amoris intuitu, quo illos barbaros sibi obligatos reddiderat.

Sparsi super eum flores

Dona P. Julio à barbaris oblata.

diderat, qui mancipiorum corpora tenebant ligata catenis & ferro.

Hæc ipsa & majora his benevolentiæ argumenta ipsi Hæreticus quidam Anglus exhibuit substitutus illius nationis procurator. Cui pater vicissim studuit se gratum exhibere per auxilium, quod ipsi cederet in salutem animæ. Tantundem studij & operæ item nisus est conferre in conversionem quorumdam Maurorum, qui iis in terris vivunt ethnicorum ritu, nec se circumcidi sinunt, nec sequuntur cultum Turcarum seu Mahumeti. Verùm tam viri, quàm fœminæ gerunt insculptam in fronte indelibili charactere crucis figuram, asserúntque se expectare Regem Franciæ, qui olim fuisse in illis partibus perhibeatur, & instruxisse ipsos in fide, pollicitus rediturum se, & impertiturum ipsis sacrum baptismi fontem. Propter quod abhorrent ab omni alio religionis ritu, Christianis tamen singillatim amici, & ad fidem propensi. Hinc Pater Julius maximoperè doluit, non licuisse sibi diutiùs illic subsistere ipsorum bono, & longè magis non potuisse reperiri, qui ad illorum facilem Conversionem elaborare vellet: Denique non tantoperè mirum videri debet, si homines illi, etsi oppidò efferi exhibuere sese humanos & placidos erga Patrem Julium, cùm & ipsæ feræ alioquin naturâ crudelissimæ, quibus illæ provinciæ abundare solent plurimùm, innocenter cum ipso colluserint, ut sunt Hircanæ Tigrides, Getuli Leones; ex quibus unus planè familiariter cum illo jocari solitabat apprehendendo, & succutiendo laciniam vestis, palpando innoxiè ejus manum gutturi immersam, absque eo, quòd ei minimum afferret nocumenti; Etsi cæteroqui erga alias, etiam sui generis bestias satis se gereret præferocem & truculentam. Ita nimirum Deus ordinat, ut illi, qui per virtutem & innocentiam vitæ bellum gerunt contra peccatum,

Barbaros quosque sibi devinxit.

Mauri quidam non abhorrent à relig. Catholicâ.

Bestiæ, & Leones ipsi mansueti.

tum,& peccatores, pace gaudeant cum belluarum ferociſſimis,& iſtæ nihil in ipſos inſurgant.

CAPUT X.

De Converſione quorundam Renegatorum.

QVi à Chriſto, ejúsque ſancta fide deſciſcunt, ad id faciendum plerumque non tam quòd illa ſacra myſteria pro incertis habeant, aut incredulitate vacillent, ſed vel ex ſubita ſiniſtrarum mentis affectionum vertigine, aut deſperationis circumactos rotâ induci videmus, unde Pater Julius ſemper in illorum cordis intimis receſſibus deprehendit quasdam latere vivas cœleſtis illius lucis ſcintillas, quæ identidem ſuam ipſis infelicitatem exprobrent, & loco aureorum calcarium ipſos indeſinenter fodicantium ſerviant, & excitent eos ad revertendum, unde præcipites abierant. Multi horum nihilominus de die in diem procraſtinantes ſanctum propoſitum, jam vanis majoris lucri impleti ſpebus, jam amore mulierum,quarum nimis,quàm ſtringentibus impliciti tenentur laqueis, improviſæ mortis ictu rapti miſerabilem à temporalibus pœnis faciebant tranſitum ad æterna ſupplicia. Iſthæc continua animarum jactura, quæ tamen facili negotio impediri poſſet, viſcera optimi Patris Julij tanquam acerbiſſimum tormentum corrodebat, unde totum ſe convertendis renegatis dedit,eventu ejus zelo & induſtriis pari.

Renegatorum perpetui ſtimuli.

Jactura tot animarum viſcera P. Julij torquet.

Inter multos, quos convertit, erat antehac quidam Doctor Romæ ac Sacerdos, quem ſententia contra ſe lata ab auditore Cameræ compulit in Turciam ad abjurandam fidem; cujus reditus hoc utilior, ac fructuoſior fuit, quò major ſtrages, quam inter captivos, & alios ſimplices Chriſtianos perverſis ſuis doctrinis edebat. Circumciſionem docebat

docebat ad salutem necessariam, Judæorum religionem esse meliorem Christianâ, optimam ex omnibus Turcicam. Multo tempore Pater Julius optabat occasionem cum ipso colloquendi, quam deniq; per alium renegatum nactus est peropportunam. Tum dulcibus usus modis interrogavit eos de patria, revocavit eis in memoriam quosdam Patres Societatis, qui fuerant illorum præceptores, paulatim reduxit ad mentem erasas Christianitatis species; instillavit cordibus illorum in primis affectum illorum patrum, subinde etiam documentorum perutilium, quæ in tenera illa ætate imbiberant. Ità sensim memores felicium illorum quondam annorum, quibus innocenter vixerant, comparantes illum felicem statum cum hoc pleno enormitatum cœperunt prioris desiderio teneri, istum præsentem ex animo detestari. Huc usque illos primo in congressu adduxisse satis habuit Pater Julius, nec ultra progressus benevolos eos dimisit cum spe brevi conventuros iterum. Id quod non multos post dies factum. Tunc Conversionem ipsorum propiùs ex professo tractavit, & gratiâ Dei cum fervore servi sui velificante lucratus est ambos, quorum alter brevi pòst extinctus peste spem reliquit posteris, vitæ post hanc inchoatæ melioris. Alter, nimirum Doctor longissimo tempore expectavit occasionem fugæ, interim à Patre provisus, ut haberet, unde viveret.

captat cum eo colloqui.

Se insinuat dextrè eorum animis.

Primus congressus disponit ad alterum

unus brevi moritur, alteri providet P. Julius.

Fuit etiam percelebris, & gloriæ Dei admodum ferax famosi illius Vrbani Capitanei Conversio. Hic propter gravia & multa delicta gestabat quasi ab omnibus Italiæ principibus & statibus, unde proscriptus erat, inustas infames notas. Aliquando non multum aberat, quin caperetur à militibus Venetis, quorum Dux illum Cattari cognitum secutus est Castelnovum, ubi illum à Waivoda Commendante Turca petiit: nec hic eum Veneto salvis pactis poterat negare. Verùm Vrbanus videns se his angustiis in-

Vrbanus Capitaneus.

ut evadat, vult Turca fieri.

cluſum quærit ex Turcis, an ſit modus ullus aut locus ſalutis? non alium, reſpondent, niſi ut fiat Turca. Acceptavit ille inter ſacrum & ſaxum conſtitutus peſſimam omnium conditionem. Quare illa adhuc nocte inter cuſtodes evaſit Conſtantinopolim. Hic poſt aliquàm multum temporis lapſum captus inſigni Patris Julij virtute venit ultrò ad

Inviſit P. Julium.

eum inviſendum cultu incognito, petiítque ipſi loqui. Pater libenter illum admiſit, & introduxit in Domum. Non, dicebat Vrbanus, non hoc, Ego tibi loquar in Camerâ, Pater vehementer dubius, an iſta futura eſſet Camera caritatis, nolebat ulla ratione fidere, verùm tot uſum valde congruis argumentis denique poſt breve cum DEO colloquium, etſi magna cum formidine oppoſiti admiſit in cameram, eúmque ſecum, quamquam non ſine circumſpectione, conſedere voluit ſupra eandem ciſtam. Tum Vrbanus, ne mireris, inquit, ſi me vides habitu Turcico. Huc me compulit extrema neceſſitas fugiendæ mortis, non electio hujus peſſimæ vitæ. Equidem nunquam ex animo negavi fidem, ſed ſolùm actibus externis, & in teſtimonium dictorum extraxit ex ſacculo Coronam Beatiſſimæ Virginis, quam ajebat recitaſſe quotidie. Et hæc dicens non flebat duntaxat effuſiſſimè, verùm etiam profundiſſimos ex

Circumſpectio Patris Julij.

Aperit ſe P. Julio Vrbanus ſincere.

corde ciebat gemitus & ſuſpiria. Pater eum perhumaniter conſolans cœpit cum illo agere de modo revertendi ad Chriſtianiſmum. Vrbanus animi promptus, ut ad honorem Dei tantundem faceret, quantum antea mali commiſiſſet, propoſuit ſe velle cum novem decim renegatis convenire, ac fingere, ituros in certum locum, ubi navis Turcica ſtaret jam jam in procinctu plena Turcis, iſtos velle trucidare, trucidatos in mare proturbare, ac dein profugere in quandam Chriſtianorum civitatem. Pater Julius proſpexit ipſi de neceſſariis pecuniis ad capeſſendam fugam. Verùm cùm fortuna non ferret, ut, ſicut conſtituerat,

Illacrimatur ſuis malis.

Conſilium Vrbani diſſipatum.

in

morabilem victoriam reportavit. Convetsis per Turciam alios addam per transennam in civitatibus Italiæ ad fidem reductos.

Florentiæ 26. Turcas convertit.

Florentiæ diversis & repetitis occasionibus operam commodante quodam probati spiritûs sæculari viro convertit Pater Julius, & ad baptismum perduxit ipsos viginti sex captivos Turcas, quos magnus Hetruriæ Dux & alij subegerant. Hos inter unus indignatus socium suum, qui se ad Christi sacra paulatim parabat, lecto affixisse imaginem Beatissimæ Virginis, cui omni vespere certum orationum pensum eo die memoriâ comprehensum recitabat, manus in illam iconem injecit, & per rabiem in multa eam frustilla dilaceravit, Ecce autem illâ ipsâ nocte Regina cœli se aspectabilem sistit, & comminans de sacrilegio, monet, ut & ipse Christianum se faciat. Nihil ille tergiversatus monitis obtemperans Patrem Julium convenit, à quo instructus sacro fonte tinctus est. Et miraculo propinquum fuit hominem jam quadraginta natum annos, crassi cerebri nihilominus summa cum facilitate emnia homini Christiano scitu necessaria potuisse addiscere & capere. Neapoli item multos Turcas per triremes sparsos ad fidem adduxit. Huc ille quotidie inter pluvias, & alias cœli & maris injurias nullo habito respectu itabat. Et erat illorum Turcarum, ad quos se applicabat Pater Julius, tam certa conversio, ut multi Domini sua ad ipsum mancipia mitterent, certi se recepturos Christiana pro eo, ac semper accidebat. Nec solùm ille convertit magno numero renegatos & Turcas, verùm & plurimos impedivit, ne Christum abnegarent, aut si semel Christum didicissent, ne iteratò desciscerent. In hoc pio opere affirmat magno sibi adjumento fuisse Constantinopoli Procuratorem Venetiarum, quem Bailum dicunt, domo Morosinum, cujus equidem nomen non exprimit, sed quantum conjicio, & dicemus

Maleficiũ beneficio plectit B. Virgo.

Facilè capit mysteria.

Neapoli multos convertit Turcas.

Plurimos impedit, ne Christũ negent.

lib. 3.

in dictam navim incideret, ejus machinatio fuit ab renegatorum uno Turcis prodita, & ipse in validas missus catenas, multis illic mensibus attinendus, donec calidis à Patre Julio precibus commendatus Deo, tandem examinatus à Subassio fuit linguæ Italiæ perquàm gnaro. Huic cordatè negavit consilium fugæ, animosèque obtulit se ad experiundum suam innocentiam per tormenta coram accusatore suo, quo non comparente Vrbanus redditus est pristinæ libertati, imò classi per mare præfectus, qui honos & ipsi antea habitus fuisset, si aut ipse sermonem Turcicum calluisset, aut subassius callens Italicè visitasset carceres. Turcæ namque tractant perhumaniter miseros captivos, emendicant pro ipsis liberales eleemosynas, & in singulas septimanas obeunt ergastula, causasque absque morosa procrastinatione expediunt. Procuravit ipsi præterea Pater Julius à Sixto V. interventu Cardinalis Sanseverini, & pecuniarum, quod satis erat, & insuper salvum conductum; Ipse autem captâ occasione, coëmpto ab Italis mercatoribus navigio, transvestitus in nautam cum Lusitana sua conjuge fugâ se Anconam recepit. Hic pede vix in terram posito agnitus pro eo, qui erat, famoso exule iterum rapitur ad carceres, in quibus incluso manendum fuit eò usque, dum summus Pontifex, certior de eo per liberas factus, eum Romam mitti postulavit. Romæ agnito & probato ejus salvo conductu non solùm liberatus fuit, verùm & honoribus auctus, præfecturam cohortis levis armaturæ equitum obtinuit. Quò, cùm & Pater Julius postliminiò rediisset, sæpiùs fuit ab illo, superbo in vestium cultu ac famulorum coronâ cincto visitatus, ac pro suo unico salutatus liberatore. Inde Dux equitatui datus, missus in Belgium, & hinc in Pannoniam, se pro insigni & animoso Christiano milite maximè adversus Turcam gessit, à quo Javarino per nostros recepto nobili usus strategemate memorabilem

Procurat ipsi salvum conductum.

Anconam se recipit.

Romæ P. Julium agnoscit.

In Pannonia nobilem obtinet victoriam.

lib. 3. c. 12. de Prophetiis, fuit ille ipse, qui postea electus Cardinalis illustravit suis meritis purpuram, vir, ut ait P. Julius, optimi de sereniſſima meritus rep. nec minùs de nostra Societate, quam ille magna ex parte illuc introduxit, eleëmosynis sustentavit, gratiâ promovit, magna animarum bono operandi occasionem fecit. Habebat vir iste curam perquàm sedulam, quoties illuc Christianorum quispiam adveniſſet, qui non esset institorum de numero, statim explorandi, quis esset; nam experientia didicerat, hos tales non facilè aliâ ex causa illuc se conferre, quàm negandi fidem. Vbi talis appuliſſet, confestim ultrò illum adiit, loquebatur perhumaniter, ac, prout cum Patre Julio convenerat, dabat receptum domi suæ, providebat illi necessaria ad sustentationem; demum illum patri Julio contradebat, qui suis spiritu plenis exhortationibus, & documentis confirmatos in fide, & adversus omne periculum emunitos data commoda navigandi occasione remittebat in patrias suas.

Morosini Cardinalis.

Morosini & P. Julij conspiratio in bonum Fidei.

Ex his multis sex potiſſimum erant illustriores, attentis, quæ, si Turcæ facti fuiſſent, perpetraturi erant, malis. Vnus professione religiosus, officio Eccleſiastes insignis, alius excellens gradu Doctor, tertius Sacerdos jam Romæ promotus, ttes reliqui jam militiæ auctoritati, quorum fidei, & custodiæ Christiani principes, arces & munimenta crediderant. Raguſæ cùm esset Pater Julius, incidit in Turcam de visu satis sibi exploratum & cognitum, sed non poterat recordari, unde aut quomodo ejus intrasset in notitiam. Oravit Deum, sibi ut suggereret, quis ille homo esset? Nocte expergefacto subiit, illum à se Florentiæ cognitum, cùm esset cujusdam Hiſpani mercatoris mancipium fidem Catholicam edoctum, & fonte lustratum piaculari. Manè de lectulo consurgens, factâ ad Deum pro ipso oratione, & lyturgiâ peractâ proceſſit ad eum per civitatem inquirendum

Quærit oviculam perditam.

invenit, & reducit eam.

rendum, repertum in foro magna populi coronâ circumdatum ſtatim ſalutabundus tanquam notum adiit: mox & ab illo in partem à frequentia ſeducto intelligit, ipſum cum alio Turca itidem Chriſtianè tincto arripuiſſe fugam animo redeundi in Turciam, poſtquam unum ex cognatis ſuis, quem Chriſtiani Sacchenſes attinebant Segnæ captivum, quò ipſe nunc mitteretur, denumerato lytro liberaſſet. Lætatus eſt ſummopere videre ſe hic ſuum antiquum patrem; Et fuere P. Julij cohortationes ità efficaces, & in cor penetrabiles, ut ſanctè receperit non reverti in Turciam; Pœnituit illum perfidiæ ſuæ recitato fidei ſymbolo, quod nos Credo dicimus, & compluribus aliis orationum Chriſtianarum formulis conteſtabatur longè magis ſibi placere religionem Chriſtianam, quàm Mahometanam.

Offert Patri Julio munera, ſed non acceptat.

Inde patrem deduxit ad ſuum diverſorium, ubi apertis illi armariolis, & ciſtis, quas illi Zepettos dicunt, plenis omni pretioſa ſupellectili, & pecuniis, monuit patrem enixè, ſumeret inde, quantum vellet. Pater actis perhumaniter gratiis nihil acceptavit, illúmque in pace bene animatum dimiſit magnopere dilaudatum, quòd inter pretioſa illa & ditia dona etiam agnos Dei, coronas, & hujuſmodi Chriſtianæ pietatis inſtrumenta conſervaſſet, manifeſto utique argumento, quanti ea faceret, quámque cordi ſemper affectum noſtram erga religionem habuiſſet, in qua denique ſanctè perſeveravit.

Chirographa dat converſis.

Illis renegatis, qui poſt converſionem ſuam non ſtatim poterant ſe ad Chriſtianorum terras fugâ recipere, dedit Pater Julius Chirographum ſuâ manu exoratum, ipſos ritu Catholico expiatos, & cum ſancta religione reconciliatos fuiſſe, ut poſtea opportunitate fugæ oblata poſſent ſe ſubtrahere rigori Judicum Eccleſiaſticorum, ac duplici gaudere pace & corporis & animi, id quod plurimis magno fuit adjumento, ut faciliùs ſe converterent, & in patriam reverſi

reversi absque obstaculo Christianè possent vivere jam auctorati Catholici. Suppeditabat ipsis quoque Catechismum fusiorem Cardinalis Bellarmini, & alios libros, ac pios tractatus, qui facerent ad conservandos eos in fide reassumpta, & observantiam illius præceptorum: neque verò tot Saracenorum conversio caruit præsentibus vitæ periculis, quibus objectare caput suum Patrem Julium oportuit; Etenim cum omnia in occulto agenda essent, corradendæ pecuniæ, ratio ineunda fugæ capessendæ, procurandæ tabulæ aperiendis trajectibus, baptizandi infantes magno numero, mares & fæminæ, si Turcis judicibus hæc omnia vel ex parte innotuissent, næ ille herclè non potuisset non timere nisi mortem immanitate peracerbam. Eum autem deferri in actibus tam frequentibus facilius erat, quàm unusquisque sibi imaginari equidem possit. Ex periculorum magnitudine & evidentia haud difficulter ejus metiri caritatem licebit, quæ non semel duntaxat in vita, quod satis esset, verùm quasi quotidie sæpius, tot annis posuit animam suam pro amicis, & inimicis, mille inter rerum discrimina & obices, in summa omnium necessariorum egestate. Non autem facilè credi potest, quantum existimationis Societati nostræ Sanctis suis moribus, & exemplari vitâ pepererit etiam inter illas barbaras, & à Christianismo abhorrentes nationes. Quoties effrenatior aliquis auderet ipsum vel socios verbis vel factis lacessere, statim aliis cum encomiis, & summis laudum titulis ad eum defendendum convolabant. Et hoc vel maximè actitabant renegati adducendo præclara ejus exempla, quæ adhuc Christiani suis in terris usurpassent oculis, vel à nostris Patribus in Scholis, pro concione, in Sodalitatibus audissent. Ità indubitatum est solidam bonitatem conciliare reverentium, & amorem etiam in animis vitio in terram curvis; & documenta discipulis instillata esse sementis

Objicit caput suum multis periculis.

Caritas ex periculis metienda.

Societati magnum nomen parit.

Defenditur etiam à Renegatis.

instar in terram jacta bonam vel statim, vel tandem fructus geminare vitæ æternæ.

CAPUT XI.

Quantum boni in aliis Missionibus præstiterit; & de periculis, ex quibus illum Deus liberavit.

Trajicit in Asiam.

BIzantio Pater Julius trajecit in Asiam, quæ ex adverso respicit Constantinopolim, dictam Nataliam. Illic videre fuit Chalcedonem civitatem antiquam Græcorum factam mapale. Attigit & Sardos, ubi Concilium celebratum à civitate dictum Sardicense. Hic Archiepiscopus homo prisci candoris, natus annos omninò septuaginta ex submissione animi circulum portavit ferreum ex collo pendulum, & Patrem Julium singulari cum charitatis affectu excepit, rogatum, ut se Romam secum perduceret. Etiam Scuttaros pervenit terram perfrequentem, & quasi totam à Turca habitatam, in cujus tractibus multæ villæ & loca sunt pro recreatione magni Turcæ. Invisit antiquum & celebratissimum Dianæ templum montis in jugo altissimi exstructum, nunc magna cum sua consolatione conversum in Sacerdotum Græcorum templum in ipsis Bosphori faucibus; cujus ad pedem in medio Euximi maris canale colossus erectus stat Pompejanus. Multa ipsum oportuit pati in enavigando illo mari, quod propter continuas & turbidas tempestates Turcæ nigrum appellant. Coactus fuit sæpiùs exscendere in terram, uti Constantiæ, & Misembriæ, Archiepiscopatu, & civitate quondam nobilissimis, nunc autem ignotis villis. Intravit in ostia Danubij, & navigato eo flumine trajecit in Walachiam, & Moldaviam terras ministris, & mercatotibus Lutheranis infectas, qui illuc ex Pannonia trajecerant. In civitate Sassorum Provinciæ

Episcopi prisci moris.

Pompejanus Colossus.

Terras Lutheranorum attigit

vinciæ Metropoli, & Dueis ſive Waivodæ regiâ ſtatuerat operari ſacris in templo Latino à Lutheranis uſurpato, & propterea vexillis, & armis militaribus pleno in muris & pavimento expreſſis. In ſepulchris quoque figuratæ erant tubæ, & moriones cum pennis in capite, & galeis, loco crucis & aliorum pietatis veteris ſignorum. Veſtium Sacerdotalium apparatus cuſtodiebatur à figulo Lutherano. Et cùm pater circumſpectè inſpiceret petram conſecratam, vidit illam diſſolutam, & abſque conſuetis reliquiis; proinde procedendum fuit ad ædem Armenorum, qui ipſi libentiſſimè annuerunt celebrandi facultatem, ſed & hic ſacrificium impeditum fuit metu hoſtiarum, quibus illi Sacerdotes utuntur, quæ ſunt in formâ placentarum digitum denſarum, in medio ſignatæ tabellularum ritu ſaponaceārum, quæ Venetiis vel Bononiâ afferri ſolent; nec ſciebatur, utrum eſſent azymæ, an fermentatæ. Reverſus itaque ad primam Ædem cum populo numeroſiſſimo inſtitorum Italorum, Græcorum, Moldavorum, Teutonum magnam partem Lutheranorum, ferventiſſimam illic concionem æquali cum fructu & eorum ſolatio habuit; ſermones autem, quos Pater Julius cum illis populis miſcebat, ſic ut plurimùm probabantur, ut Bartholomæus nobilis Albanenſis militiæ clarus, & Waivodæ percarus cum multis aliis eum illic conati ſint retinere, ut in aliqua earum civitatum, in qua ſedes vacabat, Epiſcopum crearent. Verùm is efficaciſſimè ſe oppoſuit, ſi tamen fieri ſuperiorum cum venia potuiſſet, libentiſſimè illic, ut privatus manſiſſet illorum bono populorum, qui antea latini omnes, nunc exceptâ unica Bruti familiâ, ſacerdotum inopiâ tranſierant in ritum Græcorum. Aliter nec per animi ſui demiſſionem ac modeſtiam, nec per regulas inſtituti ſui unquam daturus fuerat conſenſum. Hoc tamen utilitatis traxit ab amore illius devoti Domini, ut per auctoritatem ſuam Ducem eò

Templa Lutheranorum.

Hoſtiæ inſtar placentarum.

Concionatur Lutheranis cum fructu.

Colloquia cum eis.

Petunt illum Epiſcopum.

Vetantur admittere ministrum Lutheranum.

permoverit ad ferendam suis subditis legem; ne porrò vasalli sui, terræ, communitates ullum reciperent Sacerdotem vel Ministrum Lutheranum, qui secus feciſſent, graviſſimis subjacerent pœnis. Hinc prosecutus est iter suum in Podoliam, inde in Russiam, ubi perlitavit, & plurimùm boni contulit ad salutem mercatorum Italorum, & Armenorum, à quibus & ipse demonstrationes viciſſim accepit amoris cujusdam singularis & eximij: Causa fuit, eo ipso quasi momento temporis Româ rediisse eorum quosdam mercatores, referentes gratias extraordinarias suæ nationi exhibitas à summo pontifice.

Amor & reverentia mercatorum Italorum in P. Julium.

Leopoli illum domum suam accepit Archiepiscopus ille societatis amantiſſimus, illúmque per duos omninò menses detinuit, nec aliter eum tractavit, quàm fratris loco publicè gloriatus penes se habere hospitem sanctum, & toto illo tempore eo uti voluit à Confeſſionibus arcanis. Venit hinc Craccoviam civitatem regiam Poloniæ, ubi Collegium est Societatis, in quo multum pro gloria Dei elaboravit. Magnus ad eum concursus fuit confeſſionis causâ, nobilium illius Catholicæ Vniversitatis discipulorum; nec non & unius percelebris Doctoris, qui antehac non ità bene affecti erant erga Societatem. In summa ejusmodi fervor in illis excitatus fuit, ut ille, quem dixi Professor, aliíq; multi primæ nobilitatis adolescentes nomen certatim dederint Societati, & plures alios religiosorum ordines ambiverint. Instituit illic, vel potius dissolutum restituit sodalitium quadraginta quinque nobilium Juvenum, qui octavo quoque die sacramenta frequentant; collegit etiam conventum Sacerdotum, quibus prælegebat, & explanabat Casus conscientiæ, & aliis exercitationibus piis & sanctis excolebat eorum mores. Brevis hic commoratio Patris Julij fuit. Vienna illud Austriæ evocabat, quò unà cum duobus Comitibus Lutheranis contendit, quo in itinere continuæ

Venit Craccoviam.

Sodalitium octavo quoq; die confitentium.

Explanat Casus conscientiæ.

ejus

ejus actiones erant recitare coronam, legere Horarum pensum, quod nos Breviarium dicimus, alias pietatis persolvere orationes, de quo Lutherani, quorum ad latus Pater Julius assidebat in curru, non solùm nullo tædio afficiebantur, verùm etiam ad cauponas eum secum heterodoxas deducebant; atque illic, ubi mensæ ritu Catholico bene precabatur, & remotis epulis gratias agebat, nihil prorsus molestiæ ipsi inferebant. Diebus inde, quibus nobis interdictum est vesci carnibus, nunquam ausi sunt curare illam mensæ inferendam; vel enim aliâ separata in mensa assederunt, vel etiam jejunavere à carnibus. Sic itidem Silesiam, Moraviam, & Bohemiæ confinia peragravit, donec Austriam & Viennam tenuit, ubi aliquot mensibus substitit; nec aliud de ipso illic lego, nisi multo cum exemplo cæterorum vixisse. Quæ attestatio causa est, ut debeamus dicere, cùm in omni loco, ubi agebat, semper ediderit boni specimina exempli, eum hic singularis cum exempli laude fuisse versatum. Certum est ejus integritatem hic loci præsertim valuisse contra malos Dæmones, prout dicetur alio loco.

Proficiscitur Viennam Austriæ.

Lutherani accommodavere se P. Julio.

Vienna magno cum exemplo degit.

Post hæc vox obedientiæ illum vocavit in Italiam, & in hoc itinere quasi perpetuò oportebat illum transire per loca & terras Lutheri fermento inquinatas; nihilominus semper vespere in oculis seductæ plebis solitus est horarum dimensum persolvere; & manè tempestivè facere ad aram, verùm in templis Catholicorum. Et hoc ipsum multis illi munusculis constitit, quin & ære, ut vel se eò ducerent, vel templi fores reserarent. In tot, támque longis itinerum ambagibus unusquisque facilè de se conjiciat, quantum ipsi patiundum fuerit pro salute proximorum, quibúsque periculis objiciendum proprium caput. Paucula duntaxat de multis refero, ex quibus divina illum misericordia liberum voluit, ut appareat, quàm pretiosa ejus salus in oculis Dei

Valuit præsertim contra Dæmones.

exstiterit, qui pro gloria numinis, & proximorum salute non dubitavit suam tot dimicationibus objectare. Cùm vela faceret Anconâ Ragusam, navis per ipsum quatriduum jactabatur in mari tempestate maximâ, nec minùs nauseâ quassabatur Patris Julij eversus stomachus, dum per violentiam, quod ipsi necessarium in alimentum suggerebatur, regerebat. Accessit difficultas capessendi somni, quem conciliandi nullum locum inveniebat. Et quia in loco clauso plus incommodi percipiebat, collocavit se sub mensâ, in qua manducabantur cibi, ut ne omnium omninò oculis esset expositus. Quarta nocte tantum aquæ navis admisit, ut nautæ cum vectoribus exhauriendæ sentinæ minimè sufficturi, cùm non procul abessent ab interitu, alta peterent, futuri promptiores hic in scapham desiliendi, ille captandi tabulam, cujus auxilio enataret. Tum enimverò Julius solus ingressus conclave juxta puppim, factâ prolixâ oratione, flagellatione, & duobus examinibus generali & particulari, elicito intenso Contritionis actu, dispositus, quod in ipso erat, ad mortem, cùm amplius non posset resistere vigiliis & inediæ conversus ad Dominum; En mi Deus! dicebat, feci per vires, quantum licuit, nunc saltem cum animo & corpore deficio, nunc, oro te, saltem aliquantillum somni mihi, & quietis indulge. Hoc dicto abjecit se humi, & mox placidè obdormiit usque in alterum lucescentem diem. Interquievere etiam paulatim (dante hoc Deo Julij orationibus) jactationes maris, imò & socij, qui collecti ex timore ad aspectum auroræ invenerunt ipsum solum mira cum tranquillitate dormientem, id quod summopere admirati, nihil perterritum fuisse ad tam præsentem intentatam omnibus mortem, suam & ipsius salutem ejus meritis & precationi adscripserunt.

In mari quatriduo jactatur.

Ratio capessendi somni.

Disponit se ad mortem.

Capit aliquid somni

Etiam alia navis suam ipsi salutem adscribit.

Geminum huic discrimen experta alia navis in mari nigro etiam ejus interceſſione salva evasit. In hac navi

Pater

Pater Julius alium locum non habebat, nisi sub abscessu, vel fenestra sentinæ, ubi præter intolerabilem, qui ipsum affligebat, fætorem, quoties noctu trahebatur sursum aqua, tantum magnam partem in ipsius caput recidebat, gaudentis ita se vivere etiam dormientem posse cum occasione duplicis de se reportandæ victoriæ. Illo sic qualemcunque capiente somnum forsitan in pœnam illorum, qui ipsum ad locum tam indecentem detrudi permiserant, surrexit gravissima ab usque imo profundi maris procella, aër etiam contenebratus & convolutus inter densissimas pluvias, & effusum nimbum, inter fulgetras & tonitrua, inter fulmina ita frequentia, ut sequens invaderet spatium prioris necdum finiti. Hæc omnia eum navigantibus incussere terrorem, quem præsentanea solet mors incutere, præsertim in umbilico noctis, ubi obscurum & renebræ omnem artem nauticam frustrantur,& impediunt. Maximum discrimen imminebat à ventis, qui in seipsos furiosi & pugnaces coëgerant nautas omnem suam spem salutis collocare in anchoris, quas demiserunt. Sed & ista spes brevi evanuit; ventorum namque rabie mox disruptis funibus navis imprudenti permissa fortunæ arbitrio,& impetui ad evidens naufragium festinabat. Tum enimverò & vectores & nautæ tenuere se pro hominibus in faucibus mortis relictis,& desperatis, cursitantes huc illuc, plangentes, & percutientes pectora, aut capillos evellentes, projicientes se in terram, nescquicquam vocantes iste patrem, matrem ille; alij uxores, alij filios miserabili planè,sed parum laudabili spectaculo, neminem unum inter eos fuisse, qui in ultimo rerum ac salutis periculo,auxilium & nomen Domini imploratit. Quate Pater Julius zelo succensus in medio illorum imperterritus discursans prostravit se in genua, orans atque obsecrans misericordem Deum pro binâ miserorum illorum salute; inde vertit se ad ipsos,& cohortans,

Incommoda navigationis.

Nec ulla spes in anchoris.

Tempestas maxima.

Schema pereuntium.

Julio salus eorum cordi est.

hortans, ut idem facerent, jussit ponere in Deo spem suam, non defore ejus auxilium in tempore opportuno. Nec multum intercessit moræ, cùm ejus promissio impleta est, navim divinâ aurâ præter omne humanum consilium ac spem in terram subtrahente,& extra periculum ponente.

Aliud priore majus periculum.

Majorem hac aliam quoque gratiam nacta est hæc ipsa navis octo vel decem millibus ab ostio Danubij, in hunc fluvium ingredi debebat, quoniam autem glebæ ac luti tantum illatum erat in mare, ut in ea arena fixa & immobilis nulla aut arte & vi, quantumcunque tandem admoverent, nec minimùm dimoveri posset, longè major hic præsens timor præterito evasit, major etiam clamor & desperatio ejulantium. Jam institores protractos sacculos pecuniâ refertos sub axilla ligaverant, jam jam commissuri & se & sua natatui erant, morituri, ne morerentur. In hac gravissima pugna & conflictu Pater Julius facta calidissima oratione ad Deum animavit quoque reliquos, ut ad eundem recursu facto votum conciperent visitandi templum,quod in ingressu Walachiæ non procul hinc exstructum peregrinorum pietate & frequentia efflorescere inciperet: protinus ab omnibus ex templò factum prostratis in actu submississimæ adorationis. Ecce autem mirum dictu! navis seipsam, nemine manum & brachia commodante, levat ac sponte sua movetur. Vnde resumptis animis, arte, ac gubernaculo temonis, expansis velis, desperatum prius, & facillimum habuere in flumen ingressum. Excensione factâ liberârunt se voto, & ædiculam illam inter densa silvarum magnificis donis locupletavere. Hic conscientia optimum Patrem Julium aliquantùm remomordit se intus tacitè accusantem, quòd in communi omnium terrore ipse solus non timuisset,sed animo & corpore tranquillo Breviarium & horas consuetas recitasset, metuens, ne forsan hæc sua fuisset & superbia & præsumptio

Solicitudo pecuniarum.

Voto facto movetur navis.

Ditant ædiculam.

ptio occulta, unde coram tribunali divino, se quantum potuit, reum peregit veniam omnium suarum rogans culparum. Verùm per quantum cumque ipse signa daret, à se timeri mortem, nunquam tamen ipsi hucusq; evênit mors propter duas causas; prima erat, internus spiritus ipsi dictans; Jam non est tibi cogitandum de morte, quia jam mortuus es in ingressu religionis. Quia etiam quid dulcius morte sub aquis obitâ? quæ subitò, ubi penetraverint, exanimant, id quod hactenus cum desiderio expectasti? Altera erat securitas, quâ animi certior reddebatur, se in illo periculo nequaquam moriturum, sed evasurum liberum, adeò, ut tum ei signum dedisse timoris, videretur mera hypocrisis. Vnde colligas licet, quàm procul abfuerit ille à nimio hujus vitæ amore, & quanto teneretur desiderio citò perfruendi Deo; signa profectò consummatæ perfectionis, & unionis Dei cum anima suâ, adeò ut præsente illa luce cœlesti clarè prævideret futuros eventus, quæ ipsum in repentinis illis casibus non sineret vel dubitare vel timere. Longè clarius ac sensibilius prævidit ipse nec se, nec suos socios perituros in sequenti periculo.

Signa consummatæ perfectionis.

Navigante illo mare Morêæ, sive Achaicum versus Algierum, exorti sunt venti Australes sic violenti, ut concitato in miram altitudinem pelago fluctus velut montem opponerent aheneum, quem nulla facilè parva navis ex iis, qualibus vini dolia Surrento advehuntur Romam, superet aut perfringat. Vis aquæ tanta incubuerat foris, & asperserat corpora, ut perseverante identidem submersionis periculo, innatarent, & permaderent planè fluctibus, & intus humor salsus afficeret viscera. Ventriculi vectorum languebant non solùm eorum, qui maris impatientes erant, sed & nautarum jam nauseæ, & nauteæ assuetorum. Jacebant proinde per carinam fusi mentis & brachiorum inopes. Et jam quintus ibat dies, cùm nihil cibi ad instau-

P. Julius in periculis orat.

randas vires gustassent. Pater Julius non minùs quàm alij corpore languidus, sed animo erectior conatus est illos in spem atque fiduciam erga Deum erigere. Exorsus de genu orationem ab invocatione sanctissimæ Triados progressus est ad exorandam Maris stellam, Virginem Mariam, tum Sanctorum omnium imploravit opem; inde animo & voce ad beatos & sanctos Societatis Cœlites convertit sese, qui, ut ipse dicebat, cœlo stabant aperto inter Angelos, & innumeros Sanctos placido & subridenti vultu, illúmque animabant; confideret, nullum fore periculum. Secundum quæ cœpit aspirare tranquillitas, & facilè navis optatum obtinuit portum. Hanc ipsam visionem habuit & in reditu ab hoc itinere, cum secum magnum captivorum numerum veheret ingenti ære & sumptu redemptorum. Postquam enim navis, quâ vehebantur, plus satis, accepisset inimicum imbrem, ut opus fuerit supra eam novum exstruere tabulatum, quò esset pro navigatoribus receptus, & illa media supra ferretur, media infra aquas, ex uno præsertim latere, ubi tota inclinabatur deorsùm, nec vis ventorum sineret verti vela, in quam oportebat partem, ipse, cùm posset se in puppim recipere, quò erat invitatus, noluit se eò conferre, sed inter miselios illos captivos, qui jacentes expectabant interitum, melius judicabat inter ipsos animantem eos ad fortiter oppetendam mortem, & ipsum se emori, quàm porrò servare vitam suam: nec unquam adduci poterat, ut funderet pro se preces, totus cupidus eo loci ponendi exuvias tabernaculi sui, ut citiùs ad intuendum dilectum suum, ad quem tantoperè anhelabat, perveniret; movit tamen illum ad pietatem illorum pauperum captivorum extrema calamitas post tam longam servitutem domesticis plurimùm necessariorum, movit domi carorum, filiorum, ac nepotum expectatio. Quare pro illis Deum obnixè obtestatus gratiam modo supra relato obti-

Invocat Societatis homines in Cœlo.

Noluit fundere preces pro se.

Sed bene pro aliis.

nuit.

nuit. Qui pro salute corporis proximorum noluit se subducere discrimini capitis sui, multò magis sese obtulit pro salute & incolumitate animorum: specimen ecce unicum!

In quinqueremi, quæ conflixerat, erant triginta vulnerati, nullus Sacerdos, qui in extremo illo articulo moribundis assisteret, nox fuit, & mare usque adeò incitatum, ut sani non longiùs abessent ab interitu, quàm sauciati. Pater Julius omni modo contendit ad illam quinqueremem advolare, ut aliquid opis, si quam posset, afferret periclitantibus. Frustra erant, qui eum ab eo dehortabantur consilio, frustra, postquam jam erat in mari, clamores & nutus, quos dabant stantes in litore, quà manibus, quà galeris, aliquot nostri, videntes illum propetare in evidens discrimen: ipsimet in quinqueremi præfecti submonebant, ut rediret in terram, nam procellam increbrescere, & periculum majus fieri. Intravit ille tamen navim certus amittendi vitam, ne Deus amitteret tot animas, & Deum tot animæ. Evênit autem contra omnem humani consilij rationem. Deus, ut suum servum servaret incolumem, servavit illius merito universos.

Mortem non timet, ut subveniat periclitantibus

Servat omnes Deus ut Julium servet.

Nimis excresceret volumen, si vellem ex professo referre, quoties Pater Julius per evidens miraculum ereptus fuerit periculis fluminum, periculis in mari, periculis præcipitiorum, ex quibus Deus illum semper modis singularibus incolumem voluit; argumento plus quàm manifesto, & claro, quàm ipsi cara esset vita ipsius, per quem tot animæ ab exitio liberarentur sempiterno. Verùm qui brevi compendio, & quasi obtutu videre volet uno, quantâ Deus curâ, & solicitudine usus sit in conservandâ servi sui vitâ pro gloria suâ, & quanto vicissim ille studio incubuerit in adducendas ad Dei amorem, ejúsque nomini devotas, & sacræ ejus legi initiatas animas, percurrat obiter absque eo, ut ego hic multa afferre in medium cogar, mente atque

animo magnam mundi partem à Patre Julio emensam. Reliquit hac de re mappam Geographicam suo pugno eleganter delineatam, hodiéque quasi sacras reliquias à Petro Francisco pronepote asservari solitam. In hac videre est, eum animarum causâ tres mundi partes, Asiam, Africam, Europam sic percurrisse, ut in multis provinciis & regionibus non reliquerit terras, castella, & vicos, in quibus non ferventes per conciones & missiones disseminaverit Evangelium Christi; & hoc totum ætate jam devexâ, corpore senili, & infirmo, inter latronum pericula, inter hæreticos & infideles, in fame, & paupertate, inter tempestates, & insidias, inter gravissimas omne genus persecutionum procellas, & concludet ambos inter se certasse, Julium in objiciendo mille discriminibus capite suo pro amore Dei, & Deum in præservando ipsi salutem corporis pro salute proximorum, deducendo illum miris modis ad ætatem valdè longævam octoginta & unius annorum, ut eum denique ad condigna tot meritis & laboribus præmia evocaret, non ex uno maris fundo, aut procelloſi fluminis æstuario, non per fulminei tyranni acinacem, non ab infami patibuli arbore, prout ipse toties optaverat, & aggerata ipsi pericula sæpè spem fecerant, verùm de media fratrum corona sibi carissimorum, de fertilissimo Italiæ climate, inter populorum plausus, & teneras amicorum lacrimas, ut omnes facilè ex placido & glorioso mortis genere arguerent, eum æternum beatè incepisse vivere.

Ejus mappa Geographica.

P. Julius & Deus certant inter se.

CAPUT XII.

Ter beata Patris Julij Mors.

POsteaquam Pater Julius quasi toto vitæ suæ decursu magnam mundi partem in continuis missionibus ad redimen-

redimendas animas à servitute Dæmonum, & liberanda corpora ex infidelium captivitate per tot rerum discrimina percurrerat, placuit tandem sanctæ obedientiæ revocare illum domum & ad domicilium stabile nobilissimæ, & amplissimæ civitatis Neapolitanæ, ubi sine ulla excursione dici pro vero potest propter innumerabilem populi multitudinem ipsi campum obtigisse excolendum supparem florentissimo regno. Et certe hisce ultimis vitæ annis, quibus illic demoratus est, eam bonarum frugum visus est messuisse segetem, quas ab ejus indefessa caritate sperari fas erat, & nos aliàs delibavimus, & magis sequentibus in capitibus sub pretiosis ejus virtutum, & gratiarum involucris degustabimus. Jam dudum ille maturus cœlo erat, quò identidem, ut diximus, anhelaverat, & his ultimis temporibus ejus desiderium nimium quantum increverat, id quod palam fiet ex plurimis ejus literis, quas Neapoli ad suos caros amicos pro eo, ac pluribus in locis dicetur, exaravit. Et Deus quidem, ut ardentissimis servi sui desideriis ex parte faceret satis, aliquot ante annis præcisum mortis diem ei revelavit, quemadmodum, & ipsusmet eundem prædixit, & indicant articuli pro ejus apotheosi typo mandati, ex quibus & illud depromimus, quantum hic referemus de iis, quæ ante & post ejus mortem admiratione digna contigere. Et in primis summo ei solatio fuit diem illam sui obitûs fore vigiliam sive pridianam Assumptionis B. Mariæ Virginis, cui semper tenerâ devotione addictissimus vixerat. Itaque à sexto in septimum mensem, antequam emigraret, incredibilibus exhaustus laboribus pro salute proximorum exantlatis, annorum quoque pondere pressus coactus fuit decumbere in lecto, & admittere ex imperio superiorum à socio cubiculi ea ministeria, quæ licet eorum dudum vel maximè indigus, constantissimè tamen recusaverat. In longa hac infirmitate fuit ejusmodi illius patientia, ac di-

Termino Missionibus imposito revocatur Neapolim.

Magnos fructus colligit Neapoli.

Anhelat ad ultimum suum finem.

Diem obitûs præscivit.

Gaudium, quod esset in vigilia assumptionis oppetendum.

Invitus cogitur admittere socium cubiculi.

vina cum voluntate conformitas, mentis hilaritas, ut summum omnibus præbuerit exemplum, qui ad eum invisendum venerant, insigne aliquod ab eo documentum in reliquam vitam relaturi, prout ad Patrem Mutium Vitelleschum nostræ Societatis Generalem scripsit Pater Jacobus Aniellus, nec non & Dominus Franciscus Purpura in depositione juratâ, à me visâ & lectâ, quæ quia multas laudes continet de Patre Julio, & fidem facit iis, quæ adhuc de eo diximus, & fusiùs dicemus in posterum, videtur operæ pretium esse eam hic referre sequentem in modum.

Depositio Franciſci Purpuræ jurata.

Pater Iulius Mancinellus Reverendiſſimi Cæſaris Coſtæ Archiepiſcopi Capuani nepos, & cognatus pariter Reverendiſſimi Iulij Roſſi Archiepiſcopi Amalphitani in regno Neapolitano Pontificij Nuntij fuit magnus amicus meus, & per ſex annos valdè familiariter cum illo egi. Semper illum habui pro homine ſancto, & propterea in magna à me veneratione habitus, & ipſius converſatio multùm me abſterruit à committendis peccatis. Adij eum in Capite Montis, ubi valetudinis causâ morabatur, ut aliquid mihi aſpergeret conſolationis, quâ magnopere egebam in quadam magna mentis afflictione. Ipſe poſt ſolitas ſalutationis datas & redditas vices, horam integram mecum diſſeruit eum in modum, ut appareret eum ſcire cauſam adventûs mei. Planè me ſolatij plenum, imò ex toto liberum ab ea animi ægritudine dimiſit, nec unquam amplius ſimile quid in eo genere perſenſi. Multò antè, quàm moreretur bonæ memoriæ Pater Claudius Aquaviva, habuit revelationem, ipſi ſucceſſurum Patrem Mutium Vitelleſchum, & ipsâ Dominicâ, quâ electio ſucceſſit, inter operandum ſacris eam cognovit, & in ſacrario Collegij, prout teſtatur frater Angelus, ſcriptam reliquit. Die Martis ſequenti veni in Domum Profeſſam, & frater Hieronymus Sacriſtanus ex me quæſivit, num ſcirem, quid Pater Iulius de hac electione ſcripſiſſet? reſpondi me neſcire, & extemplo me contuli in cellam, reperi dictum Patrem Iitantem ad aram, ubi perlitavit, dixit

Preſcivit cauſam adventûs mei antequam aperirem.

dixit mihi, se sub missâ Dominicæ fuisse certum factum de Electione Patris Mutij in Generalem, & hoc ex impulsu reliquisse in sacrario Scriptum. Habuit insigne prorsus prophetiæ donum, & omnes ejus prophetiæ factæ sunt veræ. In illo notavi magnam humilitatem, summum sui expugnandi studium, inclitam patientiam, caritatem & desiderium juvandi proximum mirum! quàm singulare. Summè amicus fuit pauperum, libentissimè visitavit ægrotos; consolatus est illos miris modis, orationi addictissimus, valde cautus in trutina temporis probè impendendi. Ipsius conciones non excedebant horam dimidiam. Solitus est dicere in fine; Hoc satis est pro recreatione; nunc me ad dicendum officium, ad orandum Deum. Erat observantissimus Instituti, & magnus eorum amicus, qui essent ejus peræquè observantes. Obedientiæ erat deditissimus, absque facultate nec dabat, nec accipiebat quicquam, quamvis minutissimum quid. Vltimis septem mensibus vitæ, quibus lecto hærebat affixus, quasi quotidie multis horis cum eo egi; notavi numen multam ei occasionem præbuisse merendi. Dictitabat sæpiùs; Benedictus Deus! Quidquid ipsi immitteret, vultu erat semper sereno, & læto. Rogatus à multis, ut in paradiso ipsorum meminisset, solitus est respondere, spero omninò.

Donum prophetiæ.

Alia virtutum decora

In doloribus vox; Benedictus Deus!

Hucusque Franciscus Purpura. Qui addit prophetias non paucas in particulari, & a Julio non pauca patrata miracula, de quibus nos alio loco. Vehementer hæc tanta virtus displicuit antiquo veteratori, qui paucis ante mortem diebus ipsum brachio arreptum, & raptatum per cubiculum sub lecto eum ita viribus destitutum reliquit, ut metu, ne mox expiraret, statim fuerit sanctissimis Sacramentis, scilicet Viatico, & extrema unctione muniendus. Pars illa brachij, quam Alastor corripuerat, perstitit fædùm nigra, & ferrugineis bullis interfusa. Verùm non poterat fallere revelatio divina de vigilia assumptæ Virginis. Igitur illa nocte versus quartam eunte, cùm in vicino cubiculo ipsius

Vult orare in paradiso. pro amicis

Impetus Diaboli in eum.

socius

Monetur socius cubiculi de morte.

socius frater Leonardus de Judice acquieſceret, audivit vocem claram, quæ ipſi diſtinctè altâ voce dixit hæc Formalia: *Tuus Pater Iulius moritur, & tu hic dormis?* Excitatus his vocibus frater extemplò conſurrexit, & currens ad cubiculum patris reperit illum multùm aggravatum; orat pater, ut vocet confeſtim Sacerdotem, mortem enim jam jam in propinquo eſſe. Convenerunt ſtatim Pater Miniſter, & pauci alij: Pater Gregorius Maſtrillus præpoſitus non potuit adeſſe tempori, & in coronâ illorum poſt horam dimidiam, hoc eſt, verſus ſextam noctis primò fixè intuens imagines Sancti Patris Ignatij & Sancti Franciſci Xaverij, inde velut in ſuaviſſimâ extaſi elevatis in cœlum oculis contemplabundus, prout memorant Gloriæ Virginales, facie amæniſſimâ, & renidente expiravit ætatis anno octuageſimo primo, religionis ſexageſimo primo in Domo Profeſsâ.

Accurrunt aliquot Patres.

Moritur ætatis anno 81.

Morte per urbem vulgatâ fuit concurſus ad ej° funus opinioni ſanctitatis, quam de ejus inſigni bonitate, & ſanctimoniâ habebāt, par, hoc eſt, planè maximo major, populi, nobilium, Titulatorum, religioſorum omne genus, & ordinum. Cultris, & forficib° graſſabantur in ejus crines, lacerabantur veſtes, tantū non denudabatur. Direptus pileolus Sacerdotalis, crepidę ablatę, & fratrum noſtrorum robori, & animoſitati debem°, totum ejus ſacrum corp° non fuiſſe in minuta diſcerptum fruſtula; ſurripuerunt illud magno niſu, & intra ſacelli cancellos depoſuere, ſic ut pietati oculorum aliquid indulgeretur, rapacitati autem manuum planè ſubtraheretur. Manſit hic ſatis diu, quanquam ad votum, & deſiderium numeroſiſſimæ civitatis videretur breviſſimum rempus, quæ ad exequias ejus, faciente ſumptus nobiliſſimo Domino Antonio Carmignano, quaſi confluxit univerſa. Triduò poſt integer adhuc, & incorruptus fuit præter morem noſtrum incluſus ſarcophago plumbeo ad

Certamen pro ejus reliquiis.

Fratres noſtri funus defendunt.

Ad exequias civitas concurrit prope univerſa.

id

id ab illo ipso Domino Antonio Carmignano perquam addicto ipsi præparato, & humatus in nostra usitata sepultura; quamvis triennio ferè post, cùm gratiæ, quas Deus per ipsum operabatur, identidem crescerent, ac populorum accursus in dies augeretur, ad iteratas nobilissimo civitatis preces, de consensu admodum Reverendi Patris Generalis, honorificè translatus est ad aram maximam, & tanto tempore post sepulturam repertus est sic integer, pulcher & incorruptus, ut videri posset tunc primum mortuus; prout affirmat Pater Jacobus Aniellus in sua relatione ad Patrem Mutium Vitelleschum.

Vrbis postulatu transfertur.

Faciunt fidem publicam tres honoratæ personæ tam sæculares, quàm religiosi, prout asseritur in eadem relatione, & testantur articuli excusi, de fronte ejus, antequam humaretur, processisse odorem suavissimum, quod pictorem primum advertit, qui ejus effigiem conabatur coloribus exprimere, & inde nostrum Patrem Albertinum, qui exploraturus, utrum ille odor proveniret ab arte, jussit afferri aquam, & probè lavari faciem, quæ lavata æquè illam cœlestem exhalabat fragrantiam, quam diu extra sepulturam fuit. Caro ejus tractabilis, flexibiles manus & brachia, vultus peramænus instar vivi. Statim à morte divulgatæ per urbem sunt servi Dei imagines expressæ in telâ, quæ etiam ipso vivo in veneratione erant, & passim expetitæ. Fuere etiam incisæ æri diversis formis. Aliæ in actu adorantis sive venerantis beatissimam Virginem ipsi de cœlo apparentem. Aliæ genu flexi coram sanctissimo Sacramento; quorum utrique tenerrimo cum affectu & pietate erat addictus. Sub hisce imaginibus legebantur diversa elogia, apta admodum & ingeniosè inventa ad declarandas ejus virtutes & sanctimoniam, quæ passim volitabat per ora virûm, de quibus unum, quod paucis verbis multa dicit, hic placet referre, & est hujusmodi

Repertus integer & pulcher cum fragrantia.

Odor suavissimus ex ejus vultu.

Imagines vulgari cœptæ.

P P. Julius

Elogium P. Julij.

Pater Julius Mancinellus Maceratensis,
Sacerdos, Professus Societatis Jesu.
Prophetiæ dono, vitæ puritate, &
Sanctitate, &
Miraculorum gloriâ illustris,
Anno ætatis LXXXI.
Religionis LXI.
Obijt Neapoli die XIV. Augusti,
Anno M D CXVIII. in Domo Prof.
In cujus Templo sub
Ara maxima
Illius Corpus
Neapolitanæ Vrbis rogatu honorificè
Asservatur
Neapoli Superiorum permissu.

Dominæ Brancatiæ revelatur mors & alia de P. Julio.

Revelavit inde DEVS cuidam piæ Dominæ, Mariæ Brancaciæ, Virgini quadraginta annos natæ, omnes cum sanctitate actos, Patrem Julium mortuum, & Patrem Sassum pro concione ejus vitam explanare populo, proclamare miracula, & reliquos Patres spargere ejus virtutes in vulgus, ejúsque nomen ubique locorum celebre reddi. Talis certè passim opinio fuit de ejus bonitate; de cujus nomine & fama sanctitatis dicemus nos diffusius infra in capite separato. Nec alio nomine adhuc vivens appellabatur Neapoli, quàm *Beatus Iulius*, quemadmodum multi Domini ac patres nostri contestantur suis in literis, quas habeo penes me. Et post mortem itidem *Beatus Iulius* audiit. Vt scilicet pro tali aliquando declararetur à Sancta Sede Romanâ, ac publicos consequeretur honores, convenerunt pleno senatu in aula Palatij in Sancto Laurentio majore tanquam,

Vivens dictus Beatus Julius.

Et post mortem.

tanquam in regio ac publico consilio sub 28. Januar. anno M D CXXI. ac condiderunt publicum decretum in forma authentica, cujus plures apochas ego vidi laudibus Patris Julij refertas, quibus majores non possent in medium afferri. In hoc eliguntur multi, iique primarij nobiles, & aliquot excellentes Doctores, ut summâ fide, ac pro auctoritate summo Pontifici, vel cuivis alteri, ad quem opus est, repræsentent raras & præcellentes Patris Julij virtutes eum in finem, ut tandem aliquando deveniatur ad Apotheosin, sicut diximus, jam tunc inchoatam, & quadamtenus promotam per processum à Domino Cardinale Archiepiscopo Caraffa, qui & ipse multos Canonicos & alios elegit eundem in finem. Verùm postea, ut obediretur Vrbani VIII. decreto, res interrupta est. De hac re venerunt literæ complures ad manus meas à Domino Cardinale Boncompagno successore Archiepiscopo Neapolitano, in quibus contestatur se collaturum omnem solicitudinem & curam, ac pollicetur sanctè civitati Maceratensi omne auxilium & auctoritatem circa processum ejusdem Canonizationis. Aliquot item à Domino Cardinale de Ascoli, & plures à Patre Mutio Societatis Jesu Generali ad eandem Civitatem ejusdem tenoris & finis summis cum encomiis de Patre Julio.

Conventus aguntur de ejus Apotheosi.

Cardinalis Boncompagnus promittit omne auxilium.

Insuper Reverendissimus Pater Andreas Pescara Castaldus admodum RR. Patrum Theatinorum Generalis die 8. Decemb. anno 1620. Neapoli fecit Decretum à me visum, in quo præter plurimas eximias laudes de integritate Patris Julij, & Societatis nostræ (propter quod & ipsi Reverendissimo Patri, & toti suo Ordini semper se fatebitur obligatissimum Societas) concedit omnibus suis subditis facultatem, ubicunq; opus fuerit, examinandi, & testificandi juridicè virtutes, & illustria facta servi Dei. Omnes pro- in allaborabant toti mundo nuntiare illustrem Patris Julij

Favet & Reverendissimus P. Generalis RR. PP. Theatinorum.

virtutem, qui pro salute magnæ ejus partis impendendo se id fuerat promeritus. Ab usque summota Polonia scripserunt Neapolim petentes aliquam ejus icunculam, vel reliquias. Et Poloni ipsi nonnullas illic curarunt æri incidi, & in ipsa regiâ civitate, ubi viva ejus memoria adhuc vigebat, unam aliquam summa cum veneratione exposuere, summo item honore ejus reliquias devenerati. Soli nostri Patres Neapolitani, dicam, nimis fortan rigidi fuêre in admittendis publicis demonstrationibus, quas Neapolis deferebat Patri Julio, ità ut Dominus Franciscus Purpura, magnus ejus gloriarum promotor in unis suis literis 3. Jan. anno 1625. ad Dominum Flaminium Mancinellum Maceratam datis plurimùm doleat ejus iconem in loco privato servatam, nimiam patrum modestiam noluisse exponere in templo ad latus ejusdem sepulchri, licet electi, ut id fieret, replicatis vicibus institerint. Hortatur potenter Civitatem Maceratensem, quam dicit habere protectorem suum meritissimum in paradiso, ad æmulandum pro cive suo, ne sinat se vinci ab externis (Polonos intelligit) sed exponat quàmprimùm ejus effigiem, prout splendidè id fecisset in palatio suo, & illum annumeret etiam inter tutelares civitatis.

Poloni reliquias petunt.

PP. Neapolitanorum nimia modestia.

Hortatur Maceratam, ut zelet pro suo cive.

Enimverò Polonia justissimas habebat causas exhibendi ipsi magnos honores, non solùm ex eo capite, quòd illic plurimum pro ejus salute elaborasset, verùm quod ipse orans pro bono ejus regni dicebat sanctissimam Virginem matrem festo die sancti Stanislai anno 1610. cùm missam pro illo regno diceret, aspectabilem sibi adfuisse in statura duplo altiore, quam cæteræ soleant esse matronæ, majestate humanâ grandiore, dicentem sibi: *Ego sum Regina Poloniæ, animasse illum, ut confideret, ac majore ad se cum amore & fiduciâ in posterum recurreret, neve desineret pro illo regno sibi carissimo fundere preces, quando in præmium ejus sacrificij, quod*

Beatissima Virgo vocat se Poloniæ reginam.

Placet orari pro illo regno.

pro

pro ejus felicitate hodie obtuliſſet, nunc ſe illi videndam obtuliſſet. Placuit autem & Deo, Patri Julio addictos & devotos conſervare in illa bona fide, & exiſtimatione, quam habebant de ejus merito in cœlo ſingulari. Dum per aliquot à morte illius dies ad ſimplicem quarundam recularum contactum inter exequias piè ablatarum,& ad nudam ejus patrocinij invocationem patrate ei mira perplacuit. De quibus paucula hic in teſtimonium veritatis, à multis cum juramento aſſerta, & potiſſimùm à Domino Purpurá ſæpiùs memorato, in ſua relatione à me viſâ,& à Patre Jacobo Aniello, à Patre item Marco Antonio Palombo è noſtra Societate,dabo.

Statim à morte patrat mirácula.

A juſtis Patri Julio perſolutis cùm domum rediiſſet quædam matrona, vehementiſſimo capitis dolore cœpta eſt affligi; commendavit ſe Patri Julio, & poſitis ſub pulvinari pauculis ejus capillis, ſtatim ceſſavit dolor. Alia perſona in gravem febrim incidit, applicavit illi mater partem de cingulo Patris Julij, quæ ipſi felici ſorte obtigerat, cùm ejus cadaver certatim diriperetur, juſſit filios genu flexos aliquoties recitare orationem Dominicam, & ſtatim abſceſſit febris,infirmo ſanitate donato. Repentinam item ſalutem reſtituit ejus Corona, ſive Roſarium, duobus aliis infirmis vix applicata. Jacobus Caſtaldus à medicis depoſitus proximè aberat à morte, vovit argenteum anathema ad ejus ſepulcrum, ubi primùm ejus Coronam attigit, extemplò conſanatus eſt, & ſolvit votum. Doctor Lucas Patricornus mirum quantum vexatus à Podagra commendavit ſe Patri Julio cum voto, & ſubitò fuit liber. Altero autem die manè cùm tardaretur ſe liberare voto, iterum iiſdem Podagræ compedibus ſe ſenſit teneri. Memor igitur erroris ſui, cùm curaſſet fieri ſignum ex argento, ita melius cœpit haberi, ut illud à ſe potuerit afferre ad monu-

Ejus capilli pellunt capitis dolorem.

Cingulum febrim.

Ejus Corona ſive roſarium

Sanat Podagricum.

mentum Patris Julij; ubi illic suspendit; mox ex toto convaluit; prout ipse cum juramento deposuit.

Miracula comitantur funus.

De similibus & pluribus aliis miraculis per ipsum in vita & post mortem patratis commodiùs differemus alio in loco; placuit ista hic pauca afferre ex occasione ejus funeris, quia cùm statim ab ejus decessu contigerint, dici possunt ejus qualemcunque funebrem cohonestasse pompam, ac devotissimæ civitatis Neapolitanæ demonstrationibus, quibus ejus sanctitatis provehere encomia, & augere nitebatur, maximum addidisse pondus. Plura & majora potuissent de vita & morte hujus magni servi Dei rescire; nisi nostri Patres, qui fuerant oculati testes, monstrâssent se nimiopere renitentes ad ea scribenda, protestati eorum multi, prout scribit Pater Jacobus Aniellus Neapoli ad P. Mutium Vitelleschum Generalem, quamvis de plurimis factis potuissent facere fidem ampliſſimam, id se facere nolle, & noluisse absque expressio præcepto paternitatis suæ, se autem multa & præclara collecta habere cum fide authenticâ sæcularium. Hos inter potissimus fuit Pater Joannes Evangelista de Gattis longo tempore Patris Julij Confessarius, qui dicebat scire se res longè digniſſimas ad gloriam Dei & servi sui, verùm quamvis præceptum hoc fuerat allatum, & lectum publicè per domicilia nostra Neapoli, nihilominus quia forsan patrum nostrorum depositiones perierunt, pauca admodum ab illis potui ego excerpere, maximè de morte servi Dei; & illorum nimia modestia in causa est mihi longè utiliores fuisse Scripturas literas sæcularium Neapolitanorum ab obitu ipsius ultrò citróque missitatas.

Demonstrant pietatem Vrbis Neap.

Patrum modestia.

Patrum depositiones foris intercioerunt.

A sæcularibus plura sum nactus.

Scripsit de gloria Patris Julij Cæsar Eugenius Caracciolus in sua sacra Neapoli, ubi cum nobiliſſimo encomio rararum suarum virtutum ipsum vocat Sanctum, & comparat cum Sancto Martino Episcopo. Nec hoc contentus,

ipsum

ipsum indigitat Prophetam, nominat Angelum, prout loco citato videri ad longum potest. Loquitur etiam de Patre Julio cum multa laude noster Pater Philippus Allegambe in sua Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu, cujus forsan testimonium in fine attexemus. Et ipsimet superiores Societatis intuitu illius insignium virtutum, & singularium gratiarum à Deo acceptarum ordinarunt, ut singulis annis die obitûs ejus recurrente legeretur in publica mensa aliquod ejus insigne Elogium, præmium non solitum concedi, nisi cum maxima circumspectione & delectu, eorum virtuti, qui vel sanctimonia vitæ, vel morte generosa ad vivum expressissent germanum verorum Jesu Sociorum Spiritum. Quæ lectio plurimum valet ad exstimulandos, & ad imitationem accendendos posteros. Cum Elogio Patris Julij, quod primitùs fuerat conceptum, simpliciori magis, quàm eleganti claudam hoc caput, quod & ipsius concludit vitam. Sic habet

Philippus Allegambe

XIV. Augusti Neapoli in Domo Professâ Anno M D CXVIII. post LXI. annos Religionis, LXXXI. ætatis ad meliorem vitam migravit Pater Iulius Mancinellus sanctimoniâ vitæ, unione cum Deo, patratis multis miraculis, spiritu Prophetiæ clarus, sicut & gloriâ maximorum laborum in variis missionibus non tantùm per totam Italiam, Germaniam, Pannoniam, Dalmatiam, Poloniam, Hispaniam, & ceteras Europæ provincias in conversione multorum Hæreticorum, Turcarum, Schismaticorum, verùm etiam per Asiam & Africam in redimendis Catholicis captivis summa cum charitate, Humilitate & patientiâ exantlatorum. Ejus devotio erga Reginam cœli, & erga sanctissimum Sacramentum Altaris fuit perinsignis. Et cùm sacratissimam Hostiam quotidie offerret, solitus est pati frequentes raptus & extases in oculis omnium.

Elogium P. Julij primum & simplex.

Ejus vitæ compendium.

LIBER

LIBER II.

DE VIRTUTIBUS ET GRATIIS EJVS IN VITA ET POST MORTEM.

De Operibus Misericordiæ versus Indigos.

CAPUT I.

ANtequam agerem de charitate Patris Julij erga pauperes, agendum mihi esset de amore ejus erga Deum, ex quo velut à principio & fonte illa derivatur, & vigore cujus completur amor proximorum. Verum quid aliud hucusque feci? quàm ut in scribenda ejus vita persequerer ardentissimum ejus amorem erga Deum? unio continua cum ipso in longissimis orationibus statim à puero, in frequentibus & prolixis itineribus nunquam intermissis etiam inter infideles, sitis ardentissima mori Martyrem, eò, ut vellet se ultrò offerre Turcis captivum, spes continua ponendi vitam in periculis & ærumnis; trahere corpusculum laboribus fractum, & annis fessum ad remotissimas mundi oras, ad lucrifaciendas Deo animas, prædicare usque ad ultimum vitæ halitum divinam Misericordiam, & Justitiam peccatoribus Dei ignaris, ipsis benefacere & blandiri usque ad delitias, torquere & vractare innocentes suos artus tanquam immitem hostem? quid

Tota ejus vita amor Dei fuit.

quid inquam hoc aliud est, quàm perfectissimus quidam Dei amor, & in eo excessus ? de quo hucusque enarravimus, & enarrabimus porrò, & in præsentiarum quidem de misericordia erga pauperes ; nunquid & ipsa amor Dei est ? in illis tanquam in imagine magis vivâ agniti ? quàm in picturis, quæ tamen sæpè mirùm quantum rapiunt sanctos homines ad amorem illius. Jam verò Pater Julius ab usque teneris annis assuevit agnoscere Deum in vultu pauperum, & naturali ex complexione & genio, & ab optimo suorum progenitorum exemplo & institutione, qui ipsum identidem in hoc munere exercitabant ; nam & ipsum ordinarium faciebant eleëmosynarum dispensatorem, quas magna cum liberalitate Dei amore distribuebant in egenos, & est sanè optimus iste modus flectendi tenera adolescentum corda ad hanc pietatem, quæ ipsis melius omni alio Duce servit ad salutem ; cùm ita ingenio comparata sit, ut, à quo accipit bolum panis mucidi, in vicem sibi mercetur cœlum.

Deũ agnovit in pauperibus.

Parentes ipsum eleëmosynis præficiebant.

Cœlum mucido pane venale.

Auxit autem hæc pietas in Patre Julio miris incrementis, postquam ipse in tot peregrinationibus & missionibus experientiâ didicit, quam ex æquo indigentiæ subventori commensuretur consolationis modus, quamque grata ea virtus Deo sit, propter quem, & cujus amore subvenitur pauperi. Accedabat insuper, ut faciendæ eleemosynæ gustus & sapor in eo magis irritaretur, certa ejus menti infusa ambitio cum dulci, & non falsâ imaginatione ; factum se esse ministrum Dei, & dispensatorem divinæ erga pauperes providentiæ, quem gradum in aula supremi regis & ipse acceptabat pro magno honore, & tanquam sibi mendicabulo pariter meritorum indigo concessum. Erat itaque erga pauperes admodum tener, & continuò versabatur inter ipsos, & prodibat in vicos & plateas, ut quæreret, & si non haberet, unde subveniret, de facultate superiorum

Sancta dandæ stipis ambitio.

Versabatur continuò inter pauperes.

riorum exorabat ipse ab aliis eleëmosynam, maximè ab iis sæcularibus, quos sciebat ad hoc propensos, multùm interim cautus, & solicitus, ne, dum vellet sublevare quorundam corpora, aggravaret nonnullorum animos, qui sæpè erga Deum avari effundunt stomachum in eos, qui ipsis porrigunt occasionem benefaciendi. Verum equidem est, non oportuisse hic multum esse solicitum, quia, cùm ejus summam hac in re fidem & integritatem cognitam & perspectam haberent plurimi nobiles, Dominæ, principes viri & fæminæ, quæ honori sibi ducebant posse in hoc negotio velificare Patris Julij desiderio, offetebant ipsi summa cum liberalitate pecunias in pauperes distribuendas, missas etiam ab usque regionibus longinquis, ut ex Hispania, Genuâ, Florentia, Roma. Et hic opus etat magis freno, quàm calcari aut stimulis, ut statuerent modum spontaneæ liberalitati, ac profusioni. Ita ille Domino Marco Antonio Aureæ, (qui ipsi frequentissimè liberales submittebat eleëmosynas, ita ut ipsum vocaret Jesu Christi telonarium,) sæpiùs perscripsit, reprehendendo ipsum, & vetando, ne ulteriùs progrederetur.

Summa ejus in distribuenda stipite fides.

Freno hic potius opus, quàm stimulo.

Cum nostris autem, maximè cum superioribus non utebatur ille hac tantâ circumspectione; imò sæpissimè ad illos recurrebat in necessitatibus pauperum; Quippe ex unâ parte certus, ipsos non ægrè laturos, lætabatur ex altera, si subinde cum repulsa abiret, duplici dives merito & caritatis erga indigos, & victoriæ de seipso relatæ. Quando autem quiddam sibi ipsi poterat defraudare absque religionis scrupulo ad dandum pauperum tribui, id scilicet erat, quod ipsi summam arcessebat animi voluptatem; ita nonnulla leviora fructuum ante vel post mensam potiùs oculis quàm fami apponi solita, uti sunt amygdalæ, poma, pyra, uvæ passæ, nuces, ficus & his similia, ea nimirum dextrè segregabat, & postea sublatis mensis deferebat ad templi limina, ubi noti

Solicitabat pro pauperibus, repulsus gaudebat.

noti sui eum Codri plerumque expectabant, cum aliud non haberet, excutiebat per domum rejectamenta, & retrimenta apud Sutorem, & Sartorem, & semper misericordiæ oculis offerebatur, quod ab aliorum negligentia præteritum ipsi serviebat pro pauperibus Christi. Centones paulò majores consuebat ipse propriâ manu, & ubi evasissent nonnihil ampliores, dabat egenis, ut tegerent ventriculum, pectúsque ab injuriis egelidi cœli. Et quotquot frustula à Sartore poterat obtinere ad resarciendum suasmet vestes, ipse convertit in usum pauperum, eligens potiùs ipsemet centonatus incedere. Initio hiemis erat admodum providus, & solers maximè Romæ; obibat collegia & seminaria quæritans, & emendicans particulas panni veteris, jam attriti, vel dissuti; vittis & pileolis lavatis, & relavatis tegebat eorum capita, quibus tantum capitale non erat, ut possent suum operire caput. Ità de superiorum consensu colligebat rejectitias reculas, quæ alioqui perirent, & laceros mortuorum centones, ex quibus inde locuples paupertatis vestiarium consarcinabat pro suis indigentibus. Quâ re, & industriâ ipse plurimos servabat alioquin brumâ & frigore perituros.

Quisquilias domûs conquirebat.

Vestiarium pro indigis.

Dum autem corporibus ferebat opem, minimè negligebat opitulari animabus, is quippe unicè ejus erat scopus & finis; nam quoties stipem elargiebatur, auctarium accessit aliquod spirituale documentum vel doctrina de oratione, devotione, aut de ultronea aliqua assumenda pœna, vel instituenda confessione, quâ ratione multos jam desperatione torpentes, vel per chirographum jam mancipatos Diabolo meliorem revocavit in semitam salutis. In vestibus ex panno, quas pro maribus curabat fieri & pro feminis longiores, volebat cruculam rubram ante pectus sui, quam manè & vespere devoto cupiebat osculo dissuaviari; manè inter vestiendum dicerent ter orationem Dominicam, &

In corporum curâ minimè negligit animos.

Solebat orari pro eleëmosynis.

ter salutationem Angelicam, venerandæ sanctissimæ Triadi, Vespere quinquies eandem orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam inter exuendum adorandis quinque Christi vulneribus. Et quia subinde nonnemo familiarior super his similibus industriis facetè cum ipso jocabatur, ut magis ejus exacueret virtutem, ipse modestiam animi cum Misericordiâ consocians respondere solebat, alios,quòd habeant spiritus nobiliores,& celsiores, quódque sint personæ graves, non se demittere ad isthæc vilia, & abjecta, sibi autem admodum pusillo,valde congrua, & commensa, iuxta quod etiam timeret, ne in hoc potiùs esset avarus, quàm liberalis, probè gnarus,ac per experientiam edoctus, Deum quasi semper pro his pauculis, quæ in pauperes erogaret, etiam in hac vita solere longè plus sibi per manus divitum redonare, quàm ipsemet (Deus) à se per manus pauperum dignaretur acceptare. Ac quoniam non facilè explicari oratione potest, quanta sit suavitas, ac dulcedo, quam experiuntur in dando pauperibus illi, qui Deum sincero corde amantes, ipsum eum in pauperum persona sibi ob oculos ponunt, & tanquam vivâ in imagine figurant, adeò ut & cor ipsum de præcordiis exemptum libenter cum ipso (quod dicimus) partirentur, ut taceamus de vestimentis, optimus Pater Julius sui Domini Jesu amantissimus,quando ipse Dominus non ventitabat ad ipsum in personâ pauperum, illemet prodibat, & quæritabat eum per compita in ægrotis per valetudinaria, quorum unum per miras industrias suas in terra sancti Angeli, patria sancti Nicolai Tolentinatis fundavit.

Eludebat factum per demissionem.

Quæritabat Dominum in pauperibus

Fundavit domum hospitalē.

In his ille sæpiùs per multos menses inservivit ægris, à quibus cæteri omnes fugerent, & morborum genere, & contagione periculosis; id quod ipsi potissimùm Constantinopoli quoque contigit. Vbi tempore duarum crudelissimarum pestium, quando intra spatium novem dierum domi

domi noſtræ quinque hortulanos extulimus, ipſe invictæ cum caritatis exemplo indefeſsè infectis adſtitit, vivens promiſcuè inter eos, providendo illis per ſanctas induſtrias ſuas de neceſſariis non minùs ad ſalutem animarum, quàm per eleëmoſynas ſuccurrendo ſanandis corporibus. Firmis in penna horum ipſorum pauperum bono erexit montem Pietatis, quem vocant, quos etiam in tranſtris inquirebat, ubi ejus charitas triumphavit. Et in hunc finem colligebat humo in horto domûs noſtræ poma medica decidua, & Maſſilia & hujusmodi acida, quæ alioquin illic neglecta marceſcebant, & ex ipſis, & aliis hujus generis bellariis, quæ ipſi ſubinde mittebantur, genium ſuum defraudans faciebat condituras ad excitandas appetentias iis, qui inveteratâ jam ciborum nauſeâ ſic tenebantur, ut nec de cibo quidem audire, vel cogitare, nedum quiddam guſtare abſque faſtidio poſſent. Et hæc maximè factitabat ad Triremes, ubi panis bis, ſæpius coctus ſilice durior, & hujusmodi illiberales cibi aliud non juvabant, quàm ut accelerarent fata. Et ſanè conſtat ipſum plures eripuiſſe mortis è faucibus adeò, ut ipſum merito jure vocarent ſuum patrem, & quando ingrediebatur navim, omnes certatim geſtiebant eſſe primi ad accipiendas ejus lautitias, & analecta, quæ pater ferebat.

Appetentiam ægrorum excitat.

Vocatur Pater pauperum.

Vnus iſtorum ità ab ipſo conſervatus in triremibus Neapolitanis non multò pòſt, cùm patrem reducem ex Algiero obvium haberet, ſtitit ſe coram in habitu militari, & torvo vultu ipſi dixit: *Non me cognoſcis Pater?* Timuit ille, ne forſan id hominis quadam tenus læſiſſet? *Verè non te novi*, inquiebat. Tum ille, *& quî me non cognoſcis? cùm non ità pridem in triremibus æger ad mortem conſervatus fuerim à te, & à tua eximia caritate; quæ mihi panem candidum, uvam paſſam, poma medica attulit?* Et hæc dicens totum ſe ad ejus obſequia gratus abjecit. At ſervus Dei, qui omnia ad eum, cujus amore omnia operabatur, referebat; ſubjunxit in

Memoriæ beneficij.

ſummam modeſtiam demiſſus ; *Si quid boni tibi præſtiti, gratias age Deo, ſi forſan quidpiam in te peccavi, culpa mea eſt.* Et ipſius eleëmoſynæ ſubinde non ſolùm ægrorum vitam conſervabant, verùm abſque alio remedio per miraculum ipſam illis conferebant ſanitatem. Relinquebat ille Neapoli magnam ſui prandioli partem alicui pauperi ſeni febricitanti, & ſumptis illis reliquiis febris vale dicto abſceſſit, relicto illo perfectè ſano. Idem fecit alteri cuidam infirmo, & ipſe extemplo ſimilem in modum ſanus fuit. Nec ſolùm infirmos corpore, ſed & multò magis debiles & claudos animo curavit.

Comparſo prandiolo ſervat ſenem.

Cùm eſſet Rector Collegij Florentini juvenis quidam propter continuas diſſolutiones domo à fratribus ſuis, ditibus ſanè mercatoribus, exeſſe juſſus, qui & rem & famam ſuorum in diſcrimen dabat, neceſſitate compulſus, cœpit velle vivere alieno, cùm de ſuo non poſſet, & præſertim ſacræ templi noſtri ſupellectili ſæpiùs notabatur plus ſatis devotus eſſe, Sacriſtanus unà cum janitore bene manè ex inſidiis illum obſervat, & certè in flagranti eum duorum candelabrorum ex aurichalco furto deprehenſum reluctantem ad Patrem Rectorem adducunt, qui ipſum concludi tantiſper in conclavi juſſum aliquamdiu omni ciborum genere fovit, & humaniſſimè tractavit, ut etiam ipſum à ſordibus propria manu à capite ad calcem uſque lavatum induxerit ad faciendam confeſſionem generalem à tota vita. Ad quam dum ſe parat, ſcripſit Pater Julius ſchedam ad germanos, de quibus jam intellexerat ex ipſo juvene. Exhortabatur eos, ut reciperent illum domum ſuam, utpote jam contritum, & planè emendatum, alioquin eum cum furto in manus juſtitiæ tradendum. Res felicem ſortita eſt exitum, Juvenis ad facem tantæ caritatis ſe ipſum introſpexit, fratres quâ ſpe melioris frugis, quâ metu pejoris conſilij ipſum libenter receperunt domum, optimis pannis veſtitum,

Autolycũ mira arte emendat.

ſtitum, & quod majus, improbitate, ac pravis moribus exutum. Iſthæc tanta Patris Julij caritas non fuit ita felix, ut non juvando alios ſubinde ſibiipſi malum arceſſiverit, verùm tunc potiſſimùm exultabat in ſpiritu ſuus animus cum Deo conjunctus, & quòd egiſſet aliquid boni in uſum proximorum, & quòd haberet quiddam pro amore Dei exantlandum, quod in ſui contemptum, & vilipenſionem redundaret. De multis ærumnis, quas ipſe ſuſcepit in ſe, ad liberandos alios unum duntaxat ſpecimen dabo; Et eſt; cùm ipſe iter faceret cum Patre, quem vehementer affligebat gelu maximè in pedum tibiis, habebat omni veſpere curam ipſius pedes calefaciendi, antè quàm concederet in lectum, non ſecus, ac mater quæppiam faceret alicui ſuorum filiorum, non ſolum thermocliniis, quia iſthęc non ſufficiebant, verùm proprio cum calore, nec ſic quidem ipſe acquieſcebat, nec concedebat cubitum, dum omninò percaluiſſent crura, & quoniam nec hoc erat tanti, quod ultra non poſſet ſua caritas, exuit ſe veſtibus, ad melius veſtiendum eum patrem, pari uno tibialium, & interulâ, rebus ipſimet uſque adeò neceſſariis, ut abſque iis ipſiusmet pedes frigore obtorpuerint, durante illi ſtupore pedum plurimos per annos, ipſo nimirum iſtos inter caritatis actus ita in Deum rapto, ut nihil omninò ſuarum meminiſſet commoditatum; qui tamen apud Deum nequaquam erant in oblivione, ſæpè illum optabili remunerantem centuplo.

Exemplum inſolitæ caritatis.

Ità cùm eſſet Rector Collegij Peruſini, & ad templi limen vidiſſet pauperem nudum, juſſit illum extemplo veſtiri, quod eximium egregiæ caritatis opus ſtatim Deus inſigni pecuniæ eleëmoſynâ compenſavit, id quod ipſi etiam in aliis evenit Collegiis, ſpeciatim autem Romæ in novitiatu. Qui modus Patri Julio compenſandi eleëmoſynas nonnunquam etiam viis miris ſucceſſit, unde & ipſe alio in Collegio Rector (civitas non exprimitur) dando liberaliter

Juſſit extemplò veſtiri nudum.

raliter de pane eleëmosynam, altero manè non remanserat, quantum sufficeret in mensam. Erat jam tempus examinis, quod fieri solet quadrante ante prandium. Oeconomus admonuit Patrem Rectorem de inopia, jussit poni id ipsum modicum, quod esset, respondente isto, nec illud modicum in singulos sufficere, si vel parùm apponatur, unde adhuc prorogandum tempus ante prandium fuit, dum provideretur. Nequaquam, reposuit Pater Rector, da signum tempore consueto, orabo interim, Deus providebit. Nondum erat finitum tempus examinis, cùm adfuit servula, non scitur unde submissa cum panis canistro, quantum liberaliter suffecit pro omnibus. Simile quid ipsi etiam tempore brumæ contigit, cùm deessent stragula pro lectis, quantum satis esset in singulos, mercatorum unus nihil de eo monitus ultrò misit, quantis opus esset. Solæ puellæ ab ipso miris modis adjutæ, & honestis dotibus elocatæ, ne earum periclitaretur pudicitia, vel cœnobiis inclusæ his pauculis annis, quas numerare meæ placuit curiositati, ascendunt ad numerum triginta quinque. Et fuere dotes nonnunquam satis profusæ. Quod eleëmosynæ loco datum est intra duos solos annos, facit scuta omninò trecenta; vestiti in totum numerantur centum sexaginta duo, familiæ pastæ, & provisæ lectis ducentæ sexaginta novem, liberati ex carceribus per ipsum novemdecim. Ex hoc brevi temporis spatio colligat, qui vult, reliquam eleëmosynarum summam, quas fecit toto longæ vitæ suæ decursu; mihi computandi animus non fuit.

Annona panis miraculosa.

Item stragulorum.

Puellæ dotatæ num. 35.

Vestiti 162. familiæ pastæ sexaginta novem.

Possum autem affirmare liberè, cùm Neapoli cognatus quidam unius è nostris reliquisset assem facilè nonaginta millium scutorum, Societati obventurum, & in arbitrio esset Patris Julij, cum totam illam hæreditatem addixisse nostræ Dominæ Visita populi dictæ, cum hac tamen obligatione, ut aliquam multas in annos singulos puellas hone-

Abdicat assem 90000. Scut.

honestis dotibus elocaret. Ad exemplum hujus ipsius perquàm illustris caritatis prænobilis Carmignanorum familia servo Dei insigniter addicta in singulos annos elocabat, & credo etiamnum hodiéque elocare Virgines omninò decem cum dote Scutorum triginta sex in singulas. Meretrices, concubinæ maritis redditæ, vagæ libidinis victimæ miserabiles Romæ, Neapoli, & in aliis extra Italiam civitatibus, sicut integrum postularent volumen, ità manifesto argumento sunt summæ ejus Misericordiæ in quærendis tanto cum laboris impendio subsidiis ad ipsis subveniendum,& gloriæ, quæ exinde videbatur redundare in Deum, dum modis omninò extraordinariis plenâ manu tam affluenter eum instruebat ad plus, quàm pro necessitate, ipsis opitulandum. Quanto autem profusior exstitit in dando pauperibus, & emendicando pro ipsis, hoc renitentior fuit in acceptando quippiam pro se.

Carmignana familia imitatrix P. Julij.

A parentibus vel cognatis nihil unquam accepit vel petiit in suum usum, quamvis legam eum pluries ipsis donasse nonnulla, vel induxisse ad bene merendum de aliis. A cæteris, qui non consanguinei, vel affines erant,non acceptavit, multò minùs petiit dona, nisi in usum pauperum. Imò cùm sanctimoniales cujusdam cœnobij ab ipso in spiritu plurimùm adjutæ, sicut per se unaquæque sanctum aliquod religiosæ vitæ documentum ac memnosynon ab eo expetebant,antequam discederet,ità,ut se gratas exhiberent, unaquæque in particulari ipsi offerrent profusam lineæ supellectilis, ut ita dicam, annonam; nihil ipse omninò acceptavit. Quoniam autem non cum usitata importunitate insistebant, monstrabántque se offendi, si nihil omninò acciperet, ostendit se cuncta cum benevolentia acceptare. Mox autem cùm valefeciſſet, omnes illos pannos lineos in sacculum intrusit, & illo rotulæ ad fores impositò curavit vocari Januæ præfectam, ut videret, quid

A suis nihil unquam accepit.

Sanctimonialibus obtrudentibus restituit omnia

intus esset, quem dum illa vadit visum, ipse exoculis se prosipuit. Inter tot literas, quas ego vidi ab ipso scriptas, non reperi ne unas quidem, in quibus quicquam à suis parentibus suo commodo peteret, invêni autem sæpius calidas admodum preces, & commendationes in bonum pauperum; nec satis exprimi verbis potest, quàm efficax fuerit in eo genere apud Patruum suum Episcopum Capuanum; persuasus hic à Patre Julio solvit, quidquid in Medicos deberent illi ægri, quibus pudor erat à publica domo aliquid emendicare, & propter paupertatem solvendo minimè esse poterant. Quidquid donorum ad eum delatum est etiam pretiosorum, mox in sinum pauperum abiit; iisdem etiam vestes cedebant, quæ singulis annis mutabantur, tamesi etiamnum admodum forent utibiles, usque eò, ut & bis exomium, quod Mozzettam dicunt, sibi detraheret, ad alium eo operiendum daturus eâ re prælatis exemplum sanè dignum, quod imitentur. In pluribus per annum solennitatibus celebrari solitis eximebat captivos, qui ob æs alienum quotidianum attinebantur in vinculis, liberalitate sanè in quovis magno antistite, qualis ipse erat, conspicuâ, & dignissimâ præmio, quod sua ipsi vita tanta cum laude acta promittebat, & Deus ipsi post mortem reservatum reponebat, quâ pientissimè obitâ plurimum fuit adjutus à Patre Julio, prout videbimus infra.

Emendicat, ut ægri possint satisfacere Medicis.

Vt semel dicamus totum, sic erga pauperes erat liberalis Pater Julius, ut ipsis totum dedisset, si habuisset totum, certus, etiam totum hujus mundi esse nimis vile pretium ad emendum illud summum bonum, quod frustulo panis & calice frigidæ nobis eminus in altera vita. Hæc probè expendens etiam illud parùm, quod habebat, illi erat multum, & illud multum ipsi videbatur nihilum. Semel Constantinopoli cùm audisset agi de quodam juvene Sardo Turcis vendendo, quod spes erat eum ob teneram ætatem facilè

Totum hujus mundi vile est respectu gloriæ.

Parvulum 80. Scutis emit, ne fieret Turca.

facilè adductum iri, ut spurca Mahometi sacra complecteretur, statim illum Pater Julius octoginta Scutis redemptum misit Venetias ad suam Patriam Insulam, dono sanè liberali à viro religioso, quod ipsi unicum & suis sociis adhuc reliquum fuerat in vitæ subsidium. Verùm quod jam sæpiùs dicebam, ita in hoc liberaliter à Deo fuit remuneratus, ut, dum hoc plus accipiebat, quo plus Deo donabat, metueret, ne in ista sua munificentia damnaretur avaritiei. Ac, quod mirum, Deus illas ipsas res illi multiplicabat, quibus ille se despoliasset amore Dei & pauperum; sed non in illa curta & parvâ manu. Vnde cùm aliquando nescio quem centonem suo corpori detraxisset ad operiendum nudum, sequenti die magna illi pretiosarum pellium vis allata fuit ex Polonia ad seipsum contegendum. Infirmæ cuidam miserat uvæ passæ, quod ipsi obtigerat in mensa, mox ipsi invicem aliunde cistella plena nobilissimis uvis fuit submissa felici cambio. Idem ipsi, sicut diximus, evênit in pecunia. Quin & illósmet, qui Patri Julio solebant subministrare subsidia in pauperes, liberalitate eximiâ prosequebatur Deus, ac quasi ad hanc sanctam usuram eos alliciebat. His namque perfrequenter per orationes Pater Julius sententias propitias super litibus multùm perplexis, & intricatis, & aliquando in summa latissimè excurrente, verbi gratiâ, quadraginta millium Scutorum, & semel ducentorum millium. Nonnunquam felicem illarum exitum iis prædixit à Deo certissimè sibi revelatum, ut aliquando dicere Deo tertiùm sibi affirmanti, Marcum Antonium Auream recuperaturum dotem, dicere coactus fuerit; non amplius Domine, non amplius, plus satis intellexi. Neque solùm Deus illi largissimus erat remunerator his in bonis materialibus hujus temporis, quæ momento quasi transeunt, & consumuntur, sed multò magis in seligenda ipsi mercede quadam spirituali nobilioris conditionis, &

Magna vis pellium ex Polonia.

Quàm distinctè P. Julio Deus arcana revelârit.

temperamenti, quàm hæc temporalia sint, subjecta tineis, & injuriis temporis, quod arrodit omnia; non dico cujusdam suavissimæ & internæ consolationis, cui immersus animus nescit, quid molestiarum devoret corpus, quas experimur in subveniendo necessitatibus proximorum; verùm insuper ejus gloriæ, quà donari solent servi ejus ex operatione miraculorum in hoc mundo, quæ est verissima reflexio, & refusio illius splendoris, qui inclarat beatos in paradiso. Non nego eos illam hic fugere, quantum possunt, sed illa hoc ipso eos sequitur, & hoc firmior illis inhæret, quò neglectius illam quærunt. Jam verò hac in re Pater Julius mirum quantum enituit plurimis sanitatibus in miseros infirmos collatis, quorum bono & saluti totum se impendit.

Gloria sequitur fugaces.

Pauca exempli gratia duntaxat referam, quæ satis sint probandæ veritati; nam omnia nimis longum pertexerent catalogum. Pauper colonus tantâ manabat sanguinis copiâ, ut sisti nullo humano posset remedio; intervênit Pater Julius, & facta brevi pro illo oratione, ductóque in fronte crucis signo, momento illum stitit. Institor Gottardus nomine multis jam mensibus discruciabatur febri, adiit eum Pater Julius, vidit, oravit pro ipso, & antequam biduum flueret, sanus surrexit. Filius unicus Hermanni de Amelia lapsus de columbario recta incidit in palum cujusdam pergulæ guttur transfossus, ultra dolorem & vulnus factus quoque mutus. Præ doloris magnitudine in rabiem abiit misellus parens, ritu canis fremens. Vocatur Pater Julius, bonis avibus illic transiens benedixit aquam, quam ei recitatis super ægrum jam à Medicis depositum, litaniis bibendam dedit. Rediit loquela, & paulatim perfecta sanitas. Jam ad articulum mortis devenerat nepris Moronis Episcopi Maceratensis. Invisit eam Pater Julius, fudit pro ea preces, nocte insequente ipse in Collegio permanens apparet

Momento sistit sanguinem.

Aqua benedicta sanat depositum.

paret infirmæ, eam consolatur, promittit sanitatem, quæ brevi secuta est. Eam omnes passim proclamavere miraculosam. Hujusmodi plurimas historias, & exempla legere est in Diario manuscripto annotata, & fuit idem manum infirmi apprehendere, cruce eum signare, bibendam aquam dare, orare pro ægro,& jubere sanum surgere. Verùm de sanitatibus miraculosis erit proprius in libro tertio dicendi locus : Habebat autem Pater Julius certa sua indicia minimè dubia, & fallacia, qualia haberi solent ab arte,& effectibus medicinarum. Quoties enim æger sanandus erat, sentiebat se supra modum impelli ad orandum Deum pro ipso, excitari solitus etiam nocte ad fundendas preces. Quando autem moriturus erat,sensit animum,mirum quantum orandi repugnantem. Ità quondam multis precibus parentum inductus, ut oraret pro nonnemine ægro, fecit id sanè præfervidè; verùm inde egressus statim sensit sibi animum refrigescere,& intùs dici sibi. Et si Deus vellet eum mori, nunquid & te oporteret esse contentum? Atque ita fuit, æger vixit. Ex adverso cùm pro aliâ persona preces ad Deum funderet, ut pristinâ potiretur sanitate, sensit se ita ad id faciendum propensum, ac promptum, ut clarè & expresè ipsi dixerit; non moriere. Tacuit quidem id, quod tunc ipse in animo persentiscebat, nempe certitudinem infallibilem de veritate prædictionis, personam illam tunc minimè mori potuisse, tametsi omnes homines, qui tunc erant Neapoli, ubi Pater Julius morabatur, & omnes inferorum spiritus armati contra niterentur, parati eam occidere. Illa convaluit, contra opinionem omnium. Atque ita certum & indubitatum est,qui omnia sua,& seipsum totum donat Deo in proximis, totum habere Deum in sua potestate paratum ad sui defensionem, promptum in auxilium proximorum. Quo autem pacto eum paratum & expeditum habuerit ad se defendendum,

Apparet & sanat.

Signa sanandorum ægrorum, & non sanandorum.

Ejus prædictio valet contra opinionem omnium.

videbimus in sequente capite, quemadmodum in supra dictis eum illi in juvandis proximis nunquam defuisse perspeximus.

CAPUT II.

Victoria Tentationum.

Qui piè volunt vivere, tentationes patientur.

NOn potest falli, nec fallere divinum oraculum, quod in Scripturis sæpius denuntiat persecutiones, & tentationes iis, qui accedant ad serviendum Deo, & piè volunt vivere in Societate Jesu. Nimium quantum communem humani generis hostem offendit, & acerbat animus ille generosus, qui posito sub pedibus mundo toto aliud non cogitat quàm gloriam Dei: atque hinc est, quòd omnes in illum artes, omnium virium suarum phalangem educit in aciem cum Acheronte toto. Ex adverso nimium quantum placet Deo videre de cœlo suorum carorum victorias, qui usque ad sanguinem resistuut, ac propterea subinde permittit, nonnunquam excitat contra ipsos pugnas, & tentationes. Illa serenitas vultûs semper in malacia positi, quam in servis Dei contemplamur, sæpè iris est, & arcus speciosus, qui emicat & exoritur à tempestatibus & procellis in ipsorum sinu inclusis, & contra ipsos per nequissimos suscitatis spiritus: pax imperturbabilis animi, quæ perseverat inconcussa ad quantumvis gravem insultum, acquiritur ab ipsis per continuas pugnas & victorias à seipsis reportatas. Non negaverim tamen ego non omnes à divino spiritu duci in desertum, minimè fertile illecebrarum hujus mundi, ut tententur à malo Dæmone, imò mihi persuasissimum habeo, Deum secundum sua inscrutabilia judicia puriſſimis quibusdam animis inter meras suavis cujusdam, & tranquillæ devotionis delicias reserare quendem hujus mundi

Humani generis hostem exacerbat pietas.

Placet Deo nostri victoria.

Quidam pauci evadunt sine tentatione.

mundi paradisum terrestrem, quem nullus halitus venenosi serpentis inficiat, aut candidarum aurum obfuscet cogitationum. Verùm hæc dona Dei & gratiæ, paucis obveniunt, & magis extollunt liberalitatem donantis, quàm virtutem absque labore accipientis. Multis parasangis plures in cœlo sunt sanctorum, ac magis glorioſi illi, qui egregiè hic in terris decertavere. Ex horum numero fuit Pater Julius fortissimè & interius, & exterius oppugnatus per crebros & diuturnos assultus, semper tamen cum victoria ex arena reversus. Bellum ipsi primum statim movit, quam diximus esse animi affectionum potissimam, vindicandi scilicet sui congenita cupiditas, generosa identidem indole & spirituum excelsitate inflammata, quæ cùm juvatur à Diabolo duce atque impulsore in ea, ad quæ naturâ ferimur, accedente etiam Patris Julij vivendi ratione tot inter sectas, nationésque & genio dispares, & judiciis, moribúsque discrepantes, inter negotia mundi oculis expositа absque dubio atroces illum in conflictus dederit, & assiduas sui vincendi difficultates, materiémque æternam præbuerit.

P. Julius in tentationibus semper glorioſus victor.

Technæ Diabolicæ sub prætextu zeli.

Obtrudebat nimirum ipsi Diabolus sub colore publici boni, luculentè se semel ultum iviſſe, optimum fore remedium, & idoneam ferulam increpandi discolos, ut in posterum Dei servos magis observarent, & isti vexationum, & convitiorum liberi majori cum animo & alacritate rem animarum promoverent: proponebatur illi tanquam debitum fraternæ correctionis, quod existimationis propriæ subdola inventio subornabat. Obtrudebantur mille modi arrogandæ sibi privatæ auctoritatis in offensores suos, quandoquidem publica potestas eorum, qui pro officio tenerentur mederi, ut plurimùm inefficax, sæpè languida, subinde omninò cassa excideret. Acuebat aciem frequenter Alastor objiciendo vivæ ejus imaginandi virtuti

modos

modos illos vindicandi asperiores; verborum & verberum jacula, assumenta calumniarum & contumeliarum, fustuaria, plagæ, cædes, confusâ seditione obversabantur animo; ipse autem, ut qui nihil æquè aversabatur, quàm offensam Dei, vel ab ipsa sola peccati leviſſimi abhorrebat umbra, ne dum ut illud vel minima approbaret ex parte. Has ipsas pugnas, & mentis aversionem experiebatur etiam Dæmonis arte in ipsa quandóque religione, dum illic fieri quædam videbat, quæ vergerent in ejus despectum, animum à se abalienatum præ se ferrent. Equidem ea ità cum ejus voluntate, & judicio confligebant, ut assereret, nihil æquè sibi adversatum fuisse unquam toto vitæ religioſę tempore, quàm nunquam excusare se, nunquam proponere rationes licuisse sibi; prout nunquam ulla in re se excusavit, neque aversum à quoquam gessit animum, sive à personis, sive, quæ gererentur, à rebus; quanquam ipsi prætextu zeli & sub umbrâ fervoris viderentur dignæ emendatione.

Vel ab imagine & umbra peccati abhorret.

Quid ipsi maximè adversum fuerit in religione.

Ad has Dæmonis fraudes sanè hoc difficiliores cognitu, quô erant occultiores sub imagine majoris boni, & ad superandam animi tristitiam, quæ cor ejus dilacerabat, utilissimum adhibuit Scutum orationis, cujus ad facem clarissimè advertit omnem hanc mentis caliginem initium sumpsisse ab indole sua rigida, solitaria, à genio vivendi austeriore. Accedebant quorundam hominum consilia itidem genij ac spiritûs severioris, neque affectionum animi sic domitarum, & subjectarum rationis imperio, sicut ipse suas habebat edomitas, & planè examussim morigeras. Vt tamen ille se vinceret, non egebat alio adminiculo, quàm nosse seipsum, & manè ad incudem orationis sua revocasse proposita, & intra diem vigilare, ne vel cogitatio quantumvis brevior menti obreperet. Ac Dominus quidem Deus non solùm ardentissimo illius fervori adfuit suo cum auxilio usitato, & quotidiano, verùm & cum suppetiis,

Ad omnia prætendebat Scutum orationis.

Habebat edomitas animi affectiones.

petiis,& gratiis extraordinariis bis seipsum diversos per annos spectandum obtulit; Primâ in visione clarissimè ipsi ostendit gloriam paradisi, & per illam visionem ipsius cor incredibili implevit jubilo. In secunda manifestavit ipsi (ipsius verbis utor) suam diviniſſimam præsentiam; Ex quibus & tunc accepit sanè admirandam, quæ & postea multo tempore perduravit, devotionem & suavitatem singularem; nec ipsi porrò visa est res ardua tolerare à Dæmonibus objectas difficultates, cum gloriam aspiceret, quam per illas servator acquisivisset, & quam ipsi parerent, quámque in paradiso aspectabilem habuisset. Sed oportebat hæc fieri, sed nondum statim finis. Non hic absolvit sua certamina fortis Christi Athleta, Angelus Sathanæ majores & periculosiores admovit ipsi conflictus, & moleſtiſſimos assultus, quorum amovendorum causâ Apostolus ter genua flexit, & rogare compulsus est Dominum, ut se ipsis ereptum vellet.

Visio paradisi omnia mentis nubila dissipavit.

Paradisi deliciæ omnia ipsi suavia reddebant.

Patitur stimulos quales Apostolus gentiũ.

Stimuli carnis penetrantiſſimi ipsum diù, noctúque divexabant, neque somnos concedebant imperturbatos; adverte,qui legis,quàm ad vivum innocentiſſimum Patrem Julium confixerint; vivebat alieniſſimus ab omni eo, quidquid sensum sapit, imò ejus graviſſimis cohortationibus debetur illa prohibitio nostris facta à Patre Claudio Aquaviva, confirmata postea à Patre Vincentio Caraffa tam quoad praxin, quàm quoad speculationem, ne quis porrò nostrorum doceret in genere delectationis Venereæ quæsitæ dari parvitatem materiæ. Quippe ipse magna ex parte illum sua auctoritate tanquam vir illuminatus eò permovit, & multò magis per suas orationes id impetravit à Deo,quem diu multúmque super eo oraverat; ajebátque Dominum sibi revelasse displicere sibi etiam magnopere illas blanditias, quæ teneris infantibus fieri demulcendis solent. Itaque Pater Julius non solùm semper virgo perseveravit,

P. Julius est auctor præcepti, ne quis nostrorum doceat dari parvitatem materiæ in delectatione Venerea.

Teneri infantes non demulcendi.

severavit, pro eo, ac clatè testantur articuli impressi pro ejus Apotheosi, nec partem unquam vidit corporis sui, nisi manus, sed & testante Patre Marco Antonio Palombo, & Patre Constantio, qui ipsius Confessionem Generalem excepere, nec commisit unquam in tota vita sua peccatum mortale, prout asserit Pater Jacobus Anellus Polius amicissimus Patris Mancinelli scribens ad Patrem Julium Allaleonam Neapoli 13. Sept. Anno 1614. quam Epistolam habeo penes me. Hæc ipsa Patris Julij integritas,& innocentia Dæmoni serviebat non solùm loco cotis ad acuendam rabiem, & invidiam adversus eum, impatienti tantæ puritatis; verùm etiam ad excogitanda potissima arma, quibus ipsi ictus infligeret si posset,mortales. Illud inexpertum vivere omnis delectationis sensibilis movebat in inferiore homine curiositatem vehementem experiundi, & molestissimam quandam cupiditatem concitabat probandi, tanquam in ea reposita esset voluptas, satisfactio, & gustus longè major, quàm quisquam sibi imaginari posset; atque ità presse eum strinxit inimicus, ut diu noctúque in somno & vigilia ejusmodi imagines menti ejus objiceret. Et quoniam renisus isti violento adversario imbelles videbantur, & Patris Julij generosa repulsa ludicrum quid, & facile superatu, ausus est veterator impurus induere formam lascivæ mulieris, quæ sistendo se coram ejus lectulo offerebat ei proclives peccandi occasiones, inde beneficio noctis & tenebrarum multò acriùs & vehementiùs eum tentaturi usque propiùs se ingerebant nequissimi spiritus, volitabant per aërem carbonum instar accensorum ob oculos; nunc in formâ æthiopum absque manibus, nunc in Salamandræ specie, felis, aliorum animalium plurimorum, insinuantium se in lectum, eúmque provocantium; imò sentiebat ab ipsis penetrari arterias & venas corporis cum impetu, inducendo in illud tremorem, ac timorem

Peccatum mortale non commisit.

Rabies Diaboli in mentem castam.

Aries & rabies Diaboli.

Alastoris inusitatæ machinæ.

Hæc est potestas tenebrarum.

nec

nec opinatum, & repentinum, rigorem, languorémque omnium artuum, commotionémque omnium spirituum, planè ad eum modum (ajebat ille) quo accedens personas à Diabolo infestas statim in eis cognoscebat Dæmonum præsentiam, quòd, si in illis essent, refundebant ejusmodi operationes & functiones etiam ipso in corpore.

Cognoscitur præsentia Dæmonum intentatione carnis.

Cui rei fidem facit Pater Cæsar de Vivo, prout videbimus in fine capitis noni hoc ipso secundo libro, aítque Patrem Petrum Fabrum, unum ex decem Sancti Patris Ignatij Sociis dixisse, cognosci hoc modo dæmonum præsentiam in tentationibus carnis, quas ei Dominus permisit virtutis ergò, tanquam homini integerrimo, qualis & ipse erat. Cùm natus esset annos incirca triginta suscitavit in corpore ejus Diabolus titionem Acheruticum sic vehementem, ut non reperiret ullum refrigerium, nec posset eum ulla ratione vel industria temperare, imò in momenta favillâ incrementum sumente reductus in eas fuit angustias, ut libentissimè complexus fuisset nives, quas simili in casu complexus fuit Sanctus Franciscus Assisias, & subtraxisset ultrò corpori suo alimentum sanguinis, quod Sanctus Benedictus volutatus in spinis subtraxit suo corpori, atque ita conservavit lilium Castimoniæ candidum, inviolatúmque. Ad omnia remedia mente & cogitatione recurrit, denique illud applicavit, quod ipsi inpræsentiarum promptum erat & facile. Exuit se vestibus, & arrepto aspero & sævo flagello suum corpus ita dilaniavit, ut uno continuo facto vulnere rivi undique currerent copiosi sanguinis. Cùm nec hoc extinguendo incendio sufficeret flammâ ex seipsa alimenta suscitante, Diabolo fortiùs blanda bella in animum exacuente, quàm ipse affligeret corpus, memor se legisse in Sancto Aquinate ejusmodi hostem rectiùs vinci oratione, quàm verberibus, resumptis vestibus ad sanctissimum advolavit Sacramentum, atque illic intra

Pugna P. Julij comparatur cum S. Benedicto & S. Francisco.

Arripuit flagella.

Remedium ex S. Thoma, Oratio & sanctissimum Sacramentū.

breve tempus depulsâ tempestate rediit serena animo tranquillitas, non secus, ac qui olim cum atroce conflictatus tempestate, majori postea cum gustu perfruitur quiete, quam nactus est in portu.

Diabolus novam exorditur pugnam.

Persimilem assultum eâ ipsa ætate movit Patri Julio tenebrarum princeps quadam nocte, cùm se ad capessendum somnum composuisset; Ingressus lectum in forma scolopendræ, vermis nigri & pilosi capite & caudâ ignei ita ejus mentem cum examine turpissimarum & indignarum imaginum opplevit, ut venis ejus omnibus & sanguine ferventer accensis vim sibi afferri, & nequaquam se vincere posse putaverit. Non propterea tamen ille se deseruit, sed orationis scuto properè arrepto Beatissimam Virginem habuit aspectabilem, quæ intra limen conclavis assidens, placidè eum intuita dæmones ipsum opprimentes momẽto fugavit, dixitque, confideret, ejus castitatem in salvo esse, semper se ei auxilio futuram. Quæ visio, & per amica ad eum invisio animo ipsius dulcissimam impressit quietem, & insolitum addidit robur, ut ejus sola memoria per aliquot perseverans menses bullientes animi ardores vel extinxerit, vel certè mirum quantum refrigeraverit. Qui pro eo, ac debet, fortiter confligit, certus potius vitam, quàm palmam amittere, aut lilium castitatis sibi è manibus extorqueri sinere, semper habet Cœli reginam sibi auxilium properantem, si non aspectabilem, prout Pater Julius eam habuit, certè non minùs potentem, & juvandi promptam & paratam. Desperans itaque Acheron nihil se per hujusmodi formas, in quibus se cognoscendum dabat, quis esset, obtenturum, decrevit cum alienis sub formis oppugnare, quæ quò magis erant illices, & blandæ illecebræ, hoc potentiores ad eum illaqueandum, & minùs faciles cognitu pro Diaboli technis, quales reverâ erant.

Non tamen se deseruit P. Julius, nec Deus ipsum.

Beatissima Virgo Dæmonem fugavit.

Vertitur ad alia Protheus Dæmon.

Itaque

Itaque ante omnia nobilem ac famosam commovit in civitate peccatricem, quæ sub prætextu, quasi se vellet convertere, usa est omnibus artibus, quibus lasciviissima quæque uteretur Thais, ad pervertendum Dei servum, ut inter cæteras hac prærogativâ gloriæ emineret, subvertisse se hominem ab omnibus æstimatum pro sancto; suggerente illi identidem pessimo Erebi ciniflone, illam hujus unius victoria & triumpho celebriorem per ora virûm volaturam, quam complurium aliorum grandium, & summatum, quosjam ante concatenatos in triumphum duceret. Verùm omni hoc astuti serpentis conatu in irritum quoque excidente paulatim pestiferum suum halitum animis & auribus quarundam devotarum insufflavit, quas Pater Julius regebat in spiritu. Hic sub involucro pietatis, & sub cinere sancti rigoris per eas excitatum illi fuit gravissimum incendium, busto hoc fumosiore clam glisscente, quo rutilantior fax virtutis in vitio præferebatur. Licet is semper non aliud cum eis tractaret, quàm de sanctitate, animarum salute, periculis æternitatis, novissimorum terrore. Non se reddebat familiarem, non se monstrabat affabilem, nec unquam oculos in faciem cujusquam conjiciebat, cùm esset alioquin indolis rigidæ, & severæ, aspectu potius inamæno, quam amabili, absque omni blanditiarum illicio, quibus Alastor cæteroqui uti solet ad fomitem amoris perversi. Verùm, prout dicebam paulò antè, magis gaudebat inimicus, si quem hominem spiritu præditum potuisset in periculum adducere, quàm si centum malos impellat in casum. Et hanc ob causam omnem artem & astum adhibuit affabilitatis & illecebrarum muliebrium ad induendum laqueis servum Dei. Huc afferre in medium omnia non dico, quæ dixit & fecit Dæmon per illas adversus castimoniam Patris Julij, imò vel minimam eorum partem, non est mihi per modestiam Lectoris integrum

Prostibulum immittit.

Vertitur ad devotas mundi judicio.

Cibus ejus electus.

Tentat omnia Alastor nec tamen vincit

tegrum, tametsi perutile foret, & magno adjumento animarum Rectoribus etiam devotissimarum, ut isthæ discerent esse cautæ, & ambulare semper cum oculis ad discernendum probè apertis; quoties malus Dæmon transfiguratus in angelum lucis in eis excitat, & incendit amorem carnalem erga creaturas, dum videtur iis esse merus focus & ignis erga Creatorem.

Quod videtur caritas, aliquando carnalitas.

Hasce artes perbene novit Pater Julius ad accensam orationis facem; & parùm foret dicere, eum cunctas cum gloriosa sui victoria triumphasse, nisi majori ipsi gloriæ cederet, illas ipsas personas à Dæmone deceptas, ipso duce agnovisse errorem suum, & de novo per ejus exhortationes, orationes, rara exempla Angelicæ puritatis fuisse reductas in semitam spiritûs, à quo deflexerant, licet aliquæ earum in pertinacia Diabolica occalluerint. Et meretur sanè hic referri illius sensus, quo seipsum animavit, ejusque fundamentum, supra quod ille in his assultibus séque animúmque stabilivit; quod nimirum erat firmissimum animi decretum, non offendendi Deum gravi peccato, quod ipsum fortem atque inexpugnabilem Acheronti reddidit. Idem enim sibi esse dicebat, velle assentiri alicui peccato mortali, quàm negare fidem, cœlum, inferos, justitiam, præsentiam Dei. Si namque hæc talia credenda sunt, non possumus consentire in aliquod grave peccatum, tam vivam itaque fidem ille habebat, ut videretur fieri nequire, ut ille faceret peccatum, id quod plenè consonat cum divino oraculo; memorare novissima, & in æternum non peccabis.

P. Julius devias reduxit in semitam.

fundamentum, supra quod suam Castitatem stabilivit.

(o)

CAPVT

CAPUT III.

Imperium in Dæmones.

PRæmium solitum concedi servis suis à Domino Deo, qui post longos conflictus ex arena rediere victores Dæmonum, est illamet auctoritas & dominium supra ipsos Dæmones, quasi jure merito & plerumque victori debitum, ut in triumphum agatur victus. Ita legimus, ut alios multos silentio prætereamus, Sanctum Ignatium Societatis Jesu fundatorem, & magnum Antonium post nobilissimas laureas ex tot, támque asperis præliis à rebellibus spiritibus relatas illorum ferulâ & baculo dominatos fuisse, & sturnorum more egisse in fugam. Hoc idem donum & præmium, quod ex glorioſis suis pugnis cum Dæmone pro mercede retulit Pater Julius, fuit absoluta quædam in illos potestas, & dominium ità quidem, ut statim eos, ubi locorum erant, cognosceret, atque effugaret, quantumvis alios laterent, & illis contumaces resisterent.

Dominium Dæmonum præmium Victoriæ.

Testis S. Antonius & S. Ignatius.

De plurimis exemplis aliquot duntaxat paucula afferam in medium majori lectori emolumento, & voluptati futura. Et sufficeret dicere per eum plures trecentis liberatos fuisse à Dæmoniis. Et Romæ unam solam mulierem à quinque capitibus, sive principibus, quorum unusquisq; mille alios sub se habebat, & aliam itidem mulierem à quatuor potentibus capitibus, quorum unumquodque facilè mille alios, ut supra, sub se numerabat, & hos per os mulieris deveneratos fuisse reliquias Sancti Patris Ignatij, & Sancti Francisci Xaverij, asserentes illos habere altissimum locum in paradiso.

Plures trecentis à Dæmone liberati.

Venerati sunt reliquias S. Ignatij & S Francisci Xaverij.

Visitabat P. Julius Diœcesin cum Episcopo civitatis Castellanæ, cùm ecce fama ad illos affertur in illis terris virginem viginti duorum annorum degere, cui mirè speciosis

Virgo quędam apparitiones habet.

ciosis in formis Beatissima Virgo domi, & in templis soleret se spectabilem præbere, exhortans illam, ut iret per mundum, & populos ad agendam pœnitentiam induceret placandæ sui filij iracundiæ, qui excandescens jam jam præpararet in peccatores missilia; & in signum hæc vera esse prædixit, ipsam octiduô mutam fore, nec verbulum prolocuturam, id quod statim mandavit executioni. Completo

Muta & jejuna longo tempore.

hoc octiduo fideliter ipsi de more apparuit B. Virgo, deditque ipsi aliud signum, quòd esset per alios octo dies permansura sine cibo. Præterea quodam die festo solemnissimo, cùm illa preces funderet in templo coram imagine sanctissimæ Virginis miraculosa, & maximus esset populi concursus, visa est sibi audire eadem, quæ supra, & videre depictum brachium ex muro protendere, manúmque suam ab eo arripi, & blanditiis amorosè affici. Quod cùm

Osculantur manus Virginis tanquam contactu sacras.

circumstantibus retulisset, omnes certatim accurrere osculum fixuri beatæ illi manui, quam, uti credebant, sanctissima Virgo suo contactu sacrasset. Et hoc ut commodiùs exequerentur, collocarunt eam supra scabellum altaris in subsellio Pontificali. Hæc audientem Episcopum magna cura, & solicitudo incessit perplexum, quid hoc rerum statu caperet consilij? Vocat ad se quantocyus Patrem Julium supra alios cœlesti lumine præditum. Curat illam acciri cum Patre, & Matre, atque unà etiam Curionem, qui puellæ à confessionibus erat singulis octo diebus confiteri, & sacrâ refici synaxi solitæ. Hic non post multas in-

Suberat fraus, quam P. Julius detexit.

terrogationes deprehendit subesse Dæmonem, qui simplicem illam puellam deciperet, & sub specie sanctarum imaginum longiùs, quàm deceret, progressus, nimis familiariter cum eâ consuêsset. Non fuit ipsi difficile reducere puellam ad agnitionem erroris, & ad comestionem, à quâ jam per triduum abstinuerat, atque etiam, quando parentibus ità videretur, ad capiendum maritum. Quæ omnia Dæmon

trans-

transformatus in sanctissimam Virginem ipsi prohibuerat. Demùm cùm generali eam confessione expiasset, liberavit eam ab illo malo genio incubo.

Confessio generalis eam à Dæmone liberat.

Majorem multò difficultatem expertus est Pater Julius in persuadendo, & corrigendo confessario, quamvis & illum denique convicerit. Ex quo Patres spirituales documentum capessant licet, ut non tam facilè sibi sinant imponi ab apparente tantùm, & fucata sanctitate; nam vera sanctitas consistit in virtutibus solidis, tametsi eam non comitentur miracula & privilegia extraordinaria, quæ ut plurimum debent esse suspecta. Graviorem impressionem & cum majori violentia faciebant Dæmones cuidam Jacobæ in civitate Senensi; verùm minori cum difficultate eam liberavit Pater Julius, quòd esset Virgo admodum devota, & Patris Julij dictis libenter auscultaret. Apparebant illi nocturno potissimùm tempore multis ac variis modis furvi Angeli, subinde in formâ Sacerdotis ei sacram hostiam præbentis, hortantes illam, ut frequenter sumeret sacram Communionem, cùm eidem à nostris Patribus justa de causa negaretur; illam repudiabat constanter, & tunc videbat ab hostiâ fictitia prodire fœdum serpentem. Discant hinc illæ animæ, quando contra prohibitionem faciunt ea opera, quæ alioquin essent bona & laude digna, illas minimè placere in iis Deo, sed Dæmoni, fraude oppidò pernicioſa deceptas. Non sic morigera Jacoba, quæ propterea valdè cara Jesu, spiritibus immundis exosissima in majus suum meritum accipiebat ab illis acerbissimas plagas, fustuaria, vibices, ustulationes in visu, & indignas injurias alias, quas inter Virginitatis & patientiæ Martyr post creberrima certamina migravit in cœlum, acceptura, uti spes est, victoriarum adoreas.

Vera sanctitas in solidis virtutibus consistit.

Dæmones in forma Sacerdotis ei hostiam præbentis.

Communicantium absque facultate error.

Majori conatu, & pluribus orationibus constitit Patri Julio Romæ cujusdam mulieris Recanetensis emendatio.

Mulier Recanetensis emendata.

Isthæc, quibus aliquid furto ablatum fuerat, revelabat personas, quæ emerant furta, vel accepissent pignora : imò ipsissimos fures; & accipiebat propterea à Dominis rerum, liberales remunerationes magno cum rerum temporalium lucro,& augmento corporis quidem,sed gravi animæ jacturâ. Vbi Pater Julius rem cognovit, exivit ad eam magna cum diligentia quærendam : ac,cùm in eam incidisset, scisciatus est ex illa. Vnde ei tantum luminis ad penetrandas res omnibus aliis absconditas ; respondit illa, omnia sibi à quibusdam Angelis candidis significari, qui diebus Veneris duntaxat,& Lunæ sibi appàrebant in pellucido vitro, & de hoc plurimùm ea gloriabatur,& propterea ejus curatio hoc difficilior accidebat, quo minùs ea suum agnoscebat errorem. Irridebat Medicum,& aspernabatur. Vbi hoc advertit Patrem Julium, à dehortationibus venit ad minas, quas non solùm à divinâ Nemesi, verùm etiam ab humana Themide deprompsit. Cùm nec sic quicquam proficeret, quoniam nimiùm quantum tenebatur à Diabolo, recurrit ille ad orationem, ac vehementer postulavit à Deo, ut illam liberatam vellet. Nec multum temporis abiit, cùm ejus conversionem impetravit, & agnito suo errore ad frequentiam Sacramentorum se transtulit.

Angeli mali transfigurant se in angelos lucis.

Difficilior errorem non agnoscentium curatio.

Sacramentorum frequentiâ emendatur.

Viennæ Austriæ insessa quædam à Diabolo valdè ferox anno integro exercebatur ab Episcopo exorcismis Ecclesiæ consuetis, verùm nullo profectu,incepit Pater Julius semel ei locutus preces pro ea fundere coram sanctissimo Sacramento, absque eo, quòd illa eum videre, aut quicquam de eo scire posset domi apud suos inclusa; ad quos, uti & ad unum è nostris Patribus, qui ad eam inviserat,cœpit multa effutire convitia adversus illum Patrem Italum, qui omni vespere circa horam vicesimam tertiam se divexaret, & torqueret: Et erat illa ipsa hora, quâ Pater Julius pro ipsa orabat. Voluit ipsemet deinde se ad eam conferre,

Convitia in Patrem Julium jacit.

ferre, ac solâ oratione, quam illic in conclavi faciebat, malos genios insigniter torsit, ut vehementes prorumperent in ejulatus, contumeliis ipsum proscinderent, illum etiam percutere conati, donec copiosi cum sanguinis vi per os ejectâ etiam ipsi ejecti sunt relictâ eâ liberâ.

Romæ fuit ipsi oblata puella annos nata sedecim, vel octodecim circa, in qua maligni spiritus ita occulti latebant, ut, licet puella ex variis actionibus daret signa, ipsam esse infestam, ab exorcismis tamen, qui adhibebantur, nihil posset deprehendi. Pater Julius posita manu supra frontem, & recitata oratione Dominicâ, & salutatione Angelica, Apostolorum symbolo præcepit Dæmoniis, ut ascenderent sursùm, ac sese proderent, obediverunt extemplò, ac dato ipsis altero præcepto, ut discederent, postquam puella aquam benedictam biberat, subitò discessere. Florentiæ cùm haberet sermonem ex scabello altaris ad sanctimoniales, vidit ex lampade illic pendulâ ascendere flammas, & carbones accensos, qui scintillantes per aërem elevabantur, & intrabant denique ad odæum sanctimonialium: Et hoc sæpiùs vidit, ac cognovit esse Dæmones, qui tenerent quasdam virgines obsessas: Vespere paulò antequam concederet cubitum, flagellavit ille se acriter coram sanctissimo Sacramento, & rescitum est deinde ex antistita, illâmet hora tres Virgines per cænobium mentis impotes cursitasse vociferantes; Pater Julius nos torquet. Duplo plus illos in ea ipsa civitate aliquando torsit, cùm promulgato Jubilæo illam propè universam ad sacram confessionem adduxit, siquidem nocte sacram Communionem antegressâ, cùm pervigilaret in oratione, audivit malignos spiritus percursare civitatem desperabundos, ac vociferari graphicè de bono conquestos, quod fieret in civitate.

Confert se adeam, torquet malos genios oratione.

Discedunt bibitâ aquâ benedictâ.

Florentiæ Dæmones ex lampade.

P. Julius nos torquet.

Jubilæum Florentiæ.

Neapoli nostèr Pater Anellus Milo Patrem Julium ductabat ad suum quendam fratrem germanum nomine

Neapoli Diabolos in Fascino.

Franciscum, ut ipsum præpararet ad bonam mortem, quandoquidem jam jam videbatur in illo articulo paulatim versari. Vt venit, ut vidit, statim advertit, malum totum esse à Diabolo, qui illic constrictus fascino teneretur. Jubet igitur, ut suum nomen diceret, ad quod ille promptè, suum nomen esse Draconem respondit, præcepit, ut solveret fascinum, illud confestim solvit, ac, prout urgebatur, dedit signa particularia semper latinè locutus. Et quoniam æger non poterat cibum sumere, nec capere somnum, jussus Dæmon & hæc sustulit impedimenta; cùm item frequentes miserum vomitus, & deliquia afficerent, ut non posset in peragenda confessione æger, prout vellet, progredi, etiam huic malo Dei servus remedium confestim adhibuit, nihil contra inimico hiscere auso.

Cogitur in omnibus parere P. Julio.

In quadam terra Tusca insessus quidam ferox discursabat per vias publicas, omnia terroribus complens, & multa patrans mala; prævalidi quidam rustici sumpto animo viribus omnibus conniti eum comprehendunt, & in templum paganum adducunt. Erat aspectu horrido, acherontice putens, pallidus, macer, narium auriúmque ficca cuspide. Patri Julio, cùm eum exorcismis premeret, confessus est Dæmon, illud corpus reperisse se exanime in quadam silva, atque ità ingressum. Exiit collapso repente cadavere cum inexplicabili putore. Composuerat Pater Julius orationes complures adversus Dæmones, qui corpora ab ipsis invasa divexabant, adjungebat bonorum operum & pœnarum omne genus eum in finem, reliquit item utilissimam formulam eos ex ordine urgendi per exorcismos, quam hic referri à me non est mihi visum necessarium; excresceret volumen plus nimio, nec sine legentis forsan stomacho, si omnes ad unum recensere casus vellem, in quibus ille Dæmones & vicit & expulit per solam suam præsentiam illos agnoscens, & deridiculo habens, quoties mille

Alius energumenus sanatus.

Formulam exorcismorum composuit.

mille modis & argumentis incutere illi terrorem conabantur. Pepulit autem illos vel oratione, vel operibus pœnitentiæ,& maximam eorum partem per aquam à se benedictam, quæ porrecta sæpius illorum fauces, & palatum adurebat. Non omisit tamen Deus, quin subinde Patri Julio in iis effugandis occasionem præberet exercendæ virtutis, humilitatis, patientiæ, vincendi seipsum,dum permisit ipsis facultatem, afficiendi eum injuriis, apponendi calumnias in publico, cum multa ejus erubescentia, & rubore,atque etiam lædendi eum graviter in vitâ, id quod totum pertulit animo imperterrito, ac tali, ut ne quidem se commoveret. Exemplo ab unico, quod hic referre placet, poterit fieri conjectura de aliis,quàm malè vellent Dæmones Patri Julio; & vicissim, quàm flocci aut nihili eos ille faceret.

Maximam eorum partem pepulit aquâ benedictâ.

Calumniis eum in ruborem dederunt.

Proficiscebatur ille Macerata Sanseverinum veneraturus illic imaginem Beatissimæ Virginis valde miraculosam, potissimùm autem liberatione à Dæmone obsessorum inclitam, quorum semper illic magnus confluit numerus. Dimidium itineris confecerat,cùm ipsius equus contumax nec progredi obstinabat, nec regredi, etsi calcaribus luculentè adigeretur; imò in pedes erectus non sine periculo retrogradi casûs se tenebat in aëre omninò quinquies; verùm cùm ipse optimè à puero sciret artem frenandi equos, firmum se atque immobilem continuit in sella, dubius equidem, utrum urgere perseveraret cœptum iter, facta oratione statuit prosequi; & mox equus mansuetior factus ad simplicem freni motum processit. Cùm ventum esset ad præfixum terminum, summum persensit cruciatum in osse, quod humeros cum præcordiis conjungit,verùm cùm nihili illum dolorem faceret, adiit templum Beatissimæ Virginis, & ut collectior orationi vacare posset propter multitudinem, quæ circumdabat altare, aversum a populo

Contumax equus.

Facta oratione iter persequitur.

caput clathris ferreis applicuit. Hoc modo cum aliquamdiu orâsset, sensit in se gravissimas contumelias jaci ab illa multitudine; sed cùm adverteret esse spiritus, qui catervas illas affligerent, contempsit illos, & perrexit in orando. Cùm ecce! omnes illæ personæ insessæ cadunt in terram semianimes. Sed mox ejus per merita & orationes in totum à Dæmonio liberatæ. Cùm sub noctem domum se recepisset, prætoris sui amici ex vocato ad se medico cognoscit illud os, quod dixi, fractum esse; sed de facili curatus sequenti die ad templum rediit, atque illic missam celebravit uno solo usus brachio. Quod cùm vidisset Sacerdotum unus, quæsivit ex una famosa obsessarum illarum, quæ recens advenerat, quis illud mali conflasset Patri Julio: illa subridens respondit, fuisse quendam spiritum Anglum, dictum *Magnum Sapientem*, qui illac iter faciens ad hujusmodi facta attendisset. Duravit ruptura illa ipsos quinquaginta dies incredibili cum doloris sensu; non propterea tamen unquam induci se passus est, ut decumberet in lecto, aut à Liturgiâ abstineret, concionem intermitteret, aut alia exercitia, functionésve in missionibus usitatas seponeret. Cæterùm per reliquum vitæ suæ decursum sæpè ipsi recruduit dolor iste.

Ejus orationibus omnes liberantur.

Spiritus dictus magnus sapiens fregit ipsi os.

Nihil sui muneris omittit.

Vltra verò à dæmone insessos sanavit Pater Julius quàm plurimos fascinis innodatos, quæ quantumvis forent occultissima, statim tamen illa protraxit in lucem, solvit, combussit. Prout Romæ, Florentiæ, in tota Thuscia, in Vmbria, in Marchia, & præsertim in patria sua cum antistita quadam, & cum nobili viro; amico suo factum, qui ambo paulatim externati contabescebant. Sufficiat dixisse Pennæ loco Firmanæ Diœceseos mense Aprili anno 1599. omninò novem personas per donum Dei singulare fascinis liberasse. Verùm quòd metuam, ne lectori meo obtundam, ac tædium afferam, cætera silentio involvo, ac pro fine

Valet plurimum contra fascina.

Pennæ novem liberat uno Aprili.

fine hujus capitis repeto, potestatem Patri Julio à Deo datam in veteratores spiritus fuisse talem, ut solo obtutu eos terreret eminus, ad solam ejus manûs elevationem caderent in terram, solo crucis signo illos ex corporibus expelleret, ac conjiceret in fugam. Placuit materiam hanc cum victoriis tentationum connectere, quamvis illarum locus magis proprius esset infra libro tertio, ubi agetur de reliquis gratiis divinis.

Solo obtutu terret Dæmones.

CAPUT IV.

De Obedientia, & Affectu erga statum religiosum.

QVanto magis Pater Julius experiebatur Deum promptum ad se audiendum, cùm preces funderet pro bono proximorum, tantò studiosiùs ille vocem Dei audiebat, quem agnoscebat in superioribus loquentem; unde illi æqualiter omnes videbantur prudentes, & discreti in præcipiendo, & eorum dictis & factis consentiebat modo singulari. Quando illi tractandum fuit cum superiore, orabat ille priùs Deum, ut illi suggereret, quod esset ad gloriam Dei futurum, ac negotia cum illis tractanda, prius Deo commendabat, & si essent magni momenti, adhibebat castigationes corporis, dicebat sacra, & committebat illa orationibus aliorum. Sic animatus erga Obedientiam nunquam auditus est proferre certas verborum formulas, quas ille vocare solebat temerarias; *Volo facere hoc, volo facere illud, parvum vel magnum.* Ac quoniam semel uni Rectorum, qui illum volebat facere suum ministrum, significavit desiderium, illum ordinem à majoribus superioribus expectandum, quòd in se aliquid sentiebat difficultatis, sensit postea magnum in animo aculeum, qui ipsum longo

Tractaturus negotia cum superiore priùs orabat.

Nunquam dixit, Volo hoc, volo illud facere.

Promptitudo obediendi incredibilis.

longo tempore pupugit. Neque verò hoc mirum videri cuiquam debet, in ipso enim erat certa quædam obediendi promptitudo, & proclivitas, qualem non memini me in aliis vel legere, vel audire. Dicebat, ad obediendum superiori parvo vel magno, quisquis esset, non solùm se relicturum fuisse hunc vel illum locum meliorem, hoc vel illud officium, quod arrideret genio suo, sed etiam, si in lustralibus flammis jam salutis securus, imò, quod ejus obediendi studium mirificè extollit, si in cœlo jam beatus, exiturum fuisse se cum beatitudinis incertitudine, iturúmque illuc, quò eum obedientia destinâsset. Quâ quidem re palàm nos edocuit, suam erga superiores obedientiam esse veram ac germanam sobolem illius in proximum caritatis, cujus amore Sanctus Pater Ignatius salutis suæ securitati spem incertam lucrandi Deo animam alioqui perituram præposuisset. Et qui tantam in obsequendo experiebatur dulcedinem, mirum non est, eum tam exactè observantem fuisse regularum, nunquam per totam vitam à se voluntate, quantumvis aliis minimæ videri quirent, violatarum. Exempli gratiâ; Tergiversabatur semel exire ad confessionem cujusdam moribundi excipiendam metu, ut redire domum ante noctem posset. Aliàs non poterat capere somnum, nisi reindueret indusium totum frigidâ permadens, ne dormiret absque indusio, id quod præcipit regula. Non est, ut dicebam, mirum, nullam prorsus admisisse unquam exemptionem, quæ ipsi sæpiùs prudenter offerebatur, quò eximeretur à multis ordinationibus, cum quibus ejus officium totum lucrandis animabus occupatum non de facili obiri ritè poterat. Et erat in fugiendis hujusmodi privilegiis, & exceptionibus à communi procedendi modo ità constanter assuefactus, ut etiam in ultimo morbo, cùm non posset de strato surgere, nihilominùs cùm audiret sonum campanulæ de more, motu quasi ejus obediendi prom-

Vellet cœlo exire si juberetur.

In hoc sanctum imitatus Ignatium.

Regulas nunquam ex professo violavit.

Exempla minimarum regularum.

In nulla re volebat esse eximius.

Ad sonitum campanulæ se quasi naturali motu erigebat.

promptitudini, naturali & necessario, ad sedendum in lecto se erigeret, animo voci divinæ, cùm corpore non posset, obsecutus.

Hæc obsequendi suavitas pullulabat ipsi ex viva apprehensione, quâ illum obedientia per viam amoris subjiciebat, & strictissimè uniebat cum Christo Domino, in quo totum suum gaudium, & felicitatem repositam habebat propter ingentem, quo erga eum flagrabat, amorem. Sicut subditus ille, qui sincero corde amat principem suum, non facilè potest majorem habere delectationem & gaudium, quam si applicetur & impendatur in negotiis suo principi arrisuris. Ita ex adverso multùm affligebatur, quando relictus quasi in manu consilij sui seipsum regere debebat, & dicebat magnis versari se in angustiis, imò & periculo forsan cadendi in aliquod peccatum, si diù eum vivere in libertate arbitrij sui oporteret. Et hæc causa est, uti alias diximus, cur tantopere allaboraverit, ut declinaret honores, & fasces maximè totius provinciæ, ubi multò magis alij à sua, quàm ille dependere ab aliorum voluntate deberet. Et hanc ipsam ob causam in juvando coquo, triclinij præfecto, & aliis similibus officialibus deferebat illis eandem obedientiam, obsequendi promptitudinem, quam deferret potestatibus superioribus. Demum intuitu Christi Domini, quem amanter in præpositis agnoscebat ut præsentem, & propter securitatem, quam habet obediens, etiam se promptissimum exhibuit in relinquendis pietatis officiis, & in operibus caritatis, quæ alioqui interpolare, aut interrumpere videri peccatum possit iis, qui perfunctoriè duntaxat res spiritûs inspiciunt. Ità Neapoli ex obedientiâ deseruit munus excipiendi confessiones, licet eo in munere non nisi suas inveniret delicias. Ita ex obedientia Constantinopoli profectus est in Italiam itinere longissimo, difficili, & periculorum pleno, tametsi illic res magnas pro

Ægrè ferebat, si relinqueretur in manu consilij sui.

In quovis superiore agnoscebat Christum.

Facilè relinquebat cara amore obedientiæ.

gloria Dei efficeret, ac crederet operam suam illic non solùm admodum utibilem, verùm & necessariam esse. Ita etiam denique Neapoli 9. Martij anno 1607. jussus non amplius litare in sacello privato, sed in templo publico, & impendere tempus in sacrificando consuetum, non solùm promptissimè est obsecutus, sed & judicavit factum optimè, cùm invitandæ omni singularitati, tum etiam, quod se reputabat indignum tam arctâ illa cum Deo, familiarique communicatione, ac solatiis continuis, quibus identidem affluebat.

Judicium suum submittebat.

Non illi conveniebat satis prosperè cum aura Capitismontis, ubi propterea etiam periclitabatur de vita, unde censuere Medici, & Pater Provincialis ordinavit, revocandum Neapolim. Superior proprius ordinem non est executus; ille autem non solùm tacebat, sed etiam gratias agebat Deo, quòd ipsum vellet ejus implere voluntatem in re atdua usque ad mortem; & tamen Neapoli faciebat res tantas ad Dei gloriam. Nullus equidem dubito caput hoc multis similibus exactæ obedientiæ exemplis, quibus ille ex professo se à suo dulci pietatis genio, imò & ab operibus gloriæ divinæ admodum feracibus abstrahebat, cum insigni lectoris bono potuisse exornari, nisi Pater Julius generatim duntaxat scribendo, quantum satis erat, ut obediret sibi imperanti, ex instituto multos casus particulares per modestiam obticuisset, id quod in cunctis aliis enarrandis virtutibus plenitudini hujus historiæ vehementer officit; dum illi satis erat dixisse in genere ommissis casibus particularibus se eam exercuisse.

Locum valetudini incommodum non mutat.

Julius casus parriculares ex humilitate obticuit.

Ex hoc erga sanctam obedientiam amore, sine cujus ductu, & directione ipse se putabat versari in gravi periculo, nascebatur ille summus perdendæ vocationis timor, qui ipsum non nisi demum cum extremo destituit halitu, qui quidem timor, etsi videri possit melius convenire cum ejus

Timor perdendæ vocationis, nisi exactè obediret.

Humi

Humilitate, quàm quòd necessarius esset ei viro, qualis ipse erat, nihilominus ante & post ipsum habuimus in societate homines, etiam generales, qui quotidie erant anxij, & solicitè à Deo petebant perseverandi donum. Et experientia nos plus satis docet, multis diutissimè in habitu religioso commoratis hanc talem devotionem perquàm fuisse necessariam. Et ipse non solùm ut quotidie magis ac magis in sancto se proposito stabiliret, sed ut potius nos perspiceremus, quam ipsi laudabile, nobis autem quàm necessarium esset timere, extra obedientiæ limites regi. Magna cum diligentia contexuit Catalogum pro sua ipsius directione, usúque privato, & ad nostram instructionem, eorum nominum, qui nostra ex Societate egressi plerumque malum sortiti sunt exitum. Ommissis nominibus, quæ ipse pro sancta sua libertate in charta expressit, dico solùm, ipsum inter suâ culpâ dimissos vidisse tres amentes factos, qui exuentes se vestibus nudi vagabantur per compita, & unum horum Laureti; duos cognovit occisos, fustibus excerebratos, absque ullo spatio aut signo pœnitentis animi scilicet post rixas & contentiones; unum interemptum à suis operis; fuerat is conditione nobilis, & gradu Sacerdos; fratres geminos propter delicta suspensos è patibulo, unum ad id inopiæ redactum, ut, cùm neque labore, neque quæstu stipis posset obtinere, quo sustentaretur, mortuus sit fame. Alium quendam novit, qui, cùm discessisset à societate absque facultate Mediolano, statim reperit Dominum. Fuit ab illo conductus Genuam, dum illic ambo lustrant naves, ab illo ipso suo novo Domino, absque eo, quòd adverteret quicquam, venditus fuit in unam, & paulò post in servitutem Turcarum abstractus, quam non nisi cum miserabili morte terminavit. Et hoc jure merito, ut, qui sine venia suorum superiorum deseruerat libertatem filiorum Dei, ipsemet contra voluntatem ac notitiam suam

Perseverantiæ donum petebant.

Catalogum eorum contexuit, qui è societate sunt egressi.

Tres stulti facti duo occisi sine signo pœnitentiæ.

Aliorum misera vitæ & mortis conditio

à temporali Domino traderetur in mancipiatum canum.

Alius in puteum se præcipitavit.

Alium quendam refert nobili genere oriundum, cùm vix societatem deseruisset, in puteum se præcipitem egisse; alium exutum, & occisum à latronibus in Sicilia, & inhumatum relictum in terra à canibus devoratum. Alios prolapsos in hæreses, alios apostatas factos à religionibus, in quas se receperant, & quasi cunctos miserè finire vitam hanc cum modica vel nulla spe futuræ melioris. Et observat Pater Julius, qui semel aperuerit aures suggestionibus Dæmonum, invitantium illum ad libertatem sæculi, etsi illas aliquamdiu occludat, recidivum tamen postea sinere sibi demum persuaderi infortunium, quod antea à se fuerat amolitus.

Dæmon in forma Angeli.

Ita, inquiebat, contigit juveni cuidam Vienna Romam in tirocinium misso. Ter ipsi Dæmon apparuit in forma Angeli sub umbilicum noctis, & dilaudatum illum liberaliter, quòd societatem esset ingressus, acriter tamen reprehendit, quòd transgressus esset divinum, ut mentiebatur, præceptum de honorando Patre, sine cujus facultate id consilij cepisset; Itaque quibuscunq; demum avibus rediret ad suos, & consensum Patris obtineret, præceptum utique consilio semper anteponendum. Novitius aperuit hanc suam visionem, & perdoctus esse illusionem, & illum non angelum, sed Diabolum, si rediret, signaret se Cruce, ac diceret, se ipsi minimè obediturum; rediit Diabolus; verùm novitius linguæ & brachiorum motu captus nihil valuit nec obniti, nec loqui, Magister de novo ipsi injungit, ut, si iterum reverteretur, sputaret illi in faciem, ac diceret, ut, si esset Angelus bonus, non in malam interpretaretur partem, cùm id faceret obediendi studio. Et sic examussim omnia est executus. At Diabolus, cùm non esset ferendo illi contemptui, ipsum & consiliarium suum execratus, ac diris omnibus devovens relicto pessimo fumo ostendit discessu,

Dæmonis fraus.

Jussus est illi in faciem spuere.

discessu, quis esset. Novitius autem nihilominus post tantum lumen variis sub prætextibus extorsit reversionem in Germaniam, unde venerat, & complexus de novo Hæresin infelici fato est defunctus.

Miser denique nihilominus defecit.

Non est res tantopere admiranda Diabolum potuisse novitium pertrahere ad sæculum, cùm apparitio ipsa Christi Domini nequiverit retinere fratrem Coadjutorem propter ejus malitiam in religione. Erat hic opificio Sutor in domo probationis Romæ, & ratus se in opere, quod à sedentario conficeretur, plus nimio aggravatum, decrevit reverti in Ægyptum; verùm quia, antequam manus daret tentationi, conflixerat, & aliquot diebus restiterat, in præmium hujus bonæ voluntatis suggessit illi Deus bonam cogitationem, ut prius properaret ad templum, & se commendaret Beatissimæ Virgini. Ab hac, loco, quòd in ipsius sanctam voluntatem se debuisset commendare, & reiterare ac confirmare de novo, tanquam Dominæ ac Patronæ illius Domûs, & societatis universæ suam quantumvis vilem operam, & orare, ut in sancto se solidaret proposito, petiit homo inconcinnus, qui erat, bonam veniam discedendi ab ejus, ejúsque filij societate, ac servitute, insupérq; gratiam & omne auxilij genus quævis alia negotia sua feliciter aggrediendi & terminandi in sæculo. Tantum sibi homines promittunt de Bonitate Dei, atque ita cæci sunt in propriis malis, ut de ipso contra ipsum sperent, ac petant opem contra se. Verùm illum nec hic sua spes fefellit, cùm ita stultè oraret, versis ad altare majus oculis, ubi sanctissimum asservabatur Sacramentum, vidit spatiosum aperiri campum, & in medio ejus erigi colliculum, cujus in apice stabat Christus Crucifixus, circum circa magno Martyrum numero, unà cum eorum insignibus circumdatus; Christum ad se conversum audiit dicentem: *Vides, quid ego tuæ causâ salutis sim passus? vides, quantum amore mei passi sint*

Item frater quidam Adjutor, cui Christus apparuit.

Commendat se Beatissimæ Virgini.

Christus illi apparet.

Ejus verba.

Martyres, sanctique mei omnes? Si itaque tu vis esse salvus, sicut illi, etiam te oportet aliquid pati. Et hoc dicto videri desiit. Secundum hanc tantam gratiam ipsi factam fuit tunc liber ad tempus, tentatione. Verùm post biennium eidem succubuit, & exivit. Ac postea experiundo mundum, ut ipsi daret victum, longè plus à se laboris exigere, quàm exegisset religio, pænâ sanè ejus perfidiam condecente, sed inferiore ejus delictis lapsus in amentiam miserè obiit.

In mundo longè plus cum laborare oportuit pro victu.

Per hæc & hujusmodi exempla Pater Julius confirmabatur in dies in illa opinione, ad mensuram securitatis, quâ vivunt religiosi sub obedientiæ asylo crescere etiam pericula eorum, qui vel ex parte, vel in totum se ab ea subtrahere nituntur. Sic item è contrario per exempla illorum, qui multis annis provixerant in religione, quos, uti diximus, sæpius de eo interrogabat, solabatur ipse suam timidam spem, fore, ut & ipse ad eum modum perseveraret. Et addebat etiam eorum, qui astu vel dolo ingressi essent societatem, fore minimè diversam ab illis, qui exiissent, conditionem, utpote qui non essent veri ac legitimi filij illius, ac per consequens, nequaquam securi sub ejus directione, & vivendi normâ, cujus protectionem nequiter occupassent. Et hujusce argumenti reliquit & ipse exemplum memoratu dignum, quocum etiam hoc caput concludam. Nobilis juvenis egressus ex quadam alia religione petiit & obtinuit nostram societatem. Cùm ipse adhuc Novitius Laureti una cum aliis extra civitatem liberioris captandæ auræ gratiâ prodeambulasset, bufala toto nisu ex septo erumpens cornibus ejus incursavit in præcordia, & dejecto illo humi genibus violenta incubuit, capite illum identidem contundens. Et sanè actum de illo fuerat, nisi complures suppetias veniissent, ac bestiam abegissent. Ipse tunc in se, inque animum reversus impedimentum aperuit dolosè à se in examine ante ingressum occultatum. Dimittendus

Quotidie confirmabatur in vocatione.

l. 1. cap. 3. circa finē.

Malè cedit etiam cum fraude ingredientibus.

Bufala in ipsum irruit.

tendus mox fuit etsi magno suorum cum rubore, & confusione. Vnde discamus licet, quàm unicuique religioso sit non solùm utilis, verùm etiam necessaria non qualiscunq; sed suæ religionis vivendi ratio & amussis. Dimittendus fuit.

CAPUT V.

Opera Pœnitentiæ, Perpessiones Corporis. Paupertas.

INterno sui vincendi studio, per quod P. Julius subigebat animum reprimendo per obedientiam propriæ voluntatis & judicij inclinationes, rectè conjunguntur opera pœnitentiæ externæ, quibus frenabat corpus, & sensus suos. Ab usque primis Novitiatûs principiis in Exercitiis spiritualibus sub primum ingressum fieri solitis statim imbibit spiritum pœnitentiæ, & corpus affligendi studium *propter sua peccata*, inquiebat ille, *& ob serium mundi contemptum.* Etiam supra diximus, ipsum laterculo pectus suum atrociter pulsasse; hoc suum patiendi desiderium vehementer accendit in prima probatione vitis sanctorum Patrum anachoretarum, sanctorúmque Martyrum lectitandis, id quod ipsi familiare fuit per totam vitam; fatetúrque in nullo Exercitio spirituali reperisse se majorem gustum, & delectationem, quàm in obeundis pœnitentiis & afflictationibus corporis, quàm diù ei id per ætatem licebat; licuit autem ei, quasi ad ipsius mortis articulum. Dictitabat, *senes debere esse frequentiores in afflictationibus corporis, quàm juvenes; quoniam ipsis tempus breve est placandæ divinæ justitiæ; item ipsorum corpora jam indurata ævo minùs sentire dolorem, idque per frequentiam suppleri debere. Demum melius cognosci fructum pœnitentiarum.* Caput nunquam pectebat, ratus esse jacturam temporis; quinquies vel sexies per annum faciem

lib. 1. c. 3. f. 20.

Spiritus pœnitentiæ à primo novitiatu.

Dictitabat senes debere esse crebriores in pœnitentiis.

Caput nunquam pectebat.

faciem lavabat propter alios, non suâ causâ, ac propter oculos, qui ob continuum lacrimarum imbrem offendebantur non parùm. Et in hunc finem non tenebat vasculum in cubiculo contentus communi gutturnio. Multò minùs sibi lavabat pedes, nec unquam aliud remedium, vel medicamentum admittebat, quod videretur utile inveteratis ejus morbis.

Morbis remedium non quærebat.

Induebat pannos veteres, & ab aliis detritos, etiam à mortuis. Par tibialium durabat in tres annos, calceorum in quatuor, thorax in octo vel decem. Et si reculæ, quas diximus, lacerarentur, ipse sibi eas consuebat. Annis compluribus non induxit pedibus soccos, sive lineos calceos. Per itinera non utebatur nisi pallio consueto, verùm illo convoluto, & duplicato, quod ipse etiam adhibebat pro stragulo lecti, & hiberno tempore pro togâ, quam nos vocamus usualem, & domesticam. Hujusmodi pallium ipsi eleemosynæ loco donatum ab cognato suo Archiepiscopo duravit viginti duobus annis, pleramque partem assumentis & centonibus resartum, nec illud ipse unicus portabat, mutuum & aliis dabat compluribus, qui libenter cum ipso prodire solebant; cùm propter felicem negotiorum suorum exitum, tum ut participes fierent meritorum Patris Julij, qui cum illa sua lacernâ præsenti luxui coram nobilibus, dynastis, principibus viris, ipso prorege insultabat, quorum liberalem manum sæpius ipsi apertam & oblatam nunquam acceptavit, nec permisit sibi detrahi pretiosos suos centones, quibus tamen sæpius se privavit propter alios tegendos. Bulgæ ipsius erant vimineæ, qualibus avena vel siligo defertur; aliâ supellectili vel apparatu, ut diximus, non utebatur; nec viatico quidem; nec ut plurimùm equitatu, victitans ferè eleemosynis, diversatus in nosocomiis.

Ipso sibi laceras consuebat vestes.

Pallium duravit 22. annis.

Triumphabat in centonibus

Bulgæ, viatica.

Ipsius

Ipsius cubiculum semper, vel quasi semper erat omnium in domo deterrimum, repudiatum ab aliis. In hoc non habebat ornatum, nec commoditatem ullam; nec seriem librorum, contentus solâ Scripturâ, & Concordantiarum quas vocant, Indice, summâ Casuum Conscientiæ, & Concilio Tridentino. Breviarium illi sufficiebat in plurimos annos. Socium cubiculi nunquam acceptavit, licet ei superiores propter senium, & infirmitatem sæpius aliquem obtulerint. Omnia cubiculi servitia peragebat ipse per sese; dicendo: ut virtutem tegeret, quòd ita meliùs sibi serviretur. Nunquam prodibat domo animi causâ, ut sese recrearet, nisi ad id ipsum superiores compellerent, contentus solo cœli aspectu ex altissimo collegij angulo; quippe per experientiam & suam, & aliorum dicerat, præcisè animi causâ prodiisse plurimum quieti & unioni cum Deo obfuisse. Affligebat ipsum mirum quantum frigus pedum; ferè tamen nunquam, hac tam bonâ occasione patiendi usus, accedebat ad focum. Convenerat cum uno, ut tempore quotidianæ recreationis placeret longius agere à foco, ita quidem, ut anno 1608. quando bruma erat omnium sævissima nunquam induci potuerit, quò se calefaceret, etsi manus haberet frigore & gelu tumidas ac fissas. Hoc frigus valde nocebat ventriculo, cujus dolores non sinebant eum dormire; ac quoniam in lecto non habebat nisi unicam simplicem culcitram, ponebat supra pedes libros, quorum pondere pressi calefierent. Idem frigus causa erat, ut in hieme præferret labra nigra, & auriculas quasi aridas, genua ex assidua orandi consuetudine callosa, & hiulca, quæ identidem manarent sanguine. Ac quoniam semel hoc incommodi superiori aperuit, dixit ipsi hic: *Nihil referre, nam & cætera ipsum habere carnem equi Arcadici.* Sic ipsi jocando, & explorando viri patientiam; quod ipse usque adeò in bonam interpretatus est

Cubicula, Bibliotheca.

Socius cubiculi nullus.

Nunquam prodiit præcisè animi causâ.

Ad focum non accessit quantumvis summâ brumâ.

Supra pedes ponebat libros.

Jocus parùm salsus.

partem, ut non solùm non providerit de remedio, verùm & summo propter illud durum responsum affectus fuerit gaudio.

Operam dabat malignè vestitus confessionibus audiendis, cùm ità horrido contremuit gelu, ut & ipsum secum subsellium commoverit in tremorem, id quod ipsi

Dentes dissiliere in frustula præ frigore.

sæpius evênit Perusij admirantibus omnibus, qui juxta adstabant confessuri, & tunc multi dentium ipsi in frusta dissilierunt congelati à frigoris vehementiâ. Simile quid ipsi contigit in Collegio Senensi, in quo aliquamdiu dormiit stramentum supra nudum, superinjecto sibi sagulo militari, quod quidam miles Hispanus novitius in societatem attulerat. Eo usus est per totam quadragesimam, ubi pro concione dixit ad sanctum Quiricum, quando dies noctésque passus est horrenda frigora. Et hoc ipsi ita solenne per omnes Missiones & itinera erat, ut planè ipsi caput

Caput obtorpuit.

obtorpuerit, manus altera, & coxæ supra coxendices. Et hoc per totam vitam ad modum, ut post per hiemem interrogaret alios, utrum esset frigus? pedes quidem ei non obriguere, quando autem eò descendit gelu, tum equidem habuit occasionem demonstrandi egregium mentis suæ robur, quod ei superfuit, patiendi. Nec ad id minorem nactus est ansam ex calore & æstu. Cùm aliquando jam sexaginta duos natus annos iter faciens ardente Sirio per montes deflecteret ad villas, adeò illi humores ante hac in capite congelati resolverunt sese, ut per tres continuos annos humectationes illæ in pectus destillaverint pluviâ non minus periculosa, quàm, nisi succurras, exitiali. Somnum cepit non solùm supra stragulum simplex, ut diximus, verùm & sæpiùs supra nudum asserem nullo capiti supposito

Capiti nihil substravit.

adminiculo. In itinere Constantinopolitano jam vidimus eum quadraginta & ampliùs diebus dormivisse supra nudum solum, aliàs supra stramen in stabulis, inter jumenta,

aliàs

aliàs supra scopulos maris, aliquando in nivibus, sub Dio cœli injuriis per campos expositum. Ipsius plumæ & pulvinaria non erant alia, quàm lignorum ac marmorum prædura fragmina, calvæ mortuales, quibus ille tunc libentiùs utebatur, cùm id absque teste, nisi solo Deo, fieri poterat. Ac propterea cupidè faciebat iter solus, ut posset se tractare arbitratu suo, haud paulò rigidiùs. Et hoc etiam reddebat illi tolerabile onus superioris, gaudere libertate afflictandi sui. Ità cùm esset Rector Collegij Florentini, elegit sibi cubiculum adeò maligno aëri & ventis expositum, quod toto impetu incessebat, & perflabat, ut primo anno illi collum reddideret immobile, secundo obstupefecerit auriculam, principium ejus surditatis, quæ ipsi deinde per totam vitam, magnam segetem suppeditavit patientiæ. Setosas omne genus vestes usurpavit, non solùm cingula, & funes, nodis asperos, verùm & thoraces integros cum manicis induſiorum ritu, dentatos, aculeatósque, carnes ejus mirum quantum, commorsuros. In uno horum thoracum obiit ille aliquando septem Romæ ecclesias, & illo ipso die jejunavit severum in modum. Alias triduo antecinerali placando numini, quòd tunc provocari peccatis licentiùs solet, induit ipse hujusmodi asperam vestem absq; eo, ut illam interdiu vel noctu deponeret, verùm in capite dierum quindecim vidit se quasi decorticatum, & artus vulneribus plenos, ut fuerit compulsus eam deponere. Vltra hæc cilicia circumdedit collo catenæ partem putealis, crassam, cujus rubigo sudoribus uncta adedebat ejus collum & humeros. Cùm esset quinquagenario major, quoniam lotor querebatur, ipsius induſia esse rubigine arrosa, & plagis infecta, catenam tandem deposuit, quam alioquin semper detulisset, & ejus loco circumcinxit collum coronis grandioribus, quas nos rosaria vulgò dicimus, nescio, qua ex materia, sed quæ ipsi dolorem duplicabant,

Libenter iter agebat solus, ut pro libitu posset se rigidè tractare.

Quale cubiculum sibi Rector elegerit.

Cilicij asperitas.

Catenam sibi circumdedit putealem.

Quibus Patribus nostris se afflixerit.

bant, & magis afflictabant, quàm ipsa catena. Et hasce coronas gestavit annis plurimis, eò, donec una earum, cùm nimis strictè eum premeret, fregerit ipsi os sub collo, quod à pectore tendit in humerum ingenti cum dolore, licet id ipse nemini indicaverit.

Ipsius flagella erant ex chordis testudinis ex ferro vel aurichalco, & nihilominus multa eorum consumpsit. Vnum penes me teneo fusile ex aurichalco, grande, ponderis libræ dimidiæ, quod utique ipsum multò antè potuisset atterere, quàm ipsum vel parte minimâ consumi. Ita etiam Maceratæ asservatur ejus Cilicium per modum thoracis ex crine equino valdè asperum, quod per suam miraculosam detectionem & sanitates magno numero restitutas innovavit Maceratæ glorioſam servi Dei memoriam, mihíque dedit occasionem primùm scribendi relationem brevem,& postea etiam vitam ipsam. Primis quinque religionis annis ter se cædebat per hebdomadam, inde factus superior Collegij cœpit in se sævire quotidie, & hunc morem tenuit usque ad mortem nunquam interruptum nec per itinera, occupationes, morbos etiam lethiferos. Nec sinebat se ab eo distineri ex respectu, quòd socij eum ex vicinia audirent. Tempus diverberandi se durabat, quantò ipse sermonem faceret, de Passionis Dominicæ quinque perdolentibus mystetiis, extrahendo ex singulis documento uno, & petendo à Deo gratiam illud exequendi. His subjunxit Psalmum de profundis. Subinde, cùm deesset flagellum, evellebat pilos barbæ, manuum,nasi,pedum,per idem, quod dixi, temporis intervallum. Ac quoniam ex assiduo percussu & pulsu ejus caro redacta erat quasi in insensibilem, flagellabat se supra faciem, & supra pedum tibias, ubi planè doloris affatim propter ossium viciniam experiebatur. Alium herclè vivum ex emortua sua carne excitandi doloris invênit modum.

Cilicium Thorax.

Quoties se flagellaverit.

Quamdiu.

Cùm deesset flagellum, quorum se flagellaverit?

Ex

Ex candela accensâ derorabat guttas ex cera liquefacta supra manus, pedes, humeros, pectus ad eum modum, ut toto corpore videretur contraxisse lepram, ità durè se tractabat. Ac, cùm candelæ eum deficerent, collocabat lucernam humi, & supra flammam pedum plantas, ustulandus. Et hoc factitabat quotidie, nec propterea ommittebat diverberationem. Contrectabat manu carbones accensos. iis extinguebat candelas, ac funalia & voluit Deus, ut ipsum non urerent, neque nocumentum afferrent, cùm animus esset magis, ubi amabat, quàm ubi animabat. Aliquando Neapoli insolito amoris abreptus æstu jussit accendi funale, supposuit brachium nudum, illúdque tamdiu sub guttante tenuit face, dum Deum expugnaret ad donandam cuidam nobili infanti sanitatem, ad quem invisendum multis erat precibus evocatus. Quod equidem factum testatur Pater Cæsar Vivo Professæ domui præpositus Neapoli inter alia admiranda, paratus jurejurando id affirmare in quadam depositione scripta, & subscripta propria manu signata solito societatis sigillo 10. Decemb. anno 1660. quam ego habui ex Archivio nostræ societatis Romæ sequentem in modum. *Fuit Pater Julius Mancinellus quadam die vocatus ad Dominum Franciscum Valcarellum meum nepotem, qui agebat animam, & jam erant allati apparatus lugubres ad conclavia integenda. Pater longo tempore oravit juxta lectum moribundi; secundum hæc petiit cubiculum separatum, & funale, quod ab ephebo jussit succendi. Quo facto denudat brachium, illud supponit guttanti tædæ, dum totum morosè liquidâ cerâ infunderetur. Observatum; ad modum, & moram liquefacti funalis morbum recessisse, ab illo momento infirmus cæpit convalescere, & non multò post omninò convaluit, superstes & incolumis diutius, quàm alij, triginta annis, Domina mater Francisci semper Patri Julio hanc gratiam in acceptis tulit, & ita hodiéque tota parentela credit.*

Ex candela accensa.

Funali accenso supposuit brachium nudum.

P Cæsaris Vivo præp. Dom. Prof. jurata depositio.

Ejus ratio jejunandi.

Non multum ab hoc rigore abibat ejus ratio jejunandi. In adventu jejunabat in hebdomada saltem ter, sæpè autem in pane & aquâ, quod illi perusitatum erat, quoties vel ipse, vel alij incidissent in calamitatem,& profuit ipsi summopere, abstinere in mensa a ferculis, quæ ipsi magis arridebant, fuit illi perpetuum; imò sæpius nihil omninò comedebat. Sæpius abreptus in Deum oblivisce-

Oblivisce-batur cibi.

batur cibi ante se positi, qui vicinus sedebat, opus erat, ut ipsum moneret. Non erat periculum,ne Pater Julius extraordinariis domi vel foris interesset convictibus, nec sinebat se ullis argumentis ad hoc induci. Habebat eodem gra-

Eodem gradu & gulæ & sensûs delectatio.

du delectationem gulæ & sensûs; ac dicebat, qui primo assentiatur, mirum esse, si non assentiatur secundo, maximè inter religiosos,qui sunt in statu pœnitentiæ. Nihilominus cùm videret cibos electos,gratias agebat Deo,quòd eos dedisset vitæ, cui non convenirent, quippe qui speraret sibi reservata meliora in alteram vitam, prout reipsa habebat ejusce rei pignus à jejuniis suis saporem ipsi in sacrosancta Eucharistia abundè compensantibus. Propter hoc mul-

Finxit se comedere carnes.

tis annis in ætate adhuc viridi abstinebat à manducandis carnibus fingens se illis vesci, ut res non deferretur ad superiorem, prout tandem delata est à sociis, dum visus est tantum in rodendis ossibus occupatus, & multum fatigari in avellendis ab osse carnibus, & pelle. Et hæc abstinentia adeò illius debilitavit stomachum, ut postea ex necessitate cogeretur ommittere, quas prius ommiserat electione, quandoquidem non amplius erat digerendæ, etsi in minutissimas partes concisæ. Indulsit autem illi Deus pro auctario suorum jejuniorum aliud condimentum; illud fuit defluxio in palatum & gingivas, quæ duodecim per annos duravit cum eâ manducandi difficultate, ut ipsi comedere esset pœna & dolor: nihilominus acsi hoc nulli molestiæ foret,majori sui vincendi studio ad illos se cibos

assue-

assuefecit, à quibus à puero abhorrebat, & nauseabat instar veneni,& quorum odorem ubi primum percepisset, solitus est pati deliquium. Talis fuit pro illo caseus. In morbis nunquam vescebatur carne vetitis diebus, nec in summo quidem senio, quando, potissimum in quadragesima prædebilitate virium sæpius & domi & foris solitus est cadere. Atque ex his, quæ hactenus dixi, facilè colliget lector, quo pacto in dies crescerent dolores ex tot ultroneis pœnis in corpore, senectâ, viribus, laboribus, quotidiana sanguinis effusione per flagella exhausto,& extenuato. Et nihilominus asserit ipse, nulla in re à se majus robur reperiri, quàm in usu piarum perpessionum, quia, qui amat germano corde Jesum, delectatur unicè, cùm pati quid potest ejus amore; & hoc magis, quò amplius id est, quod patitur maximè cum castigare corpus suum nil aliud sit, quàm solvere & rumpere nodos, qui animum tenent devinctum, ut non possit tam citò eluctari ad intuendum Deum. Hac contemplatione occupatus Pater Julius cupidè dilaniabat artus suos, & à solo peccati timore retardabatur, ne progrederetur plùs ultra. Dicebat etiam sine corpore nos esse posse beatos, & nullo modo dandas aures tot carnis nostræ excusationibus, quas ad effugiendas molestias solet afferre in medium; non subesse aliud, nisi amorem proprium sub umbra nescio cujus frivolæ discretionis, constare sibi experientiâ propriâ,& plurimorum fortissimorum hominum in patiendo, nequitias & astutias corporis nostri,quod tantum non patitur,quantum non vult pati.

A caseo abhorrebat.

Solo timore peccati tenebatur, ne progrederetur ultra.

Impono finem huic argumento narratione cujusdam facti, quod quidem aliis videri queat vilius, mihi autem planè censetur dignum,quod memoretur. Ex eo namque tanto magis apparet summus erga religiosam observantiam affectus,quanto magis prodit se sui vincendi studium. Confecerat ille iter toto die pedibus, ob id indusium per-

madefe-

madefecerat, cùm ire cubitum pararet, noluit id sibi detrahere, ne in regulam peccaret prohibentem dormire absque indusio. Et iste erat perpetuus ejus in itineribus stylus, tametsi sudoribus & pluviis fuisset probè perplutus. Verùm in præsentiarum tanto illi impedimento fuit in capessendo somno post tam longam defatigationem, ut volenti colligere vires, & prosequi iter in bonum animarum, crediderit necessarium illo se exuere, & prudenter cogitare potuerit, eo in casu regulam non obligare; verùm sicut studioso observatori, qualis ipse erat, hoc suavior & dulcior evadit observantia, quanto est rigidior, expertus est bonus Pater Julius, hoc majorem inquietudinem ac difficultatem in quærendo somno post indusij depositionem, quàm si illud calefactu corporis exsiccandum retinuisset. Vnde cum nulla ratione captare somnum potuisset, ac crederet commisisse errorem planè decumanum, resumpsit illud ipsum indusium, quòd cum præterquam quòd humidum etiam morâ infrigidâsset, cuilibet prudenti rerum æstimatori expendendum relinquo, quàm suavem illi conciliaverit soporem. Ita servi Dei per commendabilem sui vincendi excessum aliorum debilitati pudendam opprobrant oscitantiam.

Amore regulæ madido in indusio accubat & dormit.

CAPUT VI.

Magnanimitas, Conformitas cum divina Voluntate.

HActenus vidimus generositatem animi Patris Julij in suscipiendis spontaneis pœnis, in quibus quantumvis asperis & difficilibus, semper tamen reperitur illud solatij, quod affert secum, genio posse obsequi, & sibi litari. Nunc inspiciamus ejus non solum æquaminitatem, & toleran-

tolerantiam, verùm & jucundam alacritatem in sufferendis illis casibus, qui contra ejus voluntatem, & sine ejus electione evenerunt, & consequenter difficiliores toleratu sunt, & certius nobis argumentum præbent solidæ & probè fundatæ virtutis. De ruptura ossis, quod axillam cum pectore connectit, de quo in hujus libri capite tertio loquebamur, à Diabolo ipsi procurata in itinere Sanseverino, ità generosum se & magnanimum exhibuit Pater Julius, ut ne quidem ex equo ejus causâ descenderit, nec ei medicinam applicaverit, sacrificium minimè omiserit, etsi mense integro uti brachio uno duntaxat cogeretur, nec siverit se induci unquam ullis precibus, ut se lectulo committeret; quasi nihil mali ipsi contigisset, confecit itinera omnia, quæ missio requirebat. Dixit pro concione more suo, dolore ipsum identidem excruciante per ipsos quinquaginta & amplius dies; sub noctem potissimùm, cùm se exueret; & manè, cùm se indueret, recrudescente magis, quam unquam aliàs. Et quamvis superior ordinaverit, ut fratrum unus eum manè & noctu adjuvaret, Deo tamen permittente ille ordo non fuit mandatus executioni, Pater autem Julius gavisus est in sinum, & tacuit tanquam de optima patiendi occasione sibi oblatâ. De novo ipsi aliquando ruptura hæc reduplicata est, cùm ad evitandum grave vitæ periculum ipsi ex equo desiliendum fuit, & illud ipsum brachium violentè ad terram allisit. Nec tunc quidem illi tanti erat, ut curam adhibendam duceret; mox iterum conscenso equo prosecutus iter cum sociis, qui omninò volebant, ut curaret sibi aperiri venam, & aliquid sanguinis emitteret, qui in ejusmodi subitis casibus, & terroribus facilè mutationi in pejus esse obnoxius solet.

Illius acerbitatem doloris auxit non mediocriter domestica cujusdam prælati familiaritas, cui in illa missione cohabitandum fuit. Hic per quindecim ipsos dies, quoties

fuerit in iis, quæ contra voluntatem evenére.

In se vestiendo & exuendo summos experitur dolores.

Ruptura recruduit, cùm ex equo desiliendum fuit.

Prælatus parti offensæ innixus exauget dolores, uti & Chirurgus,

cum illo ambulabat, aut per scalas descendebat, semper illi brachio se applicans superincumbebat eo doloris sensu, qui spasmum efficeret, absque eo, ut Pater Julius vel verbulo, vel alio ullo signo se proderet. Denique cùm adverteret Chirurgum, os illud non rectè illocatum esse, voluit illud de novo emovere, ut ritè posset in sedem suam remitti. Et Pater Julius libenter assensus id doloris pertulit, qui ipsi tormenta Martyrum, quæ passi sunt amore Jesu, facilè potuerit in memoriam revocare. Cùm alias flumen trajiceret, mula ejus procubuit in sabulo, & incubuit tibiæ Patris Julij, & cùm niteretur surgere, pressit ipsius tibiam graviter altero genu nixa; tibia non est confracta, quòd subtus arenam haberet cessilem; verùm dolor fuit planè summus durans in plures septimanas, nihilominus mox ille se remisit in mulam, ne quidem inspectâ læsâ parte, nisi post quadraginta primùm annos casu advertit os tibiæ in illo loco esse debilius, & nonnihil fugiens cum pelle superinductâ. Sæpius cecidit in magna flumina, & in ipsum mare, ut vix evaserit, etsi peritissimus natandi. Nihilominùs periculo defunctus, quo durante summa cum pace & tranquillitate animi se præparabat ad mortem, statim absque reparatu virium prosecutus est iter, ac si nihil ipsi contigisset. Sæpius per itinera equi petebant ipsum calce, & semel maximè ad juncturam pedis cum tibia in osse tali: dolor erat acerrimus, quia tamen non omninò intolerabilis, non magnopere eum curavit, solum stuppâ læsum locum obligavit, ut calidum foveret, cùm autem dolor & periculum augeret, superiori aperuit, & hic jussit Chirurgum moneri, id quod infirmarius quamvis ter commonitus vel neglexit, vel oblitus est. Propter quod Pater Julius existimans Dei voluntatem esse se pati, libentissimè per tres menses, quibus duravit, eum dolorem absque ullo remedio pertulit.

Mula procubuit in flumine. P. Julij periculum.

Porrò

Porrò jam ſupra vidimus per duodecim omnino annos ipſi comeſtionem ciborum, quæ aliis voluptati & ſuſtentationi eſt, valdè pænoſam, & difficilem fuiſſe ex defluxione gingivas acerbante, & dentes inficiente, ut quod ipſe ſemper non ſolùm ſumma cum animi tranquillitate, verùm etiam cùm & propterea opus eſſet pane molli abſq; cortice, & quaſi tantùm medulla, & triclinij præfecto ea cura demandata fuiſſet, iſto immemori, vel non multùm curante, nihil unquam de eo conqueri eſt viſus vel auditus, omnia ejus invictâ patientiâ & ruminante, & concoquente. Ponebat in lucro quamvis occaſionem patiendi; ſic & muſcæ, & alia permoleſta animalcula maximè tempore liturgiæ & officij divini illi erant gaudio, nec ea depellebat, utpote, qui ſtudioſè caveret, ne quid ipſi commodi vel lucri decederet. Et eſt res planè admirabilis, & à pluribus obſervata tanquam ſingularis divinæ voluntatis diſpoſitio ad obſecundandum genio patiendi Patris Julij, ad experiundum ejus invictam patientiam, quòd, tametſi apud nos ſumma caritas potiſſimùm erga infirmos & debiles exhiberi conſueſcat, Pater Julius nihilominùs haberet in hoc occaſiones quàm multas, & magnas approbandi mundo ſuam heroicam virtutem (prout etiam in vita Beati Aloyſij legere eſt) potiſſimùm autem in ultima ſua ægritudine, ſicut diximus: Et quod plus eſt etiam à ſuperioribus, quorum officium exauget caritatis obligationem, ſic, ut in iis potius evadat juſtitia, quod alioquin caritas eſſet, & inter nos erga ægros ſe ſoleant tanquam Patres, & Matres gerere. Atque hinc eſt, quòd in ejus morbis verſus illum nunquam repertus ſit, qui vel medicum, vel chirurgum advocaret; vel enim ſubordinati officiales poſt tot monitiones boni Patris Julij obliviſcebantur, vel ejus morbis non credebant. Ex quo etiam ſæpè fiebat, ut, qua parte equulus ejus coxendicem calce læſerat, quoties illum conſcendere, vel deſcendere

Comeſtio aliis voluptati P. Julio quare difficilis?

Animalcula aliis permoleſta, P. Julio erant gaudio.

P. Julij aut obliviſcebantur, aut ejus morbis non credebant.

scendere oportuit, quod illi perfrequens erat, si illum socij tantisper adjuvarent, semper coactus fuerit incredibilem pati sensûs dolorem; cujus rei illi ignari cum omni celeritate prosequebantur iter, incurij, quomodocunque Pater Julius ipsos assequi contenderet, & cum cruciatu redire in gratiam festinaret.

Collocabant eum in cubiculis perincommodis.

Aliàs collocabant illum in conclavibus, quæ prius fuerant carceres. Et in collegio quodam nunquam poterat pro se obtinere cubiculum, nisi cùm ægrorum quispiam suum reliquisset, & tunc acquiescendum fuit in lecto, quem æger deseruerat. Et licet R. P. Provincialis tertium injunxisset illi rectori, ut ipsi assignaret cubiculum, iste ordo tamen, vel jussio non fuit executioni mandatus. Deniq; ipsi cubiculum cessit, in quo asservabatur granum, propter frigus ad habitandum inhabile, quod ipsi nervum digiti unius per tres annos obstupefecit, & contractiorem reddidit. Ex propè inexplicabili hac Patris Julij patientia, qui in hoc casu nec doluit admodum, nec signum dedit amaritudinis, aut indignationis, unusquisque facilè de se specimen capiat repugnantiæ & difficultatis, quam in se sentiret in hujusmodi pugnis & conflictibus. Is loco tristitiæ capiebat gaudium & delectationem de manu Dei, gaudentis videre servos suos alacres ac festivos rebus in adversis, quas amore suo exantlant. Ad hunc modum scimus Sanctum Franciscum Borgiam percepisse gaudium singulare nocte, quadam è rigoribus nivium, quoniam sibi imaginabatur Christum Dominum hos facetiarum globulos de cœlo in sinum jaculari, prout solet inter amicos alterno fieri joco.

Imperitia chirurgorum, & infirmariorum.

Ita Pater Julius sæpius sibi permisit aduri humeros ab imperitis infirmariis, qui ipsi imponebant cucurbitulas, adeò ut denique marcescerent ejus carnes; nec minima tamen vox ipsi excidit lamentantis in modum, nedum ut reme-

remedium cuperet adhiberi. Eodem heroë animo supportavit fratris unius factum non parùm insicetum. Hic de mandato medici debebat ipsi lavare caput, frigore glaciatum, usus est is lixivio plus nimio forti, insuper & bulliente, ut & tunc ipsi creparet cuticula; & rimas ageret marcescente subtus pure. Sed nec hic quicquam vel dixit, vel fecit, quo impatientis animi proderetur indicium. Ejus amore Christi patiendi studium ac propensionem declarat quoque res, quam jam jam dicturus sum, Animabat is furem ad fortiter subeundam mortem ejus facinoribus debitam. Carnifex, qui luscus erat uno oculo, & parùm artis peritus, cùm hora producendi rei venisset, in obscuro carcere, id totus agebat, ut capistrum collo Patris Julij, versus quem & oculo, qui reliquus, & manu intentus erat, injiceret. Servus Dei lætissimus, si Deus illum dignum tali sorte justissimo suo judicio faceret, non propter delicta, sed amore ipsius, se accommodabat in actum recepturi saltem illam brevem tolerantiam, quâ laqueum haberet collo insertum; verùm fuit illicium hoc ab amantissimo patre cœlesti, qui suo carissimo filio dulciaria monstrat, & postea revocat manum, ut hoc avidius desiderentur. Carnifex namque à circumstantibus admonitus errorem emendavit. Alia hujus magnanimi roboris in sustinendo ardua vidimus in libri primi capite undecimo specimina, ubi in conspectu præsentem sæpe mortem ex propinquo spectavit, quantumvis truculentis in formis, ac monstris formidolosis, nunquam tamen ille contremuit, aut animo cadebat, sed semper imperterritus, ac firmus in voluntate Dei animabat alios, qui in illis extremis sese deseruerant; Itaq; ne sim plus æquo longior, nihil hic repetam.

Dolor ex bulliente lixivio.

Parùm aberat, quin P. Julius, innocenter funè duceretur.

Hoc solùm pro coronide hujus capitis dixero. Quanto minus ille offensas, & contemptus ab aliis illatos ægrè ferebat, hoc magis Deum ad sui defensionem provocabat,

Deus vindicat eos, qui ipsi relinquunt vindictam.

qui vindicat denique eos, qui illi relinquunt vindictam. Profectus ad nonnullam missionem reliquit depositum quoddam apud fidum, ut credebat, amicum. Fuit ab hoc impensum, ut non esset amplius recuperabile. Quâ de re ipse non mediocriter lamentabatur propter damnum pauperum, quorum bono destinabatur. Ecce autem Deus confestim illi homini permisit emori vaccas illâ pecuniâ coëmptas. Nec multò pòst unus filiorum interemit fratrem, per quod omnes ei fortunæ periere. Ejus pœnitentium quispiam per multos annos acceperat ab illo viginti quatuor nummos aureos, ut illos permutaret in monetam novam, quæ erat dos pauperis cujusdam puellæ; cum illis perfidus fugit Caëtam. Hanc fugam Pater Julius prævidit in spiritu, & amanter illum commonuit, verùm nihil profecit, Vix Caëtam tenuit, cùm incidit in morbum; Ingressus Xenodochium dedit dictam summam amicorum uni asservandam; hic eam illi justo Dei judicio, cùm maximè opus haberet, negavit. Nec hoc satis divinæ Themidi; illic miserè oppetendum fuit.

Pœna avertentis depositum.

Terni publicè de eo murmuraverant, dictitantes ejus revelationes esse fatuas, & ipsum incidisse in amentiam; confestim fuere à Deo diversis morbis correpti. Primus, infamiæ auctor, febri per quindecim dies, & doloribus stomachi duraturis vexatus; Alter defluxione capitis periculosa per complures dies conflictatus; Tertius plus cæteris reus acerbissimis ex pituita cruciatibus decendiali exercitus supplicio fuit. Hic denique resipuit, agnito errore adiit eum excusans se verbis, quantum potuit, submissis. Inde obtentâ sanitate palam sibi ignosci flagitavit humili esculo ejus pedibus impresso. Gravius manus Dei eos tetigit, qui ejus servum afflixerant. Mihi satis est hæc pauca retulisse exempla terrendis improbis, animandis bonis. Illi ut timeant, isti ut confidant.

Murmuratores de Patre Julio puniti.

CAPVT

CAPUT VII.

Ejus animi demissio.

POenitentiæ & ærumnæ, quas perpetimur ex amore Dei, possunt dici Humilitas corporis,& Humilitas dici potest pœnitentia animi. Ità uniuntur & connectuntur inter se, ut non facilè inventuri simus, qui patiatur corpore per spontaneam oblationem suiipsius Deo factam, qui non valde humilis sit,nec facile humilis erit quispiam, qui non libenter pro eodem Domino sufferat quamlibet magnam perpessionem. Nos igitur,dum in antegressis duobus capitibus, & in progressu totius vitæ magnas vidimus Patris Julij afflictationes, & pœnitentias, descripsimus eum tanquam grandem Humilem; referemus nihilominus hic nonnulla in hoc capite, quæ propriè pertinent ad Humilitatem. Non solùm ille plerumque scutellas lavabat,& lances in culinâ, & colligebat reliquias ciborum in pauperes distribuendas, sed & per collegia passim ipsius occupatio fuit munda conservare loca communia, afferre aquam, & quaslibet illic res utibiles & necessarias. Multò magis, ut diximus, supplebat per se, etiam senex & superior omnia infima quæque ministeria, & servitia sui cubiculi, & suæ personæ; imo in gravi quindecim dierum morbo semper elam aliis surgebat,& mundabat vasa. Hoc ipsum per vile licet oculis humanis obsequium impendebat etiam aliis infirmis, verrebat eorum cubicula,& alia publica, quamvis jam grandævus, & auctoritate conspicuus. Itabat in vineam cum fratribus, ut eos juvaret in detrahendis animalium pellibus, quibuscum fratribus non solùm se libenter associabat inter colloquendum, docendo,& instruendo illos in rebus ad spiritum spectantibus magna cum simplicitate, sed & in illorum conclavibus, inter multos illorum capiebat

P. Julij Humilitas.

Æger antelucana operâ prævertit infirmarium.

Detrahebat animalium pelles.

capiebat somnum, quantumvis & professus, & jam undequaque venerabilis. Mendicabat sæpe per civitatem, potissimum ubi notus erat, & tum vel maximè voluptate afficiebatur, cùm ab uno suo magnæ auctoritatis cognato contemptus fuit, & irrisus. Sæpiùs per Romam ipsam incessit habitu planè lacero absque pallio, immixtus junioribus Novitiis.

Contemptus à suo cognato gaudet.

Nec ab hoc sui ipsius contemptu, & vilipensione poterant eum absterrere frater suus Germanus Prælatus, & Romanus Syndicus cognatus suus, & duo alij, patruus & cognatus conspicui Romæ cùm dignitatibus, tum divitiis supra centum millia scutorum ascendentibus, tum parentelis etiam purpurâ fulgentibus: qui contestabantur hanc Patris Julij abjectionem cedere in dedecus & contemptum sanguinis ac generis sui. Quod advertens Pater Julius, ut haberet, cui tantopere inhiabat, tanto crebriùs, & studiosius se occupabat in hujusmodi functionibus. Concionabatur per compita, tradebat doctrinam Christianam parvulis, instruebat colonos, inserviebat ægris in nosocomiis, & infirmis aliis, à quibus cæteri abhorrebant. Conversabatur & agebat cum pauperibus, intrabat loca publici lusûs, lacerabat chartas lusorias, comburebat aleatorum asserculos, exhortabatur infames, & agebat cum illis, quasi semper vivebat inter mendicos, viles & abjectos homunciones. Excipiebat illorum confessiones libentius, quàm nobilium. Et vidimus supra, illum gloriatum fuisse, esse se confessarium, lictorum, & carnificis.

Quo viliores, hoc libentius cum illis agebat.

E contrario omni studio fugiebat ipse amicitias grandium, & splendidorum, reputando se imperitum tractandi cum hujusmodi satrapis. Et ob hanc causam non potuit induci, ut Cardinalium nonnemini traderet Exercitationes Sancti Patris nostri Ignatij, aut eum morbo detentum inviseret, prout rogatus fuerat, excusans suam surditatem.

Excusabat convivia magnatum

De

De illustri illa & nobili repulsâ, quam toties Cardinalibus ipsum invitantibus dedit, quibus pontificatum prædixerat, dicemus alio loco, & est insigne ejus Humilitatis specimen. Eâdem constantiâ detrectavit ille adire procerum mensas, efflictim illum rogantium, sive dein Cardinales, principes, sive ipsi quoque forent proreges. A quibus item nunquam voluit acceptare dona, quæ iis remisit domum, & postea ad ipsos rediit petiturus eleëmosynam in pauperes, id quod semper facere solitus est cum iis, qui ipsum ad missiones evocaverant, in quorum ædibus nunquam habitare voluit, nec uti eorum mensâ, nec quicquam muneris loco acceptare. Et semel cùm ei Episcopus Camenecensis legatus Poloniæ antiquus ejus amicus omnem lapidem movisset, ut vellet esse secum in mensâ, nullo id argumento impetrare potuit; allegabat enim unam ex alia causam, nunc mores suos parùm urbanos, quibus offenderentur hujusmodi Domini, nunc personæ suæ aularum cæremoniis inassuetæ vilitatem, eodem modo se perdifficilem præbuit in baptizandis nobilium liberis, quos magno numero iis per suas orationes impetraverat, & propterea id caritatis officium eum postulaverant. Et ut sacro perfunderet fonte infantulam dictam Barbaram, natam Domino Marco Antonio Auriæ 4. Decemb. anno 1604. obtentam & prædictam ab illo secundum omnia adjuncta partûs periculosissimi, & sanitatis cum miraculo, ei, & matri exoratæ ab illo, opus fuit expresso superiorum mandato. Adeò verebatur, ne sua modestia & Humilitas à luce obfuscaretur, & splendore sæculi.

Nulla dona acceptabat pro se.

Quas causas allegaret apud Episcopum Camenecensem.

Opus fuit expresso mandato, ut infantem magnatis baptizaret.

Porrò eos honores, qui hoc ambitiosius illum certatim sequebantur, quanto studiosiùs illos fugitabat, statuebat ille apud animum suum non exhiberi sibi, sed vesti suæ religiosæ, sed ætati, sed annis, & quod Deus ita vellet pro sua misericordia excitare suam pusillanimitatem, ut qui

seriò se reputaret pro maximo mundi peccatore, id quod sibi multis persuasum argumentis ibat. Et nisi sanctus Nicolaus Tolentinas eum aliquando erexisset, ipse propter actionem quandam, quæ nec materia erat peccati venialis, cecidisset in eam nihili sui abyssum, ut non putaret amplius se à Deo respiciendum, & ipse crederet miraculum, si homines eum non fugerent, & contemptui haberent, qui tamen homo erat tantæ virtutis, & mirè illuminatus, nihilominus tenebat se pro idiotâ in vita spirituali, tanquam puerum insipientem & ebrium. Omnes ejus orationes reperio eò directas, ut ipsum liberaret Deus à tanta cæcitate, & eriperet ab obscura tenebrarum mentis caligine. Rectoratum pluries deprecatus est, & semel provincialatum; & si aliquando acceptavit claves, superioribus excogitandum quiddam fuit, quo ejus modestiam caperent, nempe illum quemcunque honorem fore brevem, & substituendum mox successorem. Et hæc omnia faciebat non dicis aut cæremoniarum causa, sed reverâ, qui reputabat se ineptum, nec inesse sibi talenta, quibus esset opus. Imò in sui vilipensione eò processerat, ut, cùm nostri eum honorabant, putaret eos ideò id facere, ut observarent constitutionem quandam, quam habent de honorando Deo in altero quovis, tanquam in ejus similitudine, & ectypo. Quando autem sæculares eum honore afficiebant, planè sibi persuadebat, quòd se aut non cognoscerent, aut par pari referrent, aut se ludificarent, id quod est vera absolutissimæ Humilitatis species, non solùm fugere honorem, quem quis putat deberi sibi, & imputare eum contemptui, verùm & insuper credere, illum minimè se mereri.

Mirabatur, & non omnes eum homines fugerent.

Rectoratum, provincialatum est deprecatus.

Putabat se non cognosci ab iis, qui sibi honorem deferrent.

Ita Calendis Martiis anno 1609. cùm insolito cum fervore, & abundantia lacrimarum sacrificium offerret, ajebat ille, cognovisse se per bene indignitatem suam, & dotium tam naturalium, quàm Cœlestium penuriam & inopiam,

inopiam, & Deum sibi concessurum fuisse multò plura, quoniam autem ita ineptus, incapax & superbus esset, ne inde sibi nocumentum afferret, aut alios contemptui haberet, aut vanæ gloriæ se inficeret leprâ, Deum restrinxisse manum. Cùm istis cogitationibus intrabat in unum, quod ipse vocabat, Chaos, vel abyssum intellectualem divinæ Majestatis & sui nihili, in quo, si multum esset, videbatur sibi esse musca, elevata ad id dignitatis, ut liceret ipsi ingredi aulas principum, in ampla religiosorum cœnobia, in publica fora & templa, illic circumvolitare facies hominum, ipsis ingerere, ut laudarent, benedicerent omnium creatorem, observarent ejus legem, ejus judicia tremerent. Jam verò si talis musca auderet adversari Deo, qui ipsam in gradu collocasset tam eminenti, esset planè intolerabilis, nec invenirenter verba, quibus ejus incredibilis explicaretur audacia, & protervia. Sic ille tanti & ampliùs faciebat suos nævos, & malè gratum suum erga Deum animum; sic parvi & minoris æstimabat seipsum. Atque hinc est, quod tanta cum reverentia & attentione se gesserit in conspectu divinæ Majestatis, tanto cum contemptu, & vilipensione erga se, résque suas internas & externas. Hinc etiam originem traxit illa summa dependentia, & nexus, quem habebat in rebus etiam minimis à suis superioribus. Cùm enim ille vilissimum de se haberet conceptum, & opinionem, ac propterea metueret, ne quà exerraret, in omnibus ad directionem superiorum recurrit, penes quos versari Dei providentiam certò agnoscebat.

Reputabat se muscam, quæ aulam ingrederetur.

A superioribus in omnibus dependebat.

Quapropter cùm verteret in Missionibus, dabat solertissimam omnium, quæ fiebant, rationem; & à superioribus vicissim expectabat agendorum ordinem, & resolutionem, quæ inciderent, dubiorum; & hoc petebat verbis quàm humillimis. Quarum quidem literarum in similibus occasionibus ad Provinciales & Rectores Collegiorum,

cum, unde missus erat; scriptarum, integrum habeo penes me, & legi fasciculum. Ita sentiebat de se vir tam prudens, tantæ sapientiæ, & virtutis; ita à Deo gratiis exornatus singularibus; quoniam aspiciebat sese ad clarum lumen, & immensum divinitatis splendorem, coram quâ quævis alia lux nocteseit, & perbene apparet nostra, ut ita dicam, cæcutiens hallucinatio. Nec solùm ipse de se modicissimè sentiebat, sed gaudebat insuper etiam, si & alij idem de se sentirent. Hoc fine aliquando Romæ professus jam ætate & auctoritate pollens in præsentia Patris Generalis, & aliorum complurium gravium Patrum pallio se oneravit inverso, & duplicato sic, ut humeris velut penula inconcinnè penderet. Omnes eum videntes ridebant tanquam ad factum miræ simplicitatis. Ipse autem multò magis ridebat in sinu suo, & gaudebat, quòd haberetur pro homine titubantis judicij. Hoc item eodem fine in itineribus collocabat se in publico sub meridiem excutiens, & emundans se ab animalculis, quorum magnos greges ex nosocomiis, valetudinariis, ac stabulis, in quibus acquiescebat, referebat collectos. Cùm semel ex stabulo fuisset ejectus, tanquam suspectus furti, & illud ipsum curio ipsi quidam exprobraret, illum esse cleri retrimentum, & propudium, si esset homo frugi, mansurum fuisse domi suæ, neque iturum vagabundum per loca, sensit ea re plausum in animo incredibilem, tanquam nihil æquè se decens potuisset contingere, putabat enim se dignissimum, qui ab omnibus, & ex toto mundo ejiceretur. Et erat fama jam publica, & certissima notitia de fructu, & gustu, quem Pater Julius ex sui contemptu & abjectione propria capiebat, ut subinde aliqui ex professo multas ei, & densas ad id præberent occasiones. Et hujus mentis & opinionis erant etiam sæculares.

Pallio præposterè indutus apparet.

Quantum se caritas & Humilitas P. Julij abjecerit.

Habetur pro Cleri periplemate.

Ex professo narrabant ipsi detractiones.

Quapropter cùm aliquando nonnulli pessimè ipsum sermonibus pexuissent, alij de industria, non ut malè de

servo

servo Dei, sed ut bene de eo mererentur, cui gaudium erat ea audire, ex ordine ipsi narrabant totam detractionum seriem, & catalogum, & erant sanè gravissimæ injuriæ. Prout ipsi divinaverant, sic evênit. Ipse vultu sereniſſimo & placidiſſimo audiebat omnia, & in genua profusus gratias illis egit ex toto corde, dicebátque: *Nunc incipio esse discipulus Christi. Jam nunc habeor pro illo, qui sum*, & cursu se conferens ad altare sanctiſſimi Sacramenti, illic hymnum Ambrosianum pro gratiarum actione decantabat. Aliàs quoque publicè dilaceratus majorem inde voluptatem cepit, quàm cùm patraret miracula. Ac quoniam nonnulli noſtrorum fratrum Coadjutorum, maximè Janitores illum modica cum caritate habuerunt, dum non indicatis illorum nominibus, qui eum ad collegii fores petebant, causa fuerunt, ut illâ ætate senex iterare complures scalas frustra cogeretur, nihilominus ille eorum fratrum cognatis egenis libentius eleemosynam impertivit, & rogatus, quomodo posset immemor injuriarum, de illis tamen bene mereri, respondit: *Ego sum tanquam quatriduanus mortuus in peccato, qui nihil sentit, & sicut publicus infamis, cui animus non est replicandi, cùm illi vera opprobrantur.* Adeò omnis propriæ existimationis sensus in eo erat extinctus, ut nec quidem sentiret acutiſſimas sui contemptûs & contumeliarum vibices, & prosciſſiones, dum se non aliter haberet, quàm maleficum, jam jam ad crucem & rotam raptandum.

Graviter læsus recitat Te Deũ.

Responsum in opprobriis.

Et in hac suiipsius despectione eò devênit, quò non memini me legere quemquam alium deveniſſe; non enim solùm se reputabat maximum mundi peccatorem, & suam personam creaturarum omnium postremiſſimam pro eo, ac videri potest in multis meditationibus ab ipso compositis, sed insuper dicebat, si per bonam sortem potitus fuisset paradiso, etiam in eo futurum fuisse ultimum, & cujus nulla quoque habenda esset cura. Inde etiam veniebat, ut no-

In vilipensione eò devenit, quo forsan nemo alius

ſæti, qui ſæcularium negotia ejus commendari meritis & precibus flagitantium ei indicabant, juberentur ab eo ſic reſpondere ſæcularibus. *Nos Patrem Julium non facimus pluris, quàm quemvis alium de nobis, & propterea veſtra negotia commendabimus in commune omnibus.* Et de illis, quando ſe ipſi commendabant, dicere ſolebat: *Pauperes, cùm in ſingula capita parùm habent eleemoſynæ, illam petere à multis, ut ſufficiat in omnes; ità illos non debere flagitare à ſe ſolo orationes, qui non haberet multum, quod minimè eſſet ſuffecturum; verùm fierent ſupplices Patribus, quorum unusquisque plus ſe poſſet.* Ita ille demebat de ſua opinione, quam habebant vulgò de eo omnes, eum apud Deum primæ notæ & admiſſionis amicum. Sed hoc parùm faciebat ad rem, quam quærebat; imò bonum ejus nomen & exiſtimatio propterea mirum quantum apud omnes creſcebat, cùm ſit ſubmiſſionis proprium, ſicut fundamenta quanto ampliùs deſcendunt in terram, hoc altiùs deinde conſurgere, non poſſumus tamen negare, quin Deus ſubinde ad majus ſervi ſui meritum & in cotem virtutis, permiſerit quorundam impudentium hominum licentiam eò progredi, ut darent ei occaſiones perinſignes monſtrandi ſe factis ipſis pro vili illo homuncione, quem ſe profitebatur ipſe ſermonibus, tractando illum pejus, quàm alium è fæce hominum quemvis.

Quid dixerit, ubi ſæculares ejus ſe precibus commendavere?

Humilium proprium ſurgere ſicut fundamenta.

Per ſeptem annos integros in quodam Collegio non fuit ipſi aſſignatum cubiculum certum, verùm incolebat quodvis temerè vacans, redeuntibus inquilinis oportebat bonum Patrem Julium cedere locum, & tranſire ad aliud ſimile conclave, de quo non querebatur unquam, imò gaudebat ex animo, cùm iſte agendi modus ſecum, alioquin valde contrarius caritati ſocietatis, multum conſentiret cum opinione, quam habebat de ſe, *nimirum in ſocietate eſſe ſe pauperem peregrinum, cui gratis, & per miſericordiam hoſpitium indultum ſit, & tanquam ſervulum inutilem ex caritate*

Per 7. annos non habuit certum cubiculum.

ritate sui Domini toleratum, qui ad alia omnia nauci sit, & flocci, præterquam ad opprobria & contemptum, & propterea dicebat *Deum ità à se rogatum, permitteret hasce tales insolitas, & extra usum perpessiones.* Redeunti Neapolim meritis pleno post longissimas, & laboriosissimas missiones, annos nato septuaginta permissum illi fuit incolere cubiculum propè tectum, loco totius domus periculosissimo, ad quod ascensus fuit per gradus ligneos aptos natos in casum; cùm Patres ad Congregationem provincialem convenissent, & ille crederet esse aliud hoc suo incommodius cubiculum, in illud ipse migravit exesse tamen jussis pauculis prius reculis melioribus, quàm eæ essent, quas ex suo cubiculo eò asportaverat, signa omnia manifesta, quantum sibi omnes de ejus patientissima promittere animi submissione possent. Ipse autem serenus ac lætus dicebat, & credebat, non aliter secum agi debere. Ecce autem & aliud clariùs argumentum, cùm in ea, quam dixi, provinciali congregatione ipsi tanquam seniori competeret locus primus, noluit interesse etiam ultimus, causatus non decere, ut locum occuparet bene meritorum, cùm ipse planè eo indignus sit. Et hic opus erat superioris mandato, ut semel iterúmque interveniret.

Noluit interesse cong: quòd ipsi primus competeret locus.

Plus aliàs obtinuit, nescio an dicam, ejus humilis caritas, an caritatis plena humilitas, in ætate tam devexa, operante, ut ego opinor, per miraculum Deo, ut superiores alioqui oculatissimi, ad hoc clauderent oculos, in concedendo ipsi eo, quod vix famulo sæculari concederetur. Nostrorum fratrum Coadjutorum quidam recens è novitiatu eductus inciderat in hecticam febrim pessimam, qui, præterquam quòd ipse paulatim contabescceret, etiam alios, qui cum ipso agebant, inficiebat, censuere Medici de more permutandam auram, & illam quæ esset Portici, fore meliorem. Non habebat illic domicilium societas, & paucis

Fratri hectico inservit.

libebat

libebat illuc concedere ad serviendum etiam metu contagionis contrahendæ. Prodiit in medium Pater Julius, sibiq; hanc spartam depoposcit, &, quod nisi persona omni fide dignissima affirmaret, non haberetur fides, facilè obtinuit. Prospexit illi de domo apud amicorum unum, eâmque conduxit, assignavit ipsi optimum, quod illic erat, conclave, & pro se reservavit aliud, in quod & aura & aqua liberè grassabatur, & agebatur mensis Januarius anno 1605. Inserviit ipsi, vescebatur ex iis scutellis & lancibus, illo pane & cibis, qui ipsi supererant, & hoc, ut ægro adderet animos, ne sibi persuaderet se esse in eo rerum statu, quem omnes fugerent, & ipse occasionem non fineret elabi seipsum vincendi, & coram Deo abjiciendi, à quo confideret se præservandum; quod & factum, donec ille bonus frater optimè per Patris Julij cohortationes & exemplum ad mortem præparatus illam acceptavit à Domino pro suis peccatis, sicut ipse, ut dicebat, hujusmodi humilia opera pro suis. Nec ipsi unquam excidit memoria suorum peccatorum; Ità quidem, ut quando Deus per ipsum operabatur gratiam vel miraculum, aut arcanum quid revelabat, ipse statim ab eo mentem abstraheret, & in animum sibi reduceret peccata sua.

Adscribebat miracula & gratias aliorum precibus.

Et dicebat gratiam concessam orationibus aliorum, qui itidem eo pro negotio fudissent preces, id unicè operam dans, ut alios honoraret, se autem ipsum vilipenderet & abjiceret. In hunc ipsum finem, ut maneret in occulto, nunquam loquebatur, nec ultimis quidem annis de vitâ suâ, ita ut oblitus fuerit loquendi formularum, & quando ipsum oportuit loqui, sentiret magnam in loquendo difficultatem, excepto, cùm loquebatur de Deo, concionabatur, aut confessiones excipiebat; tunc enim Deus magnam illi verborum copiam suppeditabat. Ajebat, probis hominum loqui conciliare magnam sanctitatis opinionem, &

Nunquam loquebatur de vita sua.

quia

quia ipse præferret haberi in vili apud homines conceptu & opinione, propter hoc sese cum superiorum permissu applicasse huic rigido cum hominibus silentio, quod idem & familiariorem redderet cum Deo, & de Deo, eloquentiorem. Et quando deinde oportuit fabulari cum eis, ejus sermones procedebant longè majori cum pondere, & efficacia, tanquam hominis cujusdam exrra mundum positi, qui veniret ad agendum tanquam domesticus cum Deo, quo implebat animos audientium, insinuando ipsis mirum in modum spiritum suum, illuminando eos in ipsorum dubiis occurrentibus, suggerendo item peropportuna ipsorum morbis remedia, tametsi eos ipsi non aperirent. Ita verum est Deum benignè respicere ad preces Humilium, & se ipsorum facere linguam, loquendo pro ipsis, dum illi præ modestia amant latere, & in occulto vivere.

Mutus cum hominibus eloquens cum Deo.

CAPUT VIII.

Examen Conscientiæ. Oratio.

VNus ex præcipuis fructibus, quos Pater Julius collegit, ab Exercitiis Sancti Patris nostri Ignatij Spiritualibus, fuit spiritus frequenter examinandi conscientiam, in cujus usu valde illum confirmavit, & habilitavit exemplum & doctrina Sancti Francisci Borgiæ Generalis, quo cum multus & confidenter egit. Præterea valde illud sibi familiare reddidit ex usu & praxi multorum senum Patrum, quibuscum iter fecit, & vidit illos in cauponis & in diversoriis nunquam nec ex defatigatione, nec quod hora tarda esset, nec ex alia quavis causa aut impedimento illud inter misisse. Addebat videri sibi etiam plurimùm humanæ prudentiæ conforme expendere actiones factas, ut inde discamus per experientiam illos nævos, quos in reiteratione il-

Profuit illi cum S. Francisco Borgia egisse.

ne illarum oportet emendare. Et refert hoc dictamen à Galeno se didicisse, qui à Pithagora doctus omni vespere rigido cum examine percurrebat opera sua, tanquam si rationem reddere severo judicio debuisset. Hæccine & multa alia fusè reliquit scripta de Examine. Sed longè plura in usum deduxit. Illud pro eo, ac vidimus, nunquam in longissimis itineribus omisit, inter latrones & prædones, inter hæreticos, in tempestatibus marinis, in periculis mortis ac fluminum. Erat autem secum in condemnandis erroribus ità severus ac rigidus censor, ut sæpius fuerit auditus, dum examinabat conscientiam, jacere in se contumelias & dicteria, quæ ipsi ex intimo corde prorumpebant, ut non esset in potestate moderari linguam, ne audiretur. Majus ejus studium fuit in proponenda emendatione, ad quam urgebat se per auctoritatem sacræ Scripturæ, impellebat rationibus, convincebat exemplis tam sacris, quàm profanis ad detestandos nævos, séque rubore suffundendum per quàm appositis & aptis. Qua in re jam longum quasi usum & habitum contraxerat tam vigentem, ut etiam extra orandi tempora semper occuparetur in ejusmodi considerationibus, ac si semper staret coram severo tribunali, cui reddere rationes deberet, ac quidam ejus adversarius illum reum perageret. Multò autem studiosiùs revocabat ad trutinam perfectiorem, ac limam exquisitiorem, quam poterat donare operibus, ut accederet, quàm propè valeret, ad rectitudinem divinorum operum & vitæ Christi & Sanctorum; quem ad finem, ajebat, ordinari potissimùm examen Religiosorum, qui profitentur perfectionem.

A Galeno & Pithagora hoc didicit.

Nunquam omisit examen.

Totus in emendatione proponenda.

Examen religiosorum quò collineare debeat.

Ex hac continuâ & exacta cura postulandi à se, & actionibus suis rigidam rationem facilè unusquisque argumentari queat, quâ cum puritate conscientiæ vixerit, & quàm strictè se per unionem in oratione cum Deo conjunxerit; qui se à facie ad faciem (ut loquitur Scriptura) videri

videri finit à mundis corde. Non aggrediebatur ille orandi negotium, nisi prius feciſſet examen ad purificandum, ut ille dicebat, & reconciliandum cum Deo animum, ne temerè accederet. A diſtractionibus abhorrebat tanquam ab Idololatriâ, *quia*, inquiebat, *per eas contemnitur Deus, & dum fingimus nos illum adorare, defertur certo modo honos ille rebus, ad quas vaga mens divertit, præfigendo illas ſibi loco Dei, quaſi ad illas dicatur; Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum.* Et, *Adoramus te, Benedicimus te. Miſerere mei, & his ſimilia.* Propter hoc ille ſemper tenebat mentem in Deo, non dico ſolùm cum facilitate, verùm cum difficultate divertendi illam ad res alias, ad eum modum, ut propter continuam Domini præſentiam ipſe liqueſieret tanquam cera ad focum, & ipſius ſpiritus torreretur ſiti vehementiſſima videndi illum, ſicuti eſt, & quaſi illi in pectore arderet maximus ignis, quem, cùm intus incluſum tenere non poſſet, vel erumpebat foras per clamorem & fremitum ad morem Chriſti Domini, qui clamavit ad Patrem clamore valido, & nonnunquam per ſuſpiria ſuccenſi halitûs, & ignitorum ſpirituum, quales ex ore tormenti bellici erumpunt. Atque ita depingitur Pater Julius in quadam ſuarum revelationum imagine cum flammis ejus ex ore prorumpentibus, id quod ſequenti in libro dicturi ſumus. Vel repreſſus hic focus, & in Jeſum ſuum collectus violentè elevabat in altum etiam ipſum corpus ad mentem recreandam abſque eo, ut recederet à Deo, & ne exorbitaret ad commercia hominum, recitabat is orationes quasdam vocales, potiſſimùm de laudibus ſanctiſſimæ Virginis, cujus in honorem compoſuerat ille duo vel tria Exercitia diverſa perpulchra, ſic ajebat, cùm vas removetur ab igni, ceſſat fervor & ebullitio. Cùm itaque incederet per compita vel ambulacra, recitabat ea cum ſocio, vel per domum, &

Non orabat, niſi facto examine.

Diſtractiones quaſi Idololatriæ.

Inſtar tormenti bellici P. Julius jaculabatur orationes.

quando omnes congregati confidebant expectantes publicam quandam functionem.

Verùm neque hoc ipsi sufficiebat ad avocandam penitus mentem, & cogitationem ab eo, ubi totus erat cum corde & animo; quin imò non est mirandum orationes, quæ voce fiunt, sæpiùs illi conciliasse raptus & extases, cùm & illæ ipsæ occupationes aptæ natę ad distrahendam mentem, contrarium in ipso effecerint, & animum in objectum tam carum, tam amatum nempe in Deum rapuerint. Quadam die legens literas cujusdam nobilis, qui gratias agebat de nescio quâ ejus interventu impetratâ gratiâ, & supra modum illum amanter tractabat, repente ille cogitabundus avolavit in Deum, ejúsque amorem versus creaturas, & immersit se totum in illam, ut dicebat, fornacem, ubi ejus amor totus igneus factus est, & reddidit eum levem, ut rotaretur instar pilæ, quamvis cæteroqui debilissimus esset, & vix se posset movere. Ex hac ipsa fornace carbones colligebat lingua, quæ nesciebat de aliis rebus loqui, quàm de Deo, sicut paulò ante diximus, & hoc cum tali efficacia, quam admirabamur in ejus Missionibus. Semel mulier quædam, nescio, propter quod infortunium desperabunda sic obstinaverat emori absque Sacramentis, ad ipsius paucula sanè verba resipuit adeò, ut simulantem illum, quasi ejus confessionem nollet excipere, ut tantò ferventiùs eam illa expeteret, adjurarit ad se audiendam, utpote verè contritam, atque adeò eam audivit. Preces, quas vocamus, jaculatorias, quę celeres sagittarum ritu evolant ex præcordiis & labris, inque momento penetrant cœlum, maximopere cordi habuit. Solebat ille genua flectere in iis faciendis, maximè cum exiret è cubiculo, & cùm reverteretur. Hæ duæ fuere frequentiores; *Esto mecum Deus! & da mihi gratiam perficiendi hoc opus ad gloriam tuam*, id quod ad omnem actionem suam repetebat. Manè semper dicebat.

Legens literas Eucharisticas instar pilæ subsultat.

Da

Da mihi Domine te glorificare hodie & semper, & dignè ambulare in tuo sancto servitio. Reflectebat se valdè seriò, quomodo eo die conformiter statui suo posset glorificare Deum. Habebat ille alias precatiunculas dictas ab illo *suspiria*, quia sicut ego opinor, illi tam crebræ erant, sicut respiratio, erant sequentes; *Da mihi glorificare te in hoc triduo vitæ meæ. Benedictus Deus in sæcula, Deus meus & omnia. Deus, qui es in me*, quâ quidem formulâ renovabat in se divinam præsentiam, & percipiebat maximam in omni ærumnâ, & difficultate tranquillitatem. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus. Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.* Et in tentationibus; *Maledicta terra in opere suo*: quasi pro singulis actionibus habebat orationes proprias devotè compositas, quas longum esset hic referre. Dicam solùm Benedictionem, quam ipse solebat sibimet impertire, & qui eam requireret; *Potentia Dei Patris, sapientia Filij, & bonitas Spiritûs Sancti, gratia immensa beatæ Virginis Mariæ, Angelorum custodia, sanctorúmq; omnium virtutes & merita descendant super te, & maneant tecum semper per Christum Dominum nostrum.* Hujusmodi orationes componere erat ipsius occupatio, cùm nocte non posset dormire.

Benedictio, quam sibi vel aliis dare solebat.

Orationi, quæ fit mente, erat deditissimus, erga quam succensus erat mirum quantum in sancta spiritualium Exercitiorum Sancti Patris nostri Ignatij officina, quia siti torrebatur insatiabili, & videbantur illi studiorum tempora mille anni, dum ea finiret, ut posset se totum tradere orationi, ad quam se sentiebat divinâ inspiratione impelli, adeò quidem, ut, cùm nonnihil ægresceret, orando sanaretur; nec mirum cuiquam videri debet illud totum ab amore Dei accensum cor, cùm longius abesset à Deo, languidum effeciſſe totum corpus, & cùm propiùs accederet, suâ præsentiâ restituisse corpori sanitatem. Ista incredibilis orandi cupiditas non concessit Patri Julio tempus determinatum

Tempora studiorum mille anni.

Orando implevit Consilium Christi, semper oravit.

minatum unius vel duarum horarum, verùm dici potest illum compleviſſe conſilium Chriſti; *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Omne tempus ab aliis functionibus liberum transcripſit ille orationi, & ego lego, eum ex tam diuturna genuflexione ita debilitatum fuiſſe, ut poſtea ſe non poſſet erigere in pedes. Nec ſolum dies, ſed & integras noctes extrahebat in meditando, præcipuè verò in feſtis ſolennioribus, & illud modicum ſomni, quem admittebat, conſueverat orationibus, quas ille dicebat, brevibus interpolare, per quas ille gratias impetrabat ſingulares à Deo, quo cum ſemper, ſive vigilaret, ſive dormiret, erat occupatus. Et ejúſce rei magnam habebat cauſam; Nam feſtivâ ſemel Sancti Ignatij luce, cùm de more meditaretur, clariſſimam habuit illuſtrationem, quomodo in Deo perfectiſſimè continerentur cuncta, ſic ut mens planè acquieſceret, audivitque vocem, quæ dixit: *Quare aliud quæris, in quo acquieſcas, extra me? non vides, quomodo in me ſint omnia?* Vocabatur ocyus ad operandum ſacris, & ſua illum oratio ita plenum Deo occupaverat, ut, quamvis ſibi vim inferret magnam, non potuerit ordiri Introitum, nec longo ſat tempore verbum loqui. Ipſius Exercitia ſpiritualia non durabant tantum octo, ſed quindecim, viginti, & aliquando quadraginta diebus ante Pentecoſten, & illa obibat ſumma cum collectione, cum nullo vivente, excepto Deo, & ejus ſanctiſſima matre colloqui ſolitus, in cujus honorem ſemper novas componebat Meditationes & Orationes, & Miſſam de ejus Compaſſione.

Viſio, quî in DEO cuncta contineantur.

Non poterat inchoare, Introitum.

Grandævus jam, cùm non amplius occupari habendis concionibus poſſet, quaſi omnes diei horas expendebat in orationibus, quibus ſe totum impendit. Contulit autem ſe in locum ſolitarium propè Neapolim ad caput Montis ſubtus Quercum ſoli expoſitam, ubi ſe magnum aperiebat theatrum, & in ſacellum juxta Sartoriam officinam plenum

Locus orationis ſubtus Quercum.

num reliquiis Sanctorum, & videbatur sibi cum illis morari in paradiso: legebat ipsorum vitas, cum ipsis laudabat, & glorificabat Deum, & dixit, hanc esse occupationem beatorum, & illud se facere loco tot innumerabilium hominum, qui id negligunt, inter Christianos, hæreticos, Turcas, & innumeros barbaros descendendo per literas Alphabeti, exempli causâ; *Adoro, Benedico, Confiteor, dono cor*, & sic deinceps. Nec ipse solùm se occupabat in oratione, sed & ejus unicè studium fuit alios ad id pertrahendi, & tradendi illis Exercitia Sancti Ignatij. Quo in genere Deus ipsi mirificum concessit talentum, & gratiam singularem, ut tam inter nostros, quàm sæculares, quibus magno numero dedit, fructus tulerit, & mutationes morum ad summam Dei gloriam. Cùm esset adhuc tiro, exercuit se in quatuor novissimis, in peccatis propriis, in divina misericordia, in beneficiis, in conservando & custodiendo seipsum. Cùm studeret, materiam meditationum elegit Vitam Christi in varia mysteria distributam, prout eam divisit Sanctus Pater Ignatius; quæ meditandi forma, dicebat, eò ipsum deduxit, ut velut in omni loco videret Christum Dominum, & studeret imitari ejus exemplum in re qualibet. Factus inde Magister novitiorum à Sancto Francisco Borgia, qui ut plurimum in domo illa probationis morabatur, varia ab eo documenta accepit meditandi, speciatim circa continuam Dei præsentiam. Potissimùm ipsum docuit Exercitium distributum in viginti quatuor horas diei, & noctis, quod, quia fieri noctu non potuit, faciebat illud interdiu dimidiâ quavis horâ. Fuere considerationes supra primaria fidei nostræ mysteria unà cum examine supra se ipsum, & supra modum, quem in eo obeundo tenebat, & in actu vincendi sui, propter defectus commissos. In hoc Exercitio Pater Julius jam se ità assuefecerat, ut absque difficultate ulla, quavis hora dimidia illud faceret, imò & inter concionandum

Alphabetum P. Julij.

Materia meditationum.

Meditandi documenta à S. Francisco Borgia.

Exercitium præsentiæ divinæ ipsi pet facile.

cionandum, & excipiendas confessiones non obliviscebatur illius, sic attentus & collectus, ut eum actiones, quæ alioquin totum hominem attentum volunt, nihil interturbarent. Hoc ille exercitium inter multos nostros Patres sparsit & propagavit.

Petrus Canisius.

Hos inter fuit Pater Petrus Canisius, qui discedens Româ in Germaniam à congregatione generali, cui interesse eum oportuit, interrogavit ex Patre Julio, quo pacto per illud iter posset utiliter occupatam habere mentem, id quod signum est manifestum summæ existimationis, quam de illo habuit vir ille æquè literis ac virtute perinsignis. Posteaquam venit ad terminum itineris sui rescripsit Patri Julio, illud Exercitium successisse sibi quàm optimè. Sed sicut dicebam, in Patre Julio erat sic efficax divinæ præsentiæ sensus, ut ab illa se penitus sentiret penetrari, & præ dulcedine languere in Deo sibi præsente. Videbat sæpè in momento omnes mundi creaturas, non secus ac in clarissimo speculo. Inter hosce dulcissimos languores liquefiebat cor per oculos in tenerrimas lacrimas, quas ita frequentes & uberes fundebat, ut ipsi penitus omnem loquelam & visum intercluderent, etsi alioquin optimos haberet oculos, & illi opus esset ad conservandos eos in tam crebro planctu, multâ curâ. Præterea dulcedo divinæ præsentiæ variis modis ab eo conceptæ, sicut scribit, efficiebat in eo, suavem quandam harmoniam, & concentum musicum internum, & externum numerosissimum, & ad amussim & regulam notarum, ut eum per nullum animi conatum potuerit impedire. Et observabat Ecclesiam esse organum pretiosum ex cannis aureis majoribus & minoribus secundum diversitatem meritorum in Dei servis, se quoque esse unam istarum cannarum, quæ animata à divino spiritu resonabat necessariò, & totus mundus materiatus

Videbat sæpe omnes mundi creaturas tanquam in speculo.

Ecclesia organum ex cannis majoribus & minoribus.

rus decantabat laudes Dei in hoc tono,& benedicebat, sicut faciunt cæli & omnia naturæ opera.

Ita in vigilia Pentecostes anni 1613. quam in oratione pervigilavit,expertus est istam musicam supra cor suum, & supra linguam. Et in festo sanctæ Agnetis anno 1608. & sæpius alias, sicut alio in loco dicemus diffusiùs, illum compulit in versus minimè insulsos pro ætate jam devexâ, & persona Poëseos inexperte prosilire. Horum plena sunt ejus Diaria sensibus planè devotis,quales,verisimile est non alium ipsi Apollinem, quàm Jesum Christum, nec alias musas quàm beatissimam dictasse Virginem. Mihi allubescit hic paucos referre è multis,in quibus explicatur illustratio & lumen, quod inter orandum mens ejus tanquam speculum purum recipiebat, item ardor & flamma, quam concipiebat ejus cor & voluntas, & impetus vehementes (& cordis scilicet & mentis) cæteroqui incapacium ad res tam sublimes, & cœlestes, in vasis tam angustis & terrestribus,sic itaque canebat.

Quis Apollo, quæ Musæ P. Julij?

Raggio del sol ricetto in acqua pura,
Overo in terso vetro,
Et poi tornando in dietro,
Corpi vicini accende,
Lampo di luce eterna,
Ch' ogni altro lume oscura.
Percuotendo il cristall del suo cuore
Fiamma suprema accende,
Con che il tutto s' intende,
Et che l' anima fa languire d' amore.

QVOD HOC SENSV VERTAS.

1. *Vt sol receptus æquore*
Cum luce duplicatâ,
2. *Vitróve ter chrystallino*
Reflexus in seipsum,

3. *Vicina adurit corpora,*
Flammámque ponè ſpargit;
4. *Jam tæda ſunt vel inclytæ*
Cum Pergamis Athenæ.
5. *Sic ſic peræquè caſtior*
Cùm lampas intùs ardet,
6. *Et cor peredit; omnia*
Vertuntur in favillam;
7. *Nec ſolus ardet proximus*
Cantatus à Marone,
8. *Arſere ſed vel ultimæ*
Telluris inquilini.

Ita delicata erat Patris Julij cum DEO converſatio inter camænas & plectra emodulata; non propterea tamen ſinebat ſe hiſce oblectamentis ità capi, ut in iis acquieſceret, & non potius orationes ſuas dirigeret ad opera ſancta, ex quibus major gloria in Deum, & utilitas redundaret in proximum. Itaque ejus precatio tota, effectus cordis, actus voluntatis ſpectabant opus, minimè contenti illâ tacitâ, & orioſa quiete, quam reperire eſt in contemplatione, quam, ſi Deo libêret, ipſe dilatam cupiebat in paradiſum. Actiones ejus univerſæ, potiſſimùm verò illæ, quæ tantam applicationem mentis non exigunt, dici poſſunt fuiſſe continuæ meditationes. Ita cum manducaret, prodiret domo, ageret cum aliis, ſemper meditabatur, & quidem ſic applicatè, ut rediens ad cubiculum poſſet ſcribere ex ordine illas ipſas ſuas meditationes diſtinctas in plures partes, ac ſi multùm in iis componendis laboraſſet, quibus multas chartas & libellos implevit. Et quanto plus meditabatur, tanto magis creſcebat deſiderium meditandi. Ita ille continuâ flagrabat ſiti, quam ipſe vocat inextinguibilem. Sed quod ego minimè omnium demiror, quoniam Deus ipſi communicabat in oratione ſenſus ſpirituales longè ſuaviſſimos, lumina,

Non tamen acquievit in his oblectamentis.

Contemplationem cupiebat dilatam in paradiſum.

Ex converſatione rediens pergebat in ſcribenda meditatione.

mina, claritates, certitudines divinorum mysteriorum ejusmodi, ut illa quasi non amplius, dicit ille, crederet, sed oculis mentis velut aspiceret multò clariùs, quàm res istæ materiales cernuntur oculis corporis.

Dicebat, pauca fore in paradiso, quæ non vidisset, sed non ita clarè.

Nec videbat ille hanc duntaxat, vel illam rem, imò affirmat, si Deus se per suam misericordiam fecisset dignum paradiso, séque in illum transtulisset, illum non jam novum fore incolam, aut hospitem, pauca enim illic fore videnda, quæ non jam ante vidisset quamvis non in illa claritate, quâ vident Beati. In una potissimum re sibi nunquam satisfecit, prout desiderasset, & est ista, in qua nec Beati quidem unquam sibi plenè, ac planè satisfaciunt, nisi ex toto essent conformes voluntati divinæ, videlicet in videnda facie Dei, quoniam, cum illa sit unicum objectum, quod illos facit beatos, quanto magis illa videtur, tanto magis accenditur videndi desiderium. Composuit ille librum, & conabatur apprehendere certam aliquam intelligentiam superiorem, prout eam vocat, verùm illi succedebat nimis obscura, & parùm solida pro ardenti suo desiderio. Ad probandam hanc ejus illustrationem, & lumen, quod habebat, rerum cœlestium, & abstractionem mentis ab illo inutili otio, referam hic aliquot ejus extases divisas in tres classes, quas ille aliquando expertus fuit in festo Sancti Caroli Borromæi, quæ poterunt contemplantibus esse utiles, instruendis sibi & aliis.

Qua in re sibi non satisfecerit P. Julius.

Aliquot ejus extases.

Incepit ille orare sub illa quercu, quam diximus, postea domi prosecutus est orationem per multas horas, & abstractus in usitatas suas extases reliquit annotatas in scripto tres has species sequentes, aliàs quidem ab illo animadversas, sed non scriptas. Sic itaque ait: Extases corporales, in quibus sensus quasi obstupescunt, nec attendunt ad sua objecta, affectionibus animi quiescentibus, & imaginandi facultate vacuâ cogitationum quasi per somnolen-

tiam, quæ ſolet evenire in ſomnis interruptis, cùm homo non totus evigilat, & in languoribus, & delaſſationibus corporis, cùm vires interiores animæ non bene expergefactæ ſunt, & aptæ ad operationes ſuas, debent dici ſomnolentiæ, nec merentur nomen contemplationis, quia in hoc ſtatu, cùm uſus rationis non ſit liber, nec meremur nec demeremur, quamvis nonnulli ſimplices, & inexperti ſibi in iis placeant, & debiles quasdam repræſentationes, quas ſub iis habent, exiſtiment revelationes, cùm ſint potiùs, (& veriùs) ſomnia operatione omni intellectûs & voluntatis vacua. Deinde expertus eſt aliam extaſin intellectûs, quæ quidem in quadam vacuitáte cogitationum conſiſtit, verumtamen intellectu & voluntate liberis ad ipſorum operationes, quas non exercent, utpote penitùs fixi, & informati præſentiâ Dei, hoc eſt, luce divinâ, & affectu erga ſummum bonum, tanquam patrem, amicum, benefactorem, qui excludit quamvis aliam intellectionem & amorem, qui non ſit proximè illi ſubordinatus, & unitus. Tertia extaſis eſt illa per quam intrat anima tanquam in mare lucis & intelligentiæ, in quo intelligendo omnia, quæ vult, & deſiderat de perfectionibus divinis, de myſteriis fidei, non illa quærit extra, & hoc diſcurſibus celerrimis, & illuſtrationibus per modum fulguris, per quas videt, quod Deus eſt omnia in omnibus, & advertit, quod iſta lux operatur in ſe, ſicut ſol in quavis re, & vita in viventibus, ſecundum illorum capacitatem & diſpoſitionem. Ad iſtam extaſin non aſcenditur ſine divina caritate, ſine qua eſſet mera ſapientia philoſophica. Pertranſiit omnes iſtas tres extaſis ſortes, & ſi non rediiſſet ad ſe, permanſiſſet diu multúmque extra ſe, ſicut aliàs ſæpiùs. Verùm ex modeſtia & ſubmiſſione illas fugit, exiſtimans, ſicut non erant improviſæ, & neceſſariæ, illas potius vitandas.

In hoc ſtatu nec meremur, nec demeremur.

Altera ſpecies extaſium.

Tertia ſpecies extaſium.

Modi

Modi & formæ ejus orandi erant varij,& omnes mirè efficaces ad conjungendam animam cum Deo. Et forsan non inutile erit aliquot eorum hic referre pro instructione aliorum. Prima itaque ejus oratio erat una certa viva, & vera credulitas de præsentia divina, una firma & immobilis opinio, Deum ipsum videre, & audire perfectè, ita ut totum conatum suum poneret in tractando cum Deo vivaciter & affectuosè, nunc rogando veniam suorum peccatorum, nunc gratias agendo de beneficiis, nunc offerendo seipsum inter merita Christi Domini, denique in petendis gratiis pro se & aliis demisse, & hoc semper secundum divinam voluntatem. Primus orandi modus P. Julij.

Alter orandi modus erat relinquere se totum in quadam ardente & continua siti semper magis ac magis cognoscendi & amandi Deum, ad ei perfectiùs serviendum,& eum honorandum, ac fieri potest, hoc brevi tempore præsentis vitæ. Alter.

Tertius erat clara,& attenta consideratio perpetuæ, & integerrimæ dependentiæ suiipsius, & rerum omnium aliarum à divina bonitate, sapientia,potentia, providentia, non ex mero gustu de tali contemplatione, verùm ad erumpendum majori cum efficacia in affectus, qui,sicut ipse loquitur,ipsi erumpebant,ex corde necessariò, ad eum modum, quo lux & calor à sole, & è vita jucunditas, virtus, fæcunditas. Tertius.

Quartus fuit assiduum & non interruptum studium exuendi animam consideratione & affectu omnis creaturæ ad dandum locum Deo, cui anima non aliter obviam procedebat sine pondere, quàm ad centrum suum potentiarum alis bene accommodatis, & nihil aliorsum tendentibus, nec aliunde impeditis; quin imò à virtutibus, & donis supra naturam multum adjutis, & promotis, Deo se illi repræsentante pro re, quæ in gradu perfectionis, & numero infinitarum rerum excellentissimarum excedit & transgreditur omnes incomparabili auctario, & prærogativâ, absque eo, ut possis Quartus.

scire, vel apprehendere earum nomina, species, similitudines. Denique multum sentiebat juvari se illo orandi modo, quem ille vocat, per viam certificationis: & erat quoddam totale transportare se ipsum cum tota anima in alteram vitam, & illic imaginari sibi videre se quasi oculis propriis totum illud, quod in hac vita credimus de Deo, & de divinis mysteriis, & de tota Christiana religione; hinc iterum huc reverti ad vivendum de novo in Christiana lege ad honorem ipsius, qui est omnium auctor, à quo tantum accepimus pro corpore & anima, & à quo tantum boni expectatur nobis illic præparati. Et erat in ipso tam viva fides, ut ipsi perfacilis videretur hic orandi modus. Sicut namq; ipse affirmat per certam annihilationem sui ipsius, & abnegationem amoris proprij erat totus transfusus in Deum, & unitus cum illo, animâ & corpore, illâ per facultates, per intellectum transfundendo se totam in vastum sapientiæ & meriti oceanum; per voluntatem, in bonitatem, & beneplacitum æternum; & per memoriam in Ideas & intelligentias increatas. Isto, nempe corpore, quatenus se aspiciebat sicut minimum membrum unitum capiti, & dependentissimum ab illo, id est, Christo in mystico Ecclesiæ corpore.

Quintus, per viam certificationis.

Ab ista minimè perfunctoria, & instabili, sed profunda & constante apprehensione sequebatur in illo totalis illa abstractio, & discessio à se ipso tam quoad animum, quàm etiam quoad corpus, nihil neque utile, neque commodum, nec honorem proprium curando, sed solùm quærendo, quod Dei est, tanquam capitis, & fratris, induendo illum zelum, quem Christus in terra versus æternum Patrem suum in omnibus rebus monstravit, & videbatur ipsi non experiri illum zelum in se, esse certum signum, quòd non dependeret ab illo cælesti capite, nec esset filius tam Sancti Patris, nec de familia Dei; verùm tanquam servus, qui

qui attentus ad proprium lucrum, parùm curat, utrum herus suus lucretur, vel perdat. Considerabat itaque Ecclesiam tanquam suam caram matrem, Christum tanquam suum fratrem, & Deum tanquam suum Patrem. Et propterea in omnibus suis actionibus existimabat se obstrictum ad quærendum lucrum & honorem ipsorum, tanquam proprium & multò magis,& in offensis in ipsos commissis eum percipiebat dolorem,quem membrum sentit ex dolore capitis, aut quem Filius sentit de dolore Patris, Matris,Fratris &c. Hunc orandi & meditandi modum valde amavit, & multus in eo exercendo fuit in Eremo Sancti Angeli terra montis Ori in Sabina, ubi beatus Amadeus auctor reformationis de observantia Sancti Franciſci tot ac tantas accepit à Deo gratias. Hic se detinuit Pater Julius in assidua occupatus oratione, per duos circiter menses, unâ cum alio patre,quo cum festis diebus prodibat ad concionandum, & doctrinam Christianam per terras & castella tradendam. Hic composuit meditationes supra primarias Missæ partes absque alio libro vel magisterio, nisi Spiritu Sancto. In nemore hujus solitudinis meditans habuit illam notissimam extasin, in qua clarè didicit supra dictum meditandi modum inter ejulatuum ejusmodi reciprocatus,& non spontaneos clamores,ut videri quadamtenus mugitibus possent victimandæ ad aram hostiæ quàm simillimi. Id quod ipsi postea perpetuum fuit, eum in modum, ut propter inconcinnitatem, & molestiam, quam creabat aliis, qui eum audiebant orantem, & propter novitatem in publico, licet ipse valde doleret, non posse se hac in re moderari, coactus fuerit quærere locum orandi à communitate sejunctum.

Quomodo considerabat Ecclesiam & Christum.

Clamores inter meditandum.

Verùm est, post aliquàm multum temporis, Dominum Deum ipsum docuisse duplicem modum se ab illis valde notabilibus abstractionibus continendi. Hic est, quando

Deus illum quædam dedocuit per experientiam.

quando extasis erat per viam affectuum, occupare omnes vires, & conatus animæ in consideratione & discursibus intellectûs, quàm primum ipsi occurreret fieri raptus, & affectus notabilis. Quando autem erat per viam intellectûs, indulgere affectibus. Et hoc documentum accepit quadam die, cùm in horto meditaretur excellentias beatissimæ Virginis per unamquamque duodecim stellarum, quæ coronam ejus in fronte conficiunt, prout in Apocalypsi legimus. Quia cùm se intellectus in interna dona & facultates hujus sanctissimæ animæ insinuaret, excipiendo illuminationes clarissimas tanquam stellas, cùm pervenisset ad septimam, totus abreptus fuit; & quoniam consolatio erat inæstimabilis, cœpit in dulces diffluere lacrimas, & anima dispensando suam virtutem parti sensibili, & ità abstrahendo se ab illa vehemente imaginatione intellectûs, quæ ipsam totam detinebat raptam, cùm iterum se, ut ità dicam, restitueret sensibus externis, finem imposuit extasi; & ipse didicit, hasce mentis extases posse terminari in exercitia affectuum cordis. Sicut postea increscens supra modum affectus, & in ipsum immersa anima tota, quasi obsopita absque ulla operatione & discursu intellectûs, & propterea resorpta in profundam quandam extasin concepit maximum desiderium attendendi diligenter ad illustrationes, quas excipiebat de dotibus sanctissimæ Virginis, ut posset eas postea annotare in scripto, & teneret in memoria. Vnde cùm vellet repetere notitias, quas habuit, & supra illas se reflectere, avocato corde ab illo dulci sensu, & animâ revocatâ à vehementia amoris, & applicatâ ad cognoscendum, finem denique & ista accepit extasis, & ipse de novo per experientiam pulcherrimè didicit, intellectum revocare cor ab extasi, & hoc vicissim illum.

Cùm meditaretur excellentias Beatissimæ Virginis.

Cum increscit affectus, deflectendum ad discursum.

Et his documentis postea usus est potissimùm in publico, ut ne pateretur extasin, quando in principio poterat advertere.

advertere prius se longius progressum, quia sæpius non erat in potestate tenere se. Et in una attestatione affirmat Pater Evangelista de Gattis ejus confessarius sæpiùs raptum fuisse in extasin sub ipso actu confessionis. Notabiliores hos sensus experiebatur in festis Ecclesiæ, & nostræ societatis solemnioribus non solùm in mrditando, sed etiam in recitandis psalmis,& aliis scripturæ locis, experiundo in anima illos ipsos sensus, ac si de eo essent scripti,& perseverabant apud ipsum octo, quindecim, triginta diebus,relinquentes eum ità totum abstractum, & quasi attonitum, & obsopitum, ità ut aliud non posset considerare, nec interdiu, nec noctibus, quas sæpissimè transigebat in oratione totas. Et subinde abstractiones ita erant vehementes,ut videretur anima velle omninò exire, & propterea ultra impetuosos clamores trahebat secum in altum etiam corpus variis modis, ut uniretur cum suo amato Domino,sicut dicemus sequentibus capitibus.

Aliquando solitus rapi in actu confessionis.

CAPUT IX.

Discretio Spirituum.

EX assidua cum DEO tractatione in oratione tantam lucem in animo hausit Pater Julius, ut facilè posset bonos à malis spiritibus discernere, qui intus animos ad bonas vel malas actiones solent movere, quod est ipsissimum illud Ecclesiæ donum, magis uni, quàm alteri à Deo concessum,prout nos Sanctus Paulus docet. Ipsi mox liberaliter fuit impertitum statim ab ingressu in societatem, non solùm quantum ex aureo illo Sancti Patris nostri Exercitiorum libello, & ab admirabili Superiorum regimine traxit, sed multò magis quod à sua ipsius simplicitate, & puritate est mutuatus. Dicebat namque per longam se ex-

Simplices & candidi magis apti ad discernendos spiritus.

perientiam didicisse, simplices & candidos, qui bona mente procedunt, esse magis aptos & habiles ad cognoscenda interiora, quæ in hominibus latent, & in ipsis virtutis perfectionem, & deformitatem vitiorum, sicut aurichalcum discernitur ab auro & stannum ab argento. Et quoniam ipse erat simplicissimi, & innocentissimi candoris, ideò & in discretione spirituum fuit paris felicitatis, ac cum multâ laude de ea condidit Tractatum in quatuor libros divisum. Quod is cognovit in aliis, multò meliùs discrevit in seipso. Si cogitationes & suggestiones internæ provenirent à Diabolo, certum captabat signum à quadam afflictione & tristitia scrupulosâ, imò venenosâ, sicut ille ipsam appellat, quæ ipsi obfuscabat animum, insufflata à pectore serpentis infernalis. In aliis dein discernebat optimè internas inclinationes & affectus animi ab externo.

Condidit tractatum de discretione spirituum.

Admonuit sæpè superiores de periculis aliorum.

Quoties ipse admonuit superiores, ut adjuvarent spiritum, præcaverent periculum sibi notum de hoc vel illo homine, quantumvis externis in moribus omnia bona & sancta promittente: neque ab illis auditus est, neque ipsi creditum. Et hinc pessimi illi tot successus, deserta religio etiam post plurimos in ea exactos annos, mortes & pœnæ à Deo valdè notabiles.

Quod signum? si cogitationes proveniant à Diabolo.

Explicat rem similitudinibus.

Sæpè etiam illi diabolicarum suggestionum argumentum erant certum sensus interni animæ, & arteriæ immersæ, & inter spiritus vitales confusæ, quæ trahendo illum ad quasdam operationes clarè illi indicabant præsentiam malignorum spirituum, id quod etiam per certam quandam sympathiam, & redundantiam in aliis cognoscebat, quamvis illi conarentur externa in facie contrarium præ se ferre, sicut alio in loco diximus. Et dicit non difficile sibi futurum fuisse declarare aliorum arcana. Et sicut nos erubescimus visâ in facie alterius nobis propè adstantis maculâ, nævo, vel cicatrice, ità se quoque erubuisse visis in

animo

animo aliorum nonnullis vitiis & noxis. Ajebat porrò, sicut guttulæ minutissimæ, & quasi invisibiles roris & nebulæ quantumvis tenues madefaciunt & penetrant corpora, & sicut malus odor se cerebro insinuat, & venenum grassatur, & momento inficit cor, sic ad se, & ad intimum mentis suæ perveniſſe exhalationes, ac vapores libidinosos, iracundos, tristitiâ atros eorum quos ipse videbat, ac creasse sibi mœrorem & afflictionem. Sicut Sanctum Philippum Nerium legimus olfeciſſe fætorem peccatorum. Vnde 13. Januar. anno 1613. cùm ad Patrem Julium consilij gratiâ accessisset quædam persona vitio carnis multùm dedita, talis putor Patrem Julium afflavit, ut non solùm tanquam à fumo infernali inter loquendum opus fuerit sese avertere, sed & cùm non amplius esset ferendo, coactus fuerit discedere. Propter hanc ipsam sequioris exhalationis causam, quam vitiosi possunt exsudare, suadebat, ne starcmus vicini, ut procuraremus tractare cum illis, qui essent conscientiâ purâ, animo tranquillo, moderati secundum virtutem, & pleni Spiritu Dei, qui ità sedulò ei assistebat, & custodiebat à periculis occulti mali, ut non personarum, verùm & rerum vitiosarum adulterinũ ei detegeret odorẽ.

Libidinosam statum agnovit.

Vnde 25. Maij anno 1614. cùm volveret librum recens procusum, quamvis tractantem res spirituales & sanctas, sensit tamen ejusmodi iteratam aversionem, ut nequiverit progredi in eo legendo. Post quod ex uno Patrum nostrorum intellexit eum librum justis de causis fuisse prohibitum. Porrò ejus discretio adhuc ad sublimiorem aliquem ascendit gradum, ut non solùm videret vicina, & propiora, sed & longinqua & remota perspiceret. Vnde sensit in seipso spiritum eorum, qui secum cupiebant tractare. Propterea cùm ad portam collegij vocaretur, vel in templum, animus illius ipsi præsagiebat, quid esset futurum, præsertim cùm essent res valde bonæ, vel admodum

Pestilentem librum ex odore.

Sicut Gallus ortum solis, sic ille arcana.

malæ. Sicut Gallus, inquiebat, præsentit ortum solis, & multa animalia serenum, vel pluvias, antequam eveniant. Ac, quando superiores ipsum vocabant quiddam illi indicaturi, mox in animo ejus surgebant spiritus illi rei, vel argumento conformes, de quo ipsi loqui cupiebant, modò læti, modò mœsti. Ità sæpiùs intus à semet stimulatus, iret, ad invisendos nonnullos, comperit fuisse necessitatem non vulgarem, sicut, cùm Romæ anno 1595. motus à vehementi suo spiritu intravit cujusdam infelicis domum, qui illo momento collum laqueo inseruerat, compendium & dispendium facturus vitæ, & desperationem temporalem cum æternâ prosecuturus. Induxit, eum erroris ut pœniteret, ejus confessionem excepit, ac non ità multò post eum ad bene mortem oppetendam disposuit,

Vocantes superiores quid vellent, præscivit.

Dedit consilium, quod nondum erat petitum.

Similem ferè in modum Marcus Antonius Doria, & Domina Bettina ejus Soror Octavij Centurionis uxor scriptis ei separatis literis gratias agunt de dato sibi consilio priùs, quàm peterent, sed quod erant petituri. Quâ re factum est, ut propter hanc plus quàm humanam prudentiam, & providentiam plurimi ad eum omne genus hominum recurrerent, simplices, docti, nobiles, ignobiles, sæculares, religiosi consilium ab eo in suis cùm sacris, tum prophanis dubiis accepturi; quod si sequi voluere, procedebant res ex animi sententiâ, sin? nemini alteri, quàm sibi infelices exitus poterant imputare. Ad eum modum optimè quoque discernebat vocationes ad religiosum statum, & determinabat unicuique suam religionem, quæ cuique melius esset accommodata. Item tentatis perquam certa & tuta præscribebat remedia, quorum magnus ad eum numerus confugiebat, & eorum tentationes sæpè ante, quàm ipsi aperirent, prænoscebat, prout Purpura & alij testantur de seipsis. Et quandoque ordinavit Deus, ut alij illas ipsi manifestarent miris modis, ut efficaciori occurreretur

Discernebat vocationes ad statum religiosum.

Tentationes nondum apertas cognoscebat.

cum

cum remedio. Ita accidit cuidam Juveni tentato, ſicut Pater Anellus deponit ſequentibus verbis: *Anno 1606. cùm ego Iacobus Anellus eſſem in Domo Profeſſa Neapoli operarius, adiit me Iuvenis multùm tentatus, nec ſine magno periculo. Præſcripſi ipſi varia remedia, & abij ad novitiatum. Et iſte cùm neſciret, ubi eſſem, redibat idem periculum. Verùm nocte quadam cùm eſſet in conclavi, audivit vocem diſtinctam, quæ dixit: Accede Patrem Iulium Mancinellum, ipſe tibi medebitur. Hic, cùm neſciret, quis eſſet iſte Pater Iulius, nec unquam illum vidiſſet, abiit quæſitum, invênit; & ab eo ita adjutus fuit, ut non ſolùm in tentatione non ceciderit, ſed etiam in contemptum Diaboli intraverit Religionem viridis valdè obſervantiæ.*

Accede P. Julium, ipſe tibi medebitur.

Hucuſque Pater Jacobus in ſua depoſitione. Ità etiam aliàs dicebamus, ipſum præclarè ſciviſſe, num quis verè eſſet inſeſſus à maligno ſpiritu, vel tantùm perturbatus ab humore atræ bilis, & in compendio congrua ipſi remedia dictabat. Ad hoc probandum valdè huc facit, quod Pater Cæſar de Vivo tradit in ſupra citata ſua depoſitione c. 5. hujus ſecundi libri. Sic ait: *Ad templum Collegij Neapolitani adducta fuit mulier, quæ credebatur obſeſſa à Diabolo, ut eam Pater Julius Mancinellus ſolitis urgeret Eccleſiæ exorciſmis. Cùm Pater Julius deſcendiſſet in templum, voluit propè illam aſſidere; aſpexit illam fixè per ſpatium, quo Pſalmus quinquageſimus recitaretur, inde nullo dicto verbo ſurrexit, & in cubiculum ſe contulit. Ego, qui eram coràm, mirabar, quod nec verbum ipſi loqueretur; Dixi, Pater Julj: Eccur noluiſti miſerabili illi perſonæ exhibere ſolitam caritatem? reſpondit, quia non erat obſeſſa. Subjunxi; Cur Reverentia veſtra nihil eſt ab ea ſciſcitata? reſpondit, qui manducavit allia vel cepas, non eſt opus, ut dicat: Ego manducavi cepas, ſignificans, ab halitu ipſo manducantem prodi. Ex quo ego didici illum ex ſolo flatu deprehendiſſe illam non eſſe inſeſſam ab Acheronte; quia ſi habuiſſet dæmonem in corpore, ſtatim ex flatu agniturum fuiſſe Orci*

Qui manducarit allia, non opus eſt, ut dicat.

fatorem. Verùm de spiritu divino, qui in eo habitans non solùm ipsi communicabat amplum illud prudentiæ donum ad se & alios gubernandos, sed & insuper illi monstrabat, & res longinquas, & futuras; meliùs libro sequenti dicetur.

CAPVT X.

DEVOTIO

Erga Sanctissimum Sacramentum, Sacrificium Missæ.

POtissima lux in animam P. Julij derivabatur ex illo ter beato Eucharistico sole, quem nos oculis fidei, intuentes sub candidis Sacramentalium specierum contectum vestibus adoramus in arâ. In hunc immensum divinæ charitatis oceanum immergebat sese totum P. Julius, hic toti suæ devotioni ac pietati laxabat habenas. Antequam fieret Sacerdos, inserviebat, quot quot poterat, sacris, & ut devotionem tegeret, procurabat, ut in sacellis fieret privatis. A consecratione enim usque ad communionem Sacerdotis, ipse totus madebat lacrimis, & in gemitus prorumpebat suavissimos, propter veram ac realem præsentiam sui dulcis Jesu, quem sentiebat verè adesse, & ad quem totus anhelabat. Inde ad Sacerdotium anno 1563. promotus nunquam intermisit sacrificium Missæ, nisi à gravissima impediretur invaletudine, morbi quippe usitati etiam non erant ipsi sat urgens impedimentum, prout vidimus in ruptura illius ossis, propter quam non poterat uti nisi unâ manu. Ita etiam in Polonia cùm laboraret gravi fluxu cum febri, ab omnibus Collegij incolis, & ab ipso medico, qui bis quotidie ipsum invisebat, æstimatâ mortali, cum inso-

Hic totas pietati laxabat habenas.

Nunquam intermisit sacrificiũ, nisi coactus

insolitis symptomatibus, judicavere Patres necessariò vocandum medicum illâ importuna horâ, quamvis ille magis ipsis catus, non venit, nisi sub auroram, & templum ingressus vidit Patrem Julium prodeuntem cum calice dicturum Missam, sic in vultu & colore mutatus, ac si illum à morte revocatum vidisset ad vitam. Peracta liturgiâ solitâ cum devotione rediit ad lectum, & placuit Deo perfectâ illum sanitate redonare. Istum tam tempestivè surgendi & celebrandi morem etiam media in hieme habuit familiarem, nihil horrida brumâ & Decembri, nec nive quidem capillorum ejus ardentissimam refrigerante sitim, quâ flagrabat illud cor amore Jesu succensum. Et per totius vitæ decursum non reperio ipsum adeò mœstum extitisse quacunque demum ex causâ, quàm semel, ex metu, ne propter infirmitatem cogeretur omittere Missam.

Nunquam ita mœstus, quàm in timore omittendi Missam.

Igitur magno cnm affectu & fiducia se contulit ad beatissimam Virginem, quæ singulari ipsum ex gratia hoc timore liberatum voluit usque ad ultimos vitæ paucos menses. Ipsius verò angelus custos in pluribus casibus particularibus illi adstitit, ut ne præ debilitate virium, vel erraret, vel desistere à sacrificio non finito cogeretur. Et maximè semel in nocte Natalis Domini, ut complerentur ritè tria sacrificia. Major adhuc sitis sacri calicis fuit in Patre Julio, prout videre est in eventu sequenti. In valle Senarum homo sceleratus neque per cohortationes, neque per minas parentum, & religiosorum adduci ad exomologesin poterat in sua quadam extrema infirmitate faciendam, cùm jam fandi facultatem perdidisset, iverunt parentes ad Curionem, rogantes, ut afferret illi sacrum viaticum, contestati infirmum dedisse signa pœnitudinis, & petiisse confessionem. His ille attestationibus permotus attulit sanctissimam Synaxin ad ægrum, qui tanquam phreneticus illam repudiabat. Verùm à circumstantibus magis piis, quàm

Ipsius angelus subinde juvit sacrificantem.

quàm cautis inductus tandem eam sumpsit, mox porrigi sibi scyphum postulans, ut posset sacram deglutire hostiam; parvâ admodum morulâ tenuerat in ore aquam, cùm illam expuit in cyathum, & unà Sanctissimum Sacramentum putrido suo catarrho immixtum. Scyphus iste quasi plenus reponitur in tabernaculum templi ad latus Ciborij, vel pyxidis, ubi per quindecim ferè dies delituit. Quo viso Pater Julius, ad quem id officij nullo respectu pertinebat, totus Deo confisus, cujus amore flagrabat, bene manè cum diceret primum sacrum ad illam aram, nec posset ultra ferre sacrum Christi corpus tam indignè asservari, post sumptam sacram suam hostiam forti atque impigro animo totum illum scyphum absque ullo nocumento exhausit. Hunc amoris & reverentiæ actum erga sanctissimum ejus Corpus liberaliter ei DEVS compensavit; per longum namque deinde tempus, quoties consecratam delibavit hostiam, hæsit illi sensibilis & admiranda in ore dulcedo ex paradiso, præteritæ amaritiei, & futurarum efficacissimum remedium.

Totum Scyphum regestæ hostiæ hausit impiger.

Et affirmari pro certo potest, eum in gravissimis suis & proximorum necessitatibus, in ærumnis & tentationibus permolestis habuisse suum perfugium ad altare sanctissimi Sacramenti, illic multo tempore prostratum oravisse capite semper detecto, etsi senem, & continuis vexatum defluxibus, nec unquam revertisse, nisi obtentâ, quam petebat, gratiâ, omni illic afflictione ex animo excussâ, ac solidis pro se, próque aliis relatis consolationibus. Et ista externa quoque Patris Julij compositio erat egregij sanè exempli, ita ut populus ex professo ad eum videndum conveniret, & non pauci, illa angelica tracti modestiâ, quâ adorabat Dominum præsentem, moverentur & illi ad dandum societati vel aliis religionibus nomen. Imò cùm ille, ut dixi, iret ad Porticum ad inserviendum illi fratri hecticâ laboranti,

Quem ipsi Deus mirâ dulcedine compensavit.

Angelica P. Julij modestia multis causa vocationis.

laboranti, quia illic celebrare Missam oportuit publicè in templo Sancti Francisci Patrum Conventualium, quamvis ille ex instituto eniteretur, ut signum campanis ne daretur, nihilominus, cùm esset ejus celebratissima devotio, suspiria, lacrimæ, extases sæpius ab illo non reprimendæ, aut cælandæ, summus fuit illuc hominum concursus, & multi nobiles miserunt illò suos ephebos, qui ipsum tantisper detinerent; & cùm rediit in sacrarium, certatim illi vestes, manus, ac pedes venerati sunt osculo. Et libuit Domino in hoc ipso loco per ipsum liquefacere cor gelatum & durum cujusdam obstinati peccatoris, qui multis annis non erat confessus, & induxit illum non solùm ad sinceram germanámque suorum peccatorum faciendam exomologesin, verùm insuper adhuc ad desponsandam quandam viduam, qua cum longo tempore malè consueverat.

Summus hominum concursus ad ejus sacrum.

Sensus, quos habuit in sacrificio Missæ, magnus iste sanctissimi cultor Sacramenti quantum ad illustrationem attinet intellectûs, & quantum ad vehementiam affectuum cordis, fuere innumerabiles, & multos reliquit annotatos in tractatibus, & meditationibus illud divinissimum mysterium mirificis exaltans comparationibus & similitudinibus à Firmamento, globis cœlestibus, paradiso desumptis, quò ille totus ascendebat animo & corpore, dum celebrabat per raptus continuos, unum ex alio, ter quater post consecrationem, ac subinde cum Hostia in manu, ad eum modum, ut ipse ait, crediderit sæpiùs exiturum animum, & spiritum ad conjungendum se totum cum dulcissimo Domino, qui ipsi sæpè in hostia sacrosancta aspectabilis in variis formis apparuit. P. Virgilius Ceparius nostræ societatis homo fide dignissimus in unis suarum literarum ad Patrem Julium ad Leonam sub datis 11. Sept. anno 1624. habet hæc verba: *Inservivi sæpius ad aram facienti Patri Julio Mancinello, & vidi eum elevari in altum post Consecrationem*

Sæpe ter rapiebatur in Missâ.

Virgilius Ceparius ejus sacro inserviit.

Ejus depositio.

nem ex impetu ſpiritûs, & poſtea recidebat deorſum in genua, id quod etiam affirmatur in articulis procuſis. Ait ulterius deſe Pater Julius, *ſenſiſſe ſe poſt conſecrationem præſentiam Chriſti Domini per aliam lucem, & certitudinem diverſam ab illa, quam habemus per fidem, ſicut longè rectiùs gaudetur de pomo, quod habetur in manu, quàm de eo, quod videtur in arbore.* Et hoc, ipſum deprimebat in abyſſum ſui nihili cum timore planè humili, & profundo, *ad eum modum*, inquit ille, *ſicut præſentia & Majeſtas improviſa magni cujusdam regis, & Monarchæ, quamvis gaudium quoddam & conſolationem pauperi ruſticello afferret, daret tamen ſimul illum in metum naturalem, ac venerabundum, per quem ſe ſubtraheret.* Per hanc vivam cognoſcendi vim præſentem Deum, & per ſummam felicitatem, ac facilitatem, quam habet Sacerdos, familiariter alloquendi Deum, imò per communionem ſanctiſſimam ſeſe uniendi cum ipſo, exiſtimabat ſe certo quodam & ſingulari modo obligatum ad utendos illos ipſos modos & terminos obſequij, reverentiæ & adorationis, quibus uterentur illi ipſi, qui coram Deo eſſent in paradiſo. Atque hinc dimanabant per genas illæ continuæ dulces lacrimæ totam per liturgiam, & abundantes poſt Conſecrationem rivuli, qui facultatem impediebant & legendi, & proferendi verba continuo fletu, gemitibus, & ſuſpiriis interpolata ad morem infantis. Nec poterat ille, quantumvis multo ſtudio & conatu niteretur, ſupprimere illos gemitus, & cordis labores, qui veniâ non petitâ ex corde, atque ex ore prorumpebant, id quod de ſanctis nonnullis Monachis refert Joannes Climacus c. 10. collationum lib. 2.

Continuus quaſi in Miſſa fletus.

Quæ hucuſque dixîmus de gratiis à Chriſto Domino, ſervo ſuo inter litandum conceſſis, admirationem ſanè omnem tollent, ubi audierit quis, eum celebraſſe in itineribus, in Miſſionibus, cùm aliter non poſſet, ſub Dio, non rarò pluviis capiti incidentibus. Inter navigandum; cùm

maris

maris inconstantia, & elementi levitas obstabat, ne calix everteretur, Missam ille agebat siccam, sine consecratione, sicut moris est, solando illud grande suum desiderium saltem in illa proxima spe, & dispositione recipiendi sacrum Domini Corpus. Spatium consuetum ejus Missæ erat hora, quæ ipsi tam celeriter effugiebat, ut ipso teste videretur sibi momentum. Ita cujusvis alterius rei de hoc mundo eum capiebat oblivio, ac si ipse non amplius esset in mundo, & nihil porrò illi faciendum supereset, quanquam semper esset quiddam, quod minus devotos juberet accelerare sacrificium, & multam injiceret solicitudinem & distractionem, maximè in itineribus. Præstitit autem Deus illi hunc favorem pro majori sua quiete, ut, licet omni alio tempore cum capite perdurandum esset aperto, vehementer illi doleret caput, tempore tamen sacrificij omninò non doleret, nec ullum ex eo incommodum perferret. Ad eundem propè modum vel non advertit, vel certè non depellebat muscas, vel alia animalia, quæ obtundere celebranti possent, quemcunque illa locum occupassent, imò decidens forte quoddam in calicem absque alia cogitatione, aut hæsitatione tranquillissimo animo illud ebibit.

Missa sicca in Mari &c.

Spatium Missæ saltem hora.

Tempore Missæ capite licet aperto non doluit. Muscas non abegit

Et quandoquidem tanta cum constantia se sinebat torqueri à molestis illis bestiolis, fecit illum Dominus Deus dignum, in cujus capite circumstantes sæpiùs candidam viderent columbam, prout in articulis procusis asseritur, & aliàs ex sacro calice cernerent prodire multitudinem rubinorum, & aliorum pretiosorum unionum. Er de hoc divino spiritu mutuabatur ille notabiles illos & efficaces sensus, qui peracta liturgia, & gratiis prolixè actis, erumpebant ipsi ex corde & ore. Retulere aliquot è nostris Patribus, qui ipsum tunc loquentem audiebant, & verba proferentem attendebant plena cœlestium luminum, & penetrantia animum, se quoque expertos fuisse illas ipsas illumina-

In ejus capite candida columba.

tiones & extaſes inſolitas antehàc non ſanè exploratas, id quod neſciam, utrum de aliis memoriæ proditum ſit. Duo Prælati, qui ipſo Directore fecerunt Exercitia ſpiritualia, cùm paucula quædam verba ex ipſo audiiſſent, teſtantur ſe ita fuiſſe illuminatos, ut nunquam aliàs in prolixis meditationibus. Imò Epiſcopus Averſanus, ſimul audiit aliquos ſenſus, quos habuerat inter litandum, referentem, planè ſtetit attonitus, & tanquam raptus in extaſin advocabat quantocyus domeſticos & familiares, juſſitque feſtinos adeſſe, ut audire verba, quibus tanta lux & expreſſio divinorum attributorum contineretur, poſſent, quæ ipſum dediſſent in extaſin. Erat Pater Julius deditiſſimus piis manibus in igne luſtrico detentis, & ſæpiſſimè, ac quaſi continuò pro ipſis faciebat præter plurimas orationes, & ſpontaneas pœnas, quas pro ipſis ultrò ſuſcipiebat, unde ipſi plurimùm ejus ſacrificiis adjuti crebrò ei ſe aſpectabiles præbebant rogantes ejus ſuffragia. Sed tam de hiſce viſis, quàm de raptibus & aliis gratiis ab eo acceptis tempore Miſſæ rectiùs dicetur ſequenti libro.

Duo prælati ejus verbis rapti.

Animæ è purgatorio orabant ejus ſacrificia.

CAPUT XI.

Aliquot ſenſa Aſcetica.

ILluſtrationes & lumina Patri Julio conceſſa à Deo in orationibus & in ſacrificio Miſſæ, quæ ad ſalutem & perfectionem propriam, & proximi pertinent circa obligationes fidelium erga Deum ipſum, pro hac præſente & altera vita, ac continent amorem ipſius erga Creaturas, attributa & perfectiones divinas, virtutes & beneficia Chriſti Domini, beatiſſimæ Virginis & Sanctorum, theſauros Eccleſiæ, & his ſimilia, fuere tot & tanta quot diebus, ut non ſolùm de iis ingens conſcribi volumen pro inſtructione aliorum

aliorum posset, verùm etiam ipse crescente ætate hoc magis profecerit, ac creverit in iis, eò major, quàm in primis annis, seipso effectus, quanto inferior tiro est in studio literarum, qui prima discit elementa, perfecto & excellenti Doctore & Magistro sublimium scientiarum. Et loquebatur ipse de hac divina sapientia ità peritè, & scienter, ut cùm infirmos inviseret, ac solaretur afflictos, plurimi eum sequerentur ac concurrerent ad eum audiendum, præter eos, qui quot diebus in hunc finem ad eum ventitabant omnis generis & conditionis personæ, adeò, ut sicut diximus, aliqui solùm audientes eum loquentem de rebus divinis abirent in extasin, & non pauci desperati, perceptis pauculis ejus verbis reverterentur in tranquillum pacis & sanctæ spei. Harum maximarum Christianarum, per quas tanquam per cœlestis politices principia rectè gubernatur status animæ, plena sunt cuncta ejus scripta, & adversaria, ex quibus huc ego paucas duntaxat referam ad instruendum lectorem meum, ad quas reduci reliquæ facili negotio poterunt, súntque illa solida, & profunda fundamenta, super quæ ille cum divino auxilio altissimum suæ virtutis, & perfectionis struxit ædificium, quod ego multorum grandium Dei servorum nequaquam inferius duco.

Homines spirituales sciunt se facere voluntatem Dei.

Dicebat itaque homines spirituales esse feliciores cæteris etiam ex eo capite, quod essent certi & securi, in omni re à se fieri propriam voluntatem, quia illi semper efficaciter volunt id, quod Deus vult, id quod semper fieri necesse est, cùm nihil sit, quod divinæ possit resistere voluntati. Et hoc esse illud; *voluntatem timentium se faciet.* Illi, qui timent Deum timore filiali, hoc est, pleno amoris, & desiderij non displicendi illi amabilissimo patri, omnes occupati sunt in implendo, & exequendo ejus beneplacito: unde voluntas Dei, & ipsorum voluntas est una eadémque res. Nec potest ille quicquam facere contra illorum voluntatem;

Quia illorum voluntas est voluntas Dei.

Dei voluntas & eorum, qui

amant Deum, est una voluntas.

tatem; nec isti velle aliquid, quod ipsi non placeat, quia volunt id, quod ipse vult. Et Pater Julius hanc veritatem optimè intelligebat, quòd voluntas Dei erat ejus amorum unicum & tenerrimum objectum; quippe auditus est usque dicere: *Fiat voluntas tua*, tanta cum dulcedine, ut in hac vita majorem non agnosceret, quàm adimplere perfectè ejus decreta. Et dabat ejusce rei perbonam rationem; ajebat namque, non est hoc in substantia, utile Dei, nec honor ejus, sed honorificum supra modum, & commodum creaturis, ad eum modum, quo summopere utile esset, & honorificum alicui pauperi familiæ, cui omne humanum deficeret subsidium, si quis nobilis, dives, sapiens, potens satrapa ipsam adoptaret in suam curam & gubernationem, ita ut ipsa posset stare attenta ejus jussibus, & dicere ipsi: *Fiat voluntas tua*, & ipse præscribendo illi leges, & directiones, ut omnia fierent, sicut ipse vult, ac sua prudentia, auctoritate ipsam liberam, & securam faceret omnis periculi. Eodem modo quòd Deus se demittat, ut nos viles, improvidi, ignari nostræ utilitatis homunciones, omnium rerum indigi tam quoad corpus, quàm quoad animam in medio tot insidiarum inter hostes tam manifestos, quàm occultos possimus ipsi dicere: *Fiat voluntas tua*, & ipsi hoc placeat, & nos sub suam acceptet obedientiam, qui scit, & potest, & vult omne id, quod est pro nobis melius, est ejusmodi favor & gratia, ut pauci eum cognoscant, & paucio-res eo perfruantur. Verùm optimus Pater Julius eò perveneratat, ut ipso perfectè perfrueretur, & in eo experiretur eam tranquillitatem, & pacem, quâ gaudent beati; Et poterat dicere, se facere voluntatem Dei, *sicut in cælo & in terra*: quia nulla res, magna vel parva, prospera vel adversa, qualiscunque ea foret, sufficiebat perturbandæ ejus serenitati, & ipse semper erat concolor cum voluntate Dei, quam in omnibus rebus æqualiter agnoscebat. In hac exercitatione,

Auditus est usque dicere, fiat voluntas tua.

Exemplo rem declaratum ibat.

Poterat dicere, se facere volũtatem Dei sicut in cœlo & in terra.

tione, quæ potest dici beatorum, erat in numero illorum Dei servorum, qui, quoniam in iis magis amor cordis & affectus voluntatis quàm discursus intellectûs & lumen rectæ rationis operatur, contenti sunt in æternum damnari, ut tanto perfectius divinis adhæreant decretis; quasi Deus possit ad perpetuum exilium à beata sua facie inter pœnas sempiternas condemnare cariſſimos amicos suos, & digniſſimos se videndi, hoc ipso, quod ob amorem sui contenti sunt in perpetuum eo privari; in quo clarè apparet contradictio. Verùm amor divinus, qui & ipse in hoc possit dici cæcus, non respicit, ut dicebam, non attendit tot rationes, & sinit se ulterius portari certo cum impetu digno laudis & meriti; ut non advertat, utrum, dummodo obedientem se nutibus Dei exhibeat, ex paradiso cadat & præcipitet ad inferos. Ita reperio ego annotatum 21. Februar. anno 1610. in Diariis Patris Julij proposuisse ipsum sibi sub vesperum hanc Dei voluntatem, mandantis illum ad æterna supplicia, seséque tantâ cum pace & quiete ad hunc infeliciſſimum statum accommodâsse, quem sibi vivaciter imaginabatur, ut nihil inde turbaretur, neque commoveretur illis usus verbis. Deus ita vult, tanquam perfecta quadam quinta essentia potente infinitum illud amarum contemperare.

Ita adhærent voluntati Dei, ut contenti essent damnari.

In quo clarè appareret contradictio.

P. Julius composuit se summa cum pace ad statum damnatorum, si esset voluntas Dei.

Habebat ille ejusce rei magnam quoque rationem ab aliqua similitudine petitam, quæ quantum ad nos, non quantum ad Deum, & justitiam ejus, potest habere suum pondus. Ratiocinabatur igitur in hunc modum; si olus vel gramen comestum à bove conquereretur se malè tractatum à bove, ipsum id immerito faceret, & certè si uteretur ratione, non ęgrè ferret, imò gauderet summopere, quòd concurriſſet ad sustentationem cujusdam viventis tam utilis & necessarij homini, inquo ipsum deberet acquiescere, tanquam in re excellentiori se, & ad cujus conservandi

Pulchra similitudo bovis comedentis olus.

finem

finem ipsum est ordinatum. Pari modo hominem damnari ad supplícia æterna res est minimi momenti, intuitu summi boni, quod est, fieri voluntatem divinam, sanctam, perfectam, absque ulla comparatione supra omne aliud bonum: ex quo ille debet longè magis gaudere, & contentus esse, utpote cui subordinatur, quam tristari, & dolere de illo suscepto ex amore Dei, cujus suprema ordinatio oportet ut sit regula irrefragabilis ad omnia ea, quæ sunt inferioris ordinis & inclinationis. Sic ille conabatur intellectum suum subjicere, sed non ita emollire corsuum, in quo accendebat incendium amoris castissimi, & dignissimi paradiso, succession etiam ex ipsis Acherontis flammis, & titionibus. Qui ne impediret voluntatem Dei, acquiescebat de æterno suo malo, facilè sumi potest conjectura de aliis sinistris eventis, quàm illa pacato cum animo, & tranquillo esset excepturus; unde, sive obtineret gratias pro se vel aliis petitas, sive non, etiam spirituales, semper erat contentus & serenus. Si evenirent infortunia, & ærumnæ, omnia acceptabat animo & vultu tranquillo & pacato. Vt certiùs & meliùs intelligeret, quæ esset voluntas Dei, dicebat, omni modo procurandum esse, ut simus illi præsentes, & ille nobis præsens assistat.

Ratiocinatio concludens.

Mod^s subjiciendi intellectum.

Tranquillitas perpetua P. Julij, sive impetraret gratias, sive non.

De hac beata utrinque præsentia incredibile dictu est, quantas ille inventiones excogitaverit: Nunc utebatur creaturis, tanquam scalis ad ascendendum in conspectum Dei; nunc similitudinibus nobilissimis & diversis ad exprimendam in se imaginem vivam; Nunc titulis excellentibus ad significandum varia officia, quibus Deus fungitur, tam in interno animæ nostræ per spirituales illapsus, quàm in externo quoad sensus corporis per creaturas, quæ nobis inserviunt: applicando hoc totum ad odorandum, gustandum, tangendum, audiendum & videndum in ipsis suo modo Deum ipsum. De diversitate & varietate modorum ad

Modus cognoscendi voluntatem Dei.

ter similitudines per titulos & officia.

ad concipiendum DEVM præsentem aptorum reliquit multas & insignes instructiones, utilésque futuras personis orationi deditis. Et fuit in hoc proposito ejus axioma, rem esse admodum vilem & ab animalibus desumendam, sinere impediri aspectum Dei à laquearibus & valuis cubiculorum, à tectis domorum, ab arcu cæli; si enim cogitatio per res caras volat celeriter in Franciam, Hispaniam, ad Indos, absque eo, quòd timeat occursus montium, tempestates maris, inimicorum insultus; penetrat cælum auxilio speculationum scientificarum, absq; eo, quòd terreatur à motu usque adeò veloci tantæ altitudinis; quanto magis, si Deus ipsi esset in corde, iret ad eum inveniendum, ad detinendum se cum illo in paradiso? quamvis ille non opus habeat hac re, quia Deus semper venit ad eum inveniendum, & semper est prope ipsum: unde maxima fit & enormis despectio summæ illi majestati, ipsi non dare audientiam, & vertere se ad creaturas longo tempore, & aliis de causis, quàm requirat honor & gloria divina. Porrò creaturas ipsas non debere nos impedire à videndo Deo, imò tanquam nobiles comites excubitores introducere nos ad audientiam, & præsentiam Dei, sic ille explicabat. Si Deus esset sol, & ejus radij creaturæ, quæ prodeunt à sua omnipotentia, ita ut unus radius esset veritas, alius bonitas, alius pulchritudo, alius fortitudo, & ita de aliis perfectionibus creatis, quæ de supernis diffunduntur ab illo patre luminum in inferiores res creatas: qui videret unum illorum radiorum, tantum abest, illum impediri, ut etiam per illum deberet ascendere ad videndum melius solem ipsum; & quò altius ejus visio, vel cognitio ascenderet, hoc propius accederet ad solem. Hoc sanè eodem modo se habere creaturas nobiscum, esse quasi radios diffusos à divinitate, ad modum, ut, si ego experior in palato suavem dulcedinem, vel dulcem suavitatem, dicam mihi ipsi: hoc est

Reliquit instructiones de varietate concipiendi Deum præsentem.

Res indigna sinere se impediri à conspectu Dei, laquearibus, tectis, muris.

Creaturæ debent nos introducere ad audientiam ad Creatorem.

A creaturis quomodo ascendendum?

unum nihilum in creatura, si per hoc tendamus sursum ad Creatorem, unde dimanat, o quantum crescit, o quàm infinitè majus! Tali modo pura anima Patris Julij, quæ instar tersissimæ cristalli recipiebat in se divinas illustrationes, reflectebat solem justitiæ ejus radiis illustrata. Ex hac hujus sanctæ lucis reflexione, & fervore spiritus divini scimus multos sanctos in tenerrimam dulcium lacrimarum pluviam liquefactos, illud suave, quo in rivulis fruebantur, reflexisse ad illud multum, quod erat in fonte. Tantum se consumebat, & diffluebat in lætos planctus Pater Julius, sicut alibi diximus, in contemplando Deum solùm per reflexionem rerum ab ipso creatarum. Quod si ad illud modicum externum & naturale lumen, quod illæ à se possunt conferre ad cognitionem divinæ essentiæ, accendebatur tantum incendium cælestis amoris in illo dispositissimo ad concipiendam flammam corde, quilibet jam sibi facile imaginari poterit, qualia incendia ab illis internis supernaturalium luminum facibus consurrectura fuerint, quibus Deus ipse per se absque creatæ rei interventu, sese in animum ejus infundebat? adeò ut diceret se illum habere tam præsentem, quàm suum proprium intelligere, suum desiderare, suum amare ad mensuram planè extraordinariam.

Ex parva scintilla magnum incendium

Et capiebat eum multa admiratio, non omnes homines percipere in se illam quasi irradiationem, & odorem divinum, neque videri Deum præsentem in interno, quasi ex parte omnium rerum ipsis occultarum; cum sit verissimum illud, *non longè abest ab unoquoque nostrum*, &, dum quasi continuo in illo secreto obviam habent amicum, ita bonum, ita carum, ita potentem, non tractare cum illo familiariùs, non obtinere, & auferre ab eo, quidquid peterent.

Mirabatur non omnes homines percipere illam divinam quasi fragrantiam &c,

Atque hinc nascebatur in illo ardentissima semper orandi sitis & gustus, cùm affirmaret, parum duntaxat orare, & solùm modico tempore agere cum Deo, non aliud

Ardentissima orandi sitis.

esse,

esse, quàm sorbitiunculam de generoso & optimo vino delibare, quæ potius accenderet sitim, & tormentum exaugeret, non posse illo bono satiari, quod delibatum esset. Ad hujus ipsius facem luminis, quod ipsi valde vivaciter objiciebat præsentia Dei, videbat admodum clarè ejus perfectiones, proprios, & aliarum creaturarum nævos, & facta comparatione infiniti intervalli ab harum vilitate ad excellentias illius dicebat, non habere se tantum animi concipiendi, quomodo tantum audaciæ cadere in humanam mentem possit, ut Deum offendat, & dehonoret. Hinc ad morem illius, qui alteri maximum desiderat bonum, & illum suum omne bonum æstimat, quod semper cuperet laudare, & audire laudari ab aliis, identidem se impendebat laudando DEO; Et pleni sunt libri ejus modorum Deum laudandi, de quibus ille jam de more, & consuetudine utebatur, cum delectu tamen, psalmis, qui magis essent ad propositum in hunc finem. Non faciebat unquam orationem, quod tamen ipsi frequentissimum erat diu, noctúque, cui non hanc, quam ille vocabat Dei laudem, distincta à meditatione & contemplatione præmitteret, quæque temporis spatio durabat satis notabili, qua cum etiam mane experrectus auspicabatur diem. In hac ajebat habere se certam quandam ambitionem sanctam, dignam, quam quilibet bonus æmuletur, nisi velimus privilegium appellare, quod Deus hujusmodi suis amicis impertitur, acceptandi eorum laudes, & admittendi in numerum & chorum Sanctorum, Angelorum, & piorum manium in purgatorio igni detentorum, & justorum in terris, ut simul conficiant concentum divinæ majestati gratissimum in Ecclesia militante, & triumphante, ac dicere possimus confidenter cum psalmistâ; *ut gloriemur in laude tua.* Hanc dignitatem & excellentiam ille creberrimò exaggerat cum incredibili commiserationis sensu erga illos miseros, qui,

Pleni ejus libri modorum laudandi Deum.

Unus Chorus laudantium Deum.

Miseri, qui se ab eo excludunt.

sive dein infideles sint, sive mali christiani, ab hoc magno bono, & honore se excludunt, ab honore, inquam, cæteroqui creaturis rationis expertibus non negato, quippe & illæ suo modo Deum laudant, & ipsi hymnos cantant. Vnde ipse totis viribus conabatur resarcire horum oscitantiam, defectum, & incuriam. Voluit insuper, ut in depromenda laude creaturis parci & moderati essemus, maxime in exaggerationibus propter certam subinde sanctam, ut ita dicam, zelotypiam, ne forsan hoc sit à laudibus Creatoris quoddam diverticulum, in quo solo ille habebat suos repositos amores tanquam in unico bono, extra quod non agnoscebat aliud dignum propria laude. Id quod etiam de sancto nostro Patre Ignatio legimus, ipsum in dandis laudibus, excepto Deo, reprehendere solitum superlativos, quos volebat omitti.

Etiam aloga Deum laudant.

Soli Deo superlativi competunt.

Nihilo minor erat in Patre Julio affectus & propensio erga Christum Dominum, ejúsque sanctissimam humanitatem. Dicebat, qui profiteatur se bonum amicum Salvatoris, ut rem dignam tali amicitia præstet, debere pro salute fratrum, etiam inimicorum, suscipere in se omnem laborem, omne discrimen, etiam capitis & vitæ, sicut ipse fecit; fidus enim sodalis adjuvat alterum in rebus difficilibus & arduis, &, si opus, etiam profundit sanguinem; qui non coàdjuvet ita Christum in salvandis proximis, non esse bonum amicum & sodalem Christi. Et certè ex eo, quod Pater Julius fecit in concionibus, confessionibus, missionibus per tantam mundi partem, clarè apparet, ipsum hoc documentum sedulò & perfectè mandàsse executioni ad usque effusionem sanguinis, & in continuis mille mortium periculis. Imò cum non amplius ipsi integrum esset laborare pro proximis, desideravit, si unquam, pro illis emori. Ad hoc ipsum mortis Christi exemplum docebat perfrequenter debere acceptari à Christianis mortem hoc libentiùs & prom-

Amicus Christi bonus quis?

Ad exemplum mortis Christi,

promptiùs, quò pænosiorem: equidem invenio, ipsum sæpe sæpius se obtulisse Deo ad oppetendam mortem auxiliis etiam spiritualibus destitutam, quia & Christum derelictum fuisse à Patre, dolorosam, amaram, nam & ipsum potatum fuisse felle & aceto, inhonoram & conceptibilem, ipsum enim vilipensum fuisse non solum à fæce plebis, verum etiam à personis primariis, à Pharisæis, Judicibus, Sacerdotibus; Et ego de facili inducor ut credam, Deum audivisse tot replicatas preces, quandoquidem, prout diximus in capite ultimo libri primi, ejus mors ita improvisa de nocte evenit, ut vix pauci potuerint tempori adesse, & videre eum expirantem. Quod equidem heroicum tam desolatæ mortis desiderium ad assimilandum se Christo Domino, est verus & genuinus lapis Lydius germani erga ipsum amoris. In hac nobili humilitate fundata supra imitationem Christi, non ex necessitate, sed per spontaneam voluntatem ostendit se etiam Pater Julius verum filium Sancti Ignatij, qui in ipsa reponebat supremum humilitatis gradum. Si Christus, dicebat Pater Julius, implevit vaticinium de se, non cum fastu, & pompa, prout æquali facilitate & gloria divina potuisset, &, sicut expectabatur à suo populo, qui propter id magis illi applausisset, contentus, loco equorum superbè phaleratorum, & curruum triumphalium, vili asello, loco arcium festivorum, & spoliorum ex inimico relatorum, paucis olivæ ramusculis, loco Baronum, Comitum, principum, pauperibus & simplicibus piscatoribus, & pueris imbellibus stipari & deduci; ita & multo magis debemus nos fugere honores & nostra talenta tegere, & sequi vestigia Christi, si ipsi bene volumus ex animo.

libenter acceptanda mors propria à Christianis.

Desiderium mortis desolatæ veri amoris lapis Lydius.

Supremus humilitatis gradus.

Si bene volumus Christo, debemus illum imitari.

Quantum ipsum dilexerit in sacra communione, satis diximus suo loco, & dicturi quoque sumus alio loco. Hic illud solum memoro, quod ipse dicebat, hoc est, si in

vita noſtra tantum ſemel nobis permiſſum eſſet accipere ſacram ſynaxin, hoc tamen pro gratia habendum ſingulari & maximâ, noſtræ vilitati infinitæ inexpectatiſſimâ, & unumquemque noſtrum illo forunatiſſimo die facturum res grandes, ad ſe ritè diſponendum, ut minus, quàm fieri poſſet, indignè ſuſciperet. O quanto magis deberet æſtimari grande & incomparabile beneficium, quotidie poſſe in ſacra Communione unire ſe cum ſuo Domino, ac Deo? quàm prolixæ & ferventes deberent eſſe gratiarum actiones, quàm humiles admirationes tam profuſæ liberalitatis circa noſtram indigentiſſimam paupertatem, hoc propudioſiorem, quò ſæpiùs abutimur tam grandi dono.

Nunquam defatigatus fuit in præbenda ſacra Synaxi

Ex hiſce conſiderationibus factum eſt; ut ille nunquam in præbenda aliis ſacra Communione delaſſaretur, quamquam eſſet virium planè debilium & exhauſtarum, & illud faceret cum incredibili aſpicientium guſtu & delectatione.

Videbatur ſibi eſſe inſtar Chriſti turbas in deſerto paſcentis.

Et ratio erat, quia ultra id, quod ſupra indicavimus, videbatur ſibi eſſe inſtar Chriſti in deſerto turbas poſcentis, & multiplicantis panes, & in manu habentis theſaurum pretioſiſſimum, & diſtribuentis ſuo arbitrio unicuique totum, nec ſe privato relicto & ſine diminutione illius, poſtquam locupletaſſet tot pauperes. Quæ res etſi ſint veriſſimæ, paucis tamen Sacerdotibus eveniunt, propter modicam ipſorum fidem, nec concipiunt illas tam vivaciter, ſicut Pater Julius, & propterea longè minor apparet devotio in adminiſtrando tanto, & tam tremendo ſacramento. In præbenda ſibi ipſi ſacra Communione dicebat, non poſſe rem æterno Patri gratiorem fieri, quàm offerre ipſi vulnera filij;

Quotidie offerebat æterno Patri Chriſti vulnera.

Et hoc ipſe quotidie faciebat tenens ſacram hoſtiam manibus, cum illis ſenſuum affectibus, quos videmus. Porrò ipſa ſacra vulnera celebrabat encomiis perraris, & ſupra modum bene exprimentibus divinam caritatem, id quod longum foret hic referre. Plurimas meditationes de iis

fecit,

fecit, in una earum per ordinem alphabeti longum numerum conglobavit definitionum de iisdem sanctissimis plagis devotarum simul, simul plenarum amoris Jesu erga nos, simul sui erga Jesum. Istum amorem ut semper conservaret accensum erga Salvatoris passionem, & erga illas divinas plagas, intra quas cupiebat usque delitescere, quotidie recitabat quandam orationem, quam mihi placet huc referre in gratiam devotorum erga passionem Dominicam.

Oratio à P. Julio quotidie recitata.

Oratio.

Domine JESU, qui ex consideratione passionis tuæ in maximam tristitiam incidisti, & factus in agonia, sanguinem sudâsti, & Matri tuæ juxta crucem re patientem & morientem contemplanti, internis doloribus veluti gladiis, animam vulnerâsti; pone me super cor tuum, & super brachia tua, & sicut Magdalenam, etiam super pedes tuos, ut ibi flendo peccata mea, remissionem illorum, & gratiam & dilectionem tuam, & Matris tuæ valeam *obtinere*, *qui vivis &c.*

Ex eo, quod Pater Julius dicebat debere fieri cum Deo ab ipso tam vivaciter in rebus creatis cognito, transimus ad id, quod dicebat debere fieri cum creaturis ab ipso in Deo visis. Dicebat igitur, amorem erga proximos debere esse semper uniformem & constantem, nec unquam mutari, nisi in majorem, ex quovis humano casu, amandi enim sunt in Deo, in quo semper sunt eodem modo, & esse gravissimum errorem aversionem voluntatis ab illis maximè, qui amant Deum, & amantur à Deo, & in eo fieri maximam injuriam illi divino spiritui & amori, in quo omnes boni amores uniuntur hominum & angelorum, & qui averteret se ab ipsis & immisceret amorem quemdam spurium propriæ reputationis, vel commodi, aut simile quid, quod

Amor proximorum debet esse uniformis & constans

Cavenda aversio ab amatis à Deo.

quod deformitatem in illo pulchro efficeret, dignum fore magna castigatione, tanquam ob excommunicationem à Sancto Paulo latam, cùm dixit: *Qui non amant Dominum Jesum, anathema sit*; quia efficiebat deformitatem sacrilegam & detestabilem in illa divinissima uniformitate Sanctorum affectuum. Nec à peccatoribus, qui non amant Deum, dicebat habendam aversionem voluntatis, quia & ipsi possunt nos juvare ad uniendos nos cum Deo, si illos ferventer ei commendemus, cum Deus ardentissimum habeat desiderium, ut oretur pro illis. Vnde qui orat, init arctum fœdus & unionem cum divino hoc desiderio peculiari tatione, quæ ratio ipsi quodam die monstrata fuit in nubecula quadam speciosissima ante conspectum Dei posita, quæ, ut ipsi revelatum fuit, non erat aliud, quàm orationes justorum simul junctæ pro peccatoribus. Dicebat facile esse orare pro ipsis, & miserari illos in ipsorum nævis & ærumnis, ex intuitu, quòd multi eorum debeant esse nostri Sodales in beata æternitate, Sodalibus autem, quibuscum diu vivendum; solere condonari multos errores, & illorum causâ multa supportari, prout fecit Pater Julius, qui ad convertendos peccatores nulli labori pepercit, quærendo ipsos etiam in extrema senecta, cùm jam debile corpus ægrè per compita traheret, & frequentibus illud casibus affligeret, prout illi evenit in festo ascensionis anno 1615. ubi per scalas delapsus faciem tribus locis laceravit, & os ex allisis dentibus ita offendit, ut non potuerit manducare, nihilominus circumcursabat brumali frigore, summis per æstatem ardoribus, obibat pro ipsis jejunia longa & rigida, suscipiebat in se pœnas asperrimas.

Etiam peccatores possunt nos juvare ad uniendos nos cum Deo.

Nubecula speciosissima oratio justorum pro peccatoribus.

Sodalibus, quibuscum vivendum, multa condonantur.

Casus P. Julij in festo ascensionis.

Verùm personas bonas ex adverso debere nobis servire dicebat, sicut antiquis Romanis serviebant imagines nobilium majorum, quas pictas vel sculptas ante præcordia portabant in certis metallis, sicut portant hodie crucem equites,

Imagines nobilium Romanorum antiquorum.

equites, & illas aſpicientes, ad eorum exemplum componebant mores ſuos, abſque eo alioquin evaſiſſent parùm compoſiti; ſimilem in modum, deficiente nobis fervore & devotione debere nos ob oculos nobis ponere imagines & memorias gravium & devotarum perſonarum, notarum nobis & adhuc in vivis exiſtentium, & illas intueri coràm, ac ſi & ipſæ nos reſpicerent, tum enim verò nos minimè auſuros facere, vel ommittere hanc vel illam actionem, &, ſi interiora noſtra rimarentur, ac viderent arcanas cogitationes & deſideria, futurum ut erubeſceremus, non præſumentes facere id, quod non debet, & illud, quod debet, non ommittere. Exempla probarum perſonarum.

Nec ſolùm memoriam aliorum, verùm & noſtri ipſorum, quales ſcilicet antehac fuerimus, debere nobis eſſe ſtimulo ad bene vivendum in poſterum; ſi namque timor perdendi fortunas temporales hominem divitem retrahit à committendis erroribus, eodem modo, qui habeat bonum virtutum, & opum ſpiritualium & æternarum patrimonium, hoc ipſo impelli ad non dandum locum vitiis, quibus decoquantur, & ipſe redigatur ad incitas, juvare enim plurimùm recordationem propriæ bonitatis ad non eam abliguriendam. Etiam nos nobis eſſe ſtimulus debemus ad bene vivendum.

Hinc vehementer quoq; obligari ajebat patres familias, ſuperiores, principes ad juventutem bonis principiis imbuendam, ut ſe tempeſtivè ad omnem applicet honeſtatem, ejusque capiat poſſeſſionem, & fænus, nec expedire illam rigore indiſcreto & præcoce pænarum & exprobrationum ob prima delicta adduci ad deſperationem frugis; quia, quando incipiunt accumulare aſſem virtutis, & laudabilium operum, fiet ex inerementis avara, & adhibetur omne ſtudium, ne diſſipetur, quod jam acquiſitum eſt: ubi autem prima ejus conſecutio nimis ardua atque difficilis fuit, non erubeſcimus poſtea omnino decoquere. Juventus quomodo ad honeſtatem ducenda.

Atque his & ſimilibus documentis reddebat amabilem boni hominis Chriſtiani vitam illis,

qui non erant capaces operandi majori cum perfectione & ex impulsibus altioribus: ac de educatione quidem juventutis,& de institutione ejusdem reliquit libellum quendam scriptum valde utilem ad Baronem Neapolitanum Comitem de Castello Abbatis, qui ob magnam utilitatem,quam capiebat ex familiari consuetudine cum Patre Julio, protestabatur, si omnes sui filij facti fuissent religiosi societatis, futurum se fuisse contentissimum ; & duo ipsorum jam hauserant ex sancta ejus conversatione , & documentis sancti hujus propositi desiderium.

De juventutis institutione reliquit libellum perutilem.

Et quia jam ex parte tetigimus incitamenta virtutis, quæ ille solebat juvenibus instillare, afferam hic nonnulla valde ipsi familiaria cùm pro sua tum pro perfectione proximorum. Dicebat esse signum animi ignobilis non libenter tolerare contemptus, & jacturam rerum temporalium etiam violentam,&,quia hoc primo aspectu valde adversatur dictaminibus & regulis mundi, ejus rationem dabat sequenti similitudine. Agricola,cui domi suæ est curta supellex, nec, si ea ipsi eripiatur, habet unde eam reparet, si accidat, ut ei subripiatur, tum enimverò incidit in cogitationes desperabundas, & in consilia furiosa & violenta, non alia de causa, nisi, quia est mendicus, nec habet,quomodo suis ruinis succollet. Non ita dives & pollens,qui ridet suorum conatus adversariorum,vel quia contra ipsum non possunt prævalere, vel quia habet in manu, unde resarciat damna. Eodem modo animus virtutum dives, qui thesauros suos habet repostos in cælis, nihil turbatur in jactura fortunarum,& honorum temporalium,quia certus est illic sibi esse abunde , unde jacturam sibi hic infra illatam restauret & reparet. Et qui non habet grandem hunc animum, & vilitatibus his terrenis superiorem, ille meretur nomen ignobilis,& parùm,imò nullo modo generosi. Dicebat ulterius, si hic talis non habeat illam confidentiam nobilem, saltem habeat

Signum animi vilis non libenter tolerare jacturam temporalium.

Explicabat doctrinam hanc similitudine.

Qui non habet animum hunc grandem, meretur nomen ignobilis.

habeat humilem fidem providentiæ de Deo, qui pro despectionibus, & humiliationibus nobis procurat honores, ita ut dici possit: *Nimis honorati sunt amici tui Deus*; etsi multi pusilli intellectûs non pertingant ad istam veritatem, & lamententur de Deo, sicut canes & cætera animalia non capiunt, hominem sibi velle bene, dum subinde illa baculis excipit, ac subtrahit ea, quæ ipsis nocerent; etsi illa impotenter contra eum insurgant, & excandescant. Ita homines se habent erga divitias & honores, quibus plerumq; utile est hujusmodi subtrahi, etsi illi hoc non cognoscant. Sicut frigus hibernum arboribus, tametsi videatur illas facere aridas & siccas, plurimùm prodest ad plures fructus suo tempore reddendos. Fundabat Pater Julius stabilitatem horum axiomatum supra illas duas grandes, & ponderosas petras, quarum altera claudebat os lacûs Danielis, & altera os sepulchri Domini; sicut enim illæ obsignatæ erant ad sepeliendum non solum corpora, sed & nomen, famámque utriusque, & nihilominus ad illas per se majori cum stupore apertas longe major lux gloriæ penetravit, sic ad eundem modum ingenium, quo utitur mundus ad deprimendos justos, servit istis, ut fiant glorioſiores etiam in hac vita; quanto magis in altera?

Frigus arboribus prodest, etsi eas aridas reddat &c.

Petræ Danielis, & sepulchri Domini obsignatæ erant, nomen tamen famámque apertæ intromittebant.

Sursum, dicebat, oportet ascendere cum cogitatione, quando quis se videt vilipensum in terris, & ab hominibus contemptum, & re bene perpensa observare, in illa regia aula secundum numerum & mensuram ærumnarum hic in terra pro Deo exantlatarum augeri illic dignitates & honores, & loco unius vilis & mortalis homuncionis, tibi contumelias pro nomine Jesu exhauriendas offerentis, ab infinitis illic & immortalibus beatorum choris te commendari, & exaltari supra stellas. Ad hanc considerationem calamitates, & depressiones non solùm perferri cum patientia, verùm & cum gaudio, & desiderio, ut multiplicentur.

Secundum mensuram hic, augentur illic dignitates.

centur. Ità lego in unis 23. Auguſt. datis anno 1614. Neapoli ad Patrem Hieronymum Coſtam quatuor annis ante mortem, valdè gaviſum fuiſſe, ſi rigidè tractaretur, id quod ipſi quidam Pater Miniſter fecit, quaſi de regalibus donis ſuæ ſenectuti à Deo reſervatis. Ejus verba ſunt ſequentia;

Gaudium de rigore cujusdam Miniſtri.

Eſt modò hic quidam ſuperior, qui examinat meas res, etiam literas, ſicuti fieret cum Novitio, quod eſt donum mihi reſervatum à Domino, pro hoc mortis tempore, ad majus meum meritum, & perfectionem, & valde mihi placet. Et habebat ille pro evidenti ſigno & præſentis ſanctitatis, & futuræ beatitudinis, ſi quem videbat rebus in adverſis agere tranquillo, quieto, & jucundo animo, & vultu exporrecto, ſicut de populo legimus afflicto, & poſtea obtentâ victoriâ læto, in libro Judittæ: *Erat autem populus jucundus ſecundum faciem ſanctorum.* Jam verò, quoniam ſubinde aliqui infirmi vacillant, nec ſe in conflictu injuriarum poſſunt immoti ſuſtentare ſpe futuri honoris, & præmij à Deo ſeponendi, ipſe ſic eos erigebat; *Si quis homo, etiam nequam, etiam Turca ſentit ſibi viſcera moveri miſericordiâ tacto, cùm videt coram ſe debilem à potente opprimi maximè contra juſtitiam, & ſi eſſet ejus in poteſtate, illum eriperet illâ ærumnâ, non idem cogitandum de Deo? qui eſt viſcera miſericordiæ, & ipſius juſtitiæ zelus, in cujus præſentia omnia fiunt, quæcunque fiunt, an illum putamus fore ſpectatorem otioſum, non ſumpturum vindictam, neq; ſaturum pro innocentibus per injuriam offenſis?* Eſt tamen ipſi permittenda vindicandi ratio, quam exigit juſtitia, illam ſcit, poteſt, & vult facere meliùs, & hoc magis, quo minùs eam ſument ex ſe.

Erat autem populus jucundus ſecundum faciem Sanctorum.

Sentite de Deo in Bonitate &c.

Simili perfugio docebat etiam nos debere uti contra tentationes Dæmonum. *Oportet*, inquiebat, *in illis per memoriam ſe recipere ad illas cryptas & cavernas, in quas ſe primi Chriſtiani recipiebant adverſus tyrannorum furorem, atq; illic in medio atrociſſimarum tempeſtatum perfruebantur optata*

Primi Chriſtiani in cryptis habitabant.

pace,

pace, quia decretum ipsis erat pati pro Deo, & potius mori, quàm obedire eorum impiis edictis ; Ita tentatus recurrere debet ad vulnera Christi, quæ sunt caverna maceriæ, atq; illic nihil turbari, imò assultus inimici deridere, cùm namq; victoriam habeamus in manu, dummodo nolimus perdere, facile de toto Acheronte agemus triumphum. Itaque semper sive contra externos sive internos hostium incursus volebat nos servare eandem serenitatem vultûs radiis optimæ spei florentem de divino succursu. Imò accedentium ad confessionem reprehendebat seriò certam quandam anxietatem & solicitudinem, qui cùm dies advenit, & tempus, videntur sibi reducti ad punctum & horam partûs, toti anxij, toti dolentes, parùm memores divini amoris, qui ex illo liberalissimæ ignoscentiæ mysterio mirum quantum elucet, & propterea in eo, qui se ad id disponit, tranquillitatem, pacem, spem alacrem, & lætam cum actionibus gratiarum requirit. Præterea, si peccata commissa afferant timorem & tristitiam, id dignum & justum esse, & multo etiam amplius, & ideo nolle currere ad confessionem, ut simus ea liberi, & effugiamus illam parvam pænam & molestiam, intuitu maxime, quam meruimus, ablegatis tamen prius à nobis procul nimiis anxietatibus, eundum esse cum fiducia & gaudio ad illum tam uberem misericordiarum fontem. Et istam quietam ad confessionem præparationem præscribebat ille tanquam utilissimum remedium scrupulosis, loco competentis cujusdam reverentiæ, quacum hoc Sacramentum charitatis obeundum esset, & pro potentissimo adversus peccati venenum antidoto in futurum.

Nostentatu in vulneribus Christi.

Accedentium ad confessionem anxietatem reprehendebat.

Utilissimum scrupulosis remedium.

Paucis ; magnus iste Dei servus in omni doctrina sua eò tendit, ut animos & corpora personarum spiritualium disponat ad quandam tam in interno quàm externo perfectam & imperturbabilem pacem, ut ne quidem vel modicè turbentur, tametsi contra ipsas insurgant armati, &

Pax imperturbabilis.

portæ inferorum rebellent,& adversum rationis imperium contumaciſſimè debacchentur mentis affectiones: qua in pace, uti mihi perſuadeo, conſiſtit ſumma perfectionis in hoc mundo, & qua Deus habitat in eo, cujus locus eſt in pace, poteſt dici eſſe paradiſus, & verus anticipatus æternæ beatitudinis præguſtus, & promulſis. Non ſecus hic nobis, inquiebat, ſuccedunt proſperæ, & adverſæ res, ſicut cum navigamus gurgitem maris dormientes, ut prius ſimus in portu, quàm advertamus nos à littore ſoluiſſe, aut ſicut qui iter agunt, ſupra magnum lacum congelatum & nive opertum, exiſtimant ſe calcare terram, & ſolum denique cùm reſpiciunt, intelligunt, quantum evaſerint periculum. Et verè non exiſtimabat in rebus mundanis eſſe facile aliud tam conſideratione dignum, quàm periculum perdendæ inter ipſas felicitatis æternæ, ac præterea rebatur ex grati animi officio obligari erga Deum illos, qui indemnes, & incolumes trajiciunt ſine jactura ſui ipſorum. Sicut accideret, qui per ſilvam plenam latronibus, ubi plerique omnes iter agentium exuerentur, & vitâ & fortunis, ille tamen unus & cum vita & cum re evaderet incolumis,& intactus; vel qui ex magno campo, in quo & conflictus, & ſtrages facta eſſet univerſalis, & innumeri jacerent mortui, & vulnerati, ipſe unus integra cum cute abſque cicatrice vel ſanguinis ſparſione abiiſſet. Cui mundus ſub figuris uſque adeò inamænis repræſentabatur, facile jam prudens lector apud ſe ſtatuet, quanto cum faſtidio & rerum nauſea in eo ageret vitam, & quàm libenter inde ſe expediiſſet, atque ideo moriendi ſpes illi afferebat lætitiam, cùm propter timorem, ne momento perderet, quod tanto lucratus erat tempore, tum, quia ſi Deus gubernat illic, ſicut hic,& hic inter tot mala nobis tam bonus eſt, qualis illic tandem inter tot bona futurus eſt? Inde fuit,ut,cùm ex gravi infirmitate,in qua ſe credebat morituram,ſe videret convaleſcere, valde

Dei locus in pace.

Sicut gurgitem maris navigant dormientes, ſic nobis transeunda improſpera.

Felix, qui evaderet, ubi omnes deſpoliantur.

Si Deus inter tot mala hic tam bonus eſt, qualis erit illic inter omnia bona?

valde se affligeret, nec facile solatium aliud admitteret, nisi ex eo capite, superstitem posse quibusdam etiamnum se nævis emundare. Asserebat & ex certa contestatione, indignum se, cui tanta fieret gratia, & in tot litteris à me lectis, propria manu exaratis Neapoli ad varios suos amicos illis ultimis annis semper illud suum magnum moriendi desiderium inculcat, ac dicit, mortem identidem illud absurdum committere, ut saltet extra rhombum, séque inutilem transiliat, rapiendo in censum suum tot juvenes, qui possent adhuc multa bona præstare.

Semper suum magnum moriendi desiderium inculcat.

Vt procul omni affectu & amore erga hanc vitam degeret, considerare se solebat tanquam nondum natum. Et si illi, qui nondum natus est, nihil molestiæ affert locus, vel officium; sicut neque molestiam affert nato, non esse uno eodémque tempore in pluribus locis, ita non debet molestum esse viventi; Intuitu namque æternitatis breviſſimum vitæ tempus non aliter se habet, acsi nondum veniſſet. Nec solùm reputabat se tanquam nondum natum, verùm omnes alios, tanquam jam mortuos. Ita notatum invenio, illum sibi solitum fuisse figurare nobiles, ignobiles, pauperes, divites, omnes uno fasciculo collectos, nudos vestibus, gradibus ac dignitatibus exutos; imò sine carne & pulpa, tanquam ossa arida, & alba in cæmiteriis jacentia. Hinc illa caritas erga omnes æqualis, absque ulla distinctione & respectu, nisi quòd similitudo Christi, quem in pauperibus longè vivaciſſimè agnoscebat, illum multo potentiùs traheret ad hos inclinatum & proclivem. Ex hac ipsa cogitatione, qua sibi pauperes, & æqualem à creaturis omnibus avulsionem in animum inducebat, etiam ab illis, quibus natura illum strictiùs per vinculum sanguinis alligaverat, cùm abdicaret se bonis tam paternis, quàm maternis, nihil suorum consanguineorum recordabatur; omnia transscripsit Collegio Maceratensi tunc temporis egentiſſimo;

Vt affectum vivendi moderaretur, considerabat se velut necdum natum.

Caritas erga omnes æqualis, nisi quod in pauperibus Christum magis agnoscebat.

Benefactor Collegij Maceratensis.

simo; quamvis superiores nostri ultrò hanc abdicationem cesserint consanguineis, prout Pater Julius meminit in unis suis ad Dominum Leonardum Nepotem datis Neapoli 15. Maij anno 1615. significans illi, tabulas instrumenti asservari Romæ in officio Gerardini.

Et quamvis eum sæpius agere cum personis illustribus oportebat, quæ quotidie illum conventum volebant super negotiis cùm sacris & ad conscientiam spectantibus, tum prophanis, & maxime proregis Neapolitani, nihilominus licet cum corpore ingrederetur in eorum palatia, semper tamen cum animo regrediebatur cogitationibus in paradisum destinatis, per has vel similes illi perfamiliares reflexiones: si maledicentia hominum non potis est mihi eripere gratiam magnatum, quantominus tentationes dæmonum poterunt me privare gratia Dei mei? Et hoc eo amplius, quod vincere istas positum est mea in potestate, & obtinere audientiam à Deo est ita facile, quàm eam velle. Ita nimirum vivebat, qui semper in desiderio habuit mortem, & ita ardenter desiderabat mori, qui semper vixit absq; ullo glutino vel visco amoris ad creaturas. Et hanc dicebat debere esse continuam occupationem nostram, hoc est, per renuntiationem quandam generalem omnium rerum conari eum statum adipisci in terra, quem habituri aliquando sumus in cælo. Quod quanquam ipsi jam ad summum perfectionis apicem provecto per usum & assuetudinem facillimum & proclive evasisset, non possumus tamen negare, difficilem suam, & naturali pondere roboratam indolem magnas ipsi fecisse difficultates. Dicebat tamen valde repugnare catello stare rectum pedibus posterioribus, nihilominus vel minis bacilli, vel spe delicatioris boli assuefieri perbellè ad opus sibi difficile & arduum; ad eum modum indolem nostram pravam, & inclinatam ad casum deorsum, si auriculam circumstrepat ferula divinæ

Ingrediebatur in palatia corpore, animo erat in paradiso.

Dictum valde spirituale.

Audientia apud Deum tam facilis, quàm eam velle.

Catellus spe boli discit stare pedibus posterioribus.

divinæ vindictæ contra eum, qui cadit, vel si ipsi ponatur ob oculos pulchritudo remunerationis, qui se erigit in pedes; noviſſe se ſuſtentare,& ſtare rectam in pedibus,& currere viam mandatòrum Dei; nec poſſe hic prætendi ſenectam,quæ ipſa ſit morbus,& in caſum propenſa,imo exiſtimare ſe, ſi ſenes repueraſcant, & juveneſcant in corpore, illos multo magis juveneſcere debere in ſpiritu; Et me minimè latet, ipſum in ætate ſua decrepita fuiſſe multo ferventiſſimum, qui inſtar novitij incipientis innovaret propoſita ſua, exaugeret pænitentiæ opera, multiplicaret orationes, annotaret ſua lumina, & fructus, quos ex oratione perciperet.

Senes ſi repueraſcant in corpore, multo magis juveneſcere debere in ſpiritu.

In ætate decrepita fuit multò ferventiſſimus.

Et valde puduiſſet illum, inquiebat, ſi plantæ,quò annoſiores ſunt,hoc altius agunt radices,& artifices,quò longius tractant artem, ſemper fiunt excellentiores, & milites quò magis veterani, hoc plus merentur, & ipſe in cultura ſpirituali ſemper minus alta fundamenta jeciſſet, in arte amandi Deum ſemper imperitior evaſiſſet, & in militia cæli uſque magis Novitius? Ita obligabat illum ſuæ profeſſionis ratio, ita docebat ille proximos ſecundum deſiderium,quo flagrabat, eorum ſalutis & perfectionis. Dicebat igitur neceſſarium eſſe, aures apertas tenere,& attentas iſtis æternæ vitæ dictaminibus,& optimis regulis,maxime amatores hujus præſentis vitæ, pomparum, & eminentiarum ejus; quia Dæmon ipſos confidentius, & impudentius aggreditur propter eorum cæcitatem, quoniam obcæcati ſunt fucato ſplendore mundanæ vanitatis, & ſibi perſuadet, eos ſe facilius vincere poſſe,ejúsque rei ſe habere experientiam in ſe ipſo, ita miſerè à tentatione profligato, quia excæcatus nimiò ſuæ præeminentiæ ſplendore non vidit, quid ejus eſſet officij, & cecidit tanto profundius, quanto altius oculos ſuſtulerat. Pari modo eum experientia docuit primorum hominum, qui ſimili vertigine correpti in tantò ma-

Valde turpe,quo annoſior, hoc impetitior.

Diabolus exemplum capiat à ſe ipſo.

Et primi parentes.

jorem prolapsi sunt caliginem, quanto magis credi volebant se oculos tenere apertos. His talibus, qui ex eo cæci, quia nimium videre volebant, non possunt viam salutis aspicere, præscribebat pro itineris duce certam simplicitatem in quatuor partes distributam.

Pro nimis videntibus remedium, simplicitas.

Primam vocabat Christianam, quæ consistit in submittendo, & ligando suo intellectu ad credendum, quodcunque proponit Ecclesia, absque eo, ut quis velit examinare per rationes, si id conveniat, vel non. Secundam vocabat Theologicam consistentem in fiducia certa providentiæ divinæ, acceptando res omnes, quæ eveniunt, à manu divina, & ab ipsius sceptro, & acquiescendo illis tanquam ab ipso ordinatis ad majorem ejus gloriam, & nostrum bonum, absque aliarum causarum examine. Tertiam vocabat politicam, vel philosophicam, quæ se remittit totam personarum gravium, & prudentum arbitrio & judicio, propriámque opinionem illarum opinioni, & examini submittit. Quarta simplicitas religiosa est, & omnium perfectissima, quæ omnem suam voluntatem, & judicium subjicit superiori multò magis, quàm ulli alij, qui superior non est; sicut Christus Dominus patri suo æterno se submisit, & dixit: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Sic hominem Christianum & religiosum tutum incedere ab omni periculo, & sic ipse se gubernabat. Sicut itaque tota perfectio consistit in facienda voluntate Dei, & Pater Julius in hoc fuit exactissimus, ita in dandis documentis in hac materia inchoavimus hunc librum, & faciamus finem in iisdem.

Prima Christiana, altera Theologica.

Tertia politica.

Quarta religiosa.

LIBER

LIBER III.

DE VITA PATRIS JULIJ MANCINELLI.

Visiones, Revelationes, Gratiæ singulares ipsi à Deo concessæ.

IN hoc ultimo libro habiturus quidem sum materiam scribendorum copiosam admodum & prolixam, verùm, ut opinor, non ita ex ordine & continenti filo pendentem; Pater enim Julius jam prius eam scripserat: Cùm autem sua eum animi demissio interpellaret, totam deinde historiam dilaceravit metu & odio vanæ gloriæ, quòd cùm superiores rescissent, novum ei præceptum injunxerunt, ut eam iterum conscriberet, quod cùm aliquot post annis obedienter exequeretur, factum est, ut ille rerum omnium non tam exactè amplius meminisset, & multa adjuncta alioquin historiam valde exornatura vel fileret, vel omitteret, satis habens substantiam indicâsse factorum,& obediviſse, adjuncta autem sive accidentia non magnopere accuravit ex dubio, ne forsan quà deciperetur, quanquam ipse plus quàm certus esset, suum spiritum esse bonum & tutum ex continua eventorum serie,& infallibili successu,item ex certis assistentis sibi divinæ gratiæ & per superiores approbatis signis,quos inter erat Sanctus Franciscus Borgia sibi amicissimus, & in hisce casibus versatissimus, & ab omnibus prudentibus ac bonis viris,qui ipsum noverunt,ac cum eo egerant.

P. Julius à se scripta dilacerat.

Imperata nova scriptio.

Omisit adjuncta rerum, accessit oblivio.

P. Julius scripsit tractatum, in quo distinguit revelationes, visiones & intelligentias.

Nec ipse similibus in rebus hospes fuit & peregrinus, nam integrum & solidum reliquit tractatum, in quo summâ cum prudentia, doctrinâ ab experientiis collectâ describit, & distinguit revelationes, visiones, & intelligentias, separat bonas à suspectis, docet modos eas cognoscendi, ne ab astuto decipiamur spiritu, qui se transfigurat in angelum lucis, ut simplicibus & incautis imponat. Quo in proposito solidè valde & perspicuè tradit modos, quos tenet intellectus noster operandi, de divisionibus, & speciebus, de viribus imaginatricis facultatis, de varietate phantasmatum, de operationibus, quæ haberi possunt à natura, & quæ à gratia, ut & ultra naturalem, & acquisitam etiam se probet experientissimum supernaturalis & infusæ philosophiæ; lectorique sua lustranti planè persuadeat, fieri de facili non potuisse, ea subjecta esse erroribus. Inter plurima ab ipso relicta ego faciam delectum, afferámque ea duntaxat, quæ sunt illustriora, neque tædio esse possunt legenti propter similitudinem.

Operationes naturæ & gratiæ.

CAPVT I.

De Sanitatibus miraculosè collatis.

IN hac materia, qua de agunt omnia prope hujus vitæ capita, & quæ sola sufficeret contexendo magno volumini, placet mihi exordiri in hoc præsenti capite, ab eo, quod mihi causa & occasio fuit scribendi omnia reliqua capita, & est inventio cujusdem cilicij Patris Julij miraculosa, plus quàm quadraginta annis post ejus mortem Maceratæ in Patria sua in lucem protracti, ubi postquam per illud (ita dicere ex vero possumus) moribundam à morte ad vitam revocavit, pergit nunc quotidiè servus Dei conferre gratias, & continuata beneficia. Lucia Vxor Petri de

Inventio Cilicij miraculosa.

de Valentino Maceratensis 18. Junij anno 1660. jam à sex mensibus gravida circa noctis horam sextam acerbissimis corripitur doloribus, qui & sequentem in diem perdurârunt frequenti cum vomitu, ita,ut,cùm non posset reciprocare spiritum,timeret mortem. Accesserunt torsiones ventriculi, & oppressiones cordis cum deliquiis, & accidentibus mortalibus usque in ipsum 20. Junij diem, medicus, cum nihil proficerent remedia, imò malum augerent, morbum vocavit Tartaricum, utpote qui nullam sanitatis faceret spem reliquam. Hoc in statu & à propriis viribus, & à medicamentis aliorum destituta convertit se moribunda ad multos sanctos suos advocatos,& nominatim ad sanctissimam Virginem de Rosario.

Lucia uxor Petri de Valentino.

Nec frustra, quippe leni quodam sed brevi correpta somno (non dormiverat amplius spatio,quo quis Psalmum diceret quinquagesimum) sentit sibi tangi pectus,ubi dolor erat acutissimus. Apertis ad contactum illum oculis videt clarè monachum albo vestitum amictu, prout Patres Dominicani solent, absque cucullo. Cui illa dixit,faceſſeret hinc,& clausis iterùm oculis prosequitur somnum. Verùm, ecce! denovo sensit se excitari contactu ejusdem loci. Referat iterùm lumina, & videt eundem religiosum cum cucullo per humeros fuso, capite aperto, lætum,alacrem,ætate florida, ore subridente. Ipsa nihilominus perculsa jussit ipsum iteratò inde facessere. Ille autem, *ne timeas*, inquiebat, *utere non aliis remediis; mitte ad Galeotum pro illo thorace, applica illum ad nudum corpus, & eris sana.* Infirma intellexit debere se mittere ad Dominam Galeoti, quæ erat ejus patrina, sive commater. Verùm non dixerat ille religiosus jam ab ipsa creditus mitti à cælo, sed mitte ad Dominos Galeottos ad sanctum Joannem. Circumfusæ Dominæ, quæ audiebant eam sic loquentem, nesciebant, quocum loqueretur, putabant eam delirare, & accedentes

Apparitio cujusdam Dominicani.

ad lectum eam alta vocabant voce: illa, tametsi perciperet earum vocem, non tamen dedit responsum, tota occupata cum illo servo Dei. Vna earum metuens ne grave quoddam pateretur accidens, complexa voluit eam vertere in alterum latus; Tum illa; *sine*, inquiebat, *non vides illum monachum?* ad quæ verba ille dulcè subridens disparuit sublevatus sensim in aëra. Et sanè Lucia optimè vidit in egressu elevâsse eum stoream, lectuli sui paupertinum tegumen, vidit etiam medium corpus cingulo nigro circumdatum, duos digitos lato, volante per aërem. Quo exactius illa narrabat visionem, hoc magis credebant illæ mulieres eam delirare, cùm præsertim malum non mediocriter increvisset. Vnde veritæ, ne moreretur absque Sacramentis, cæperunt illam exhortari ad confessionem, & proponere nominatim confessarium. Consensit illa in exomologesin, verùm confessarium petiit alium ab eo, quem proposuerant, nempe Patrem Ministrum Collegij, qui mox advolavit. Exorsa confessionem parùm abfuit, quin eam mediam cum morte divideret, adeo grave accesserat symptoma. Absoluta tamen confessione, & nonnihil reddita viribus exposuit memorato Patri totum successum visionis, multis verbis contestata, se optimè mentis compotem esse, ac proinde desideratum sibi thoracem procuraret.

Continuatur visio, & quæ sequuntur.

Petitur thorax.

Promisit Pater Minister id se facturum, sed tali cum subriso, ut illa bene adverteret, id non ex animo dici. Non credidit ille visum, & propterea in reditu ad Collegium, & in platea Sancti Joannis, ubi nostrum est templum, conspicatus Thomam Galeottum (cujus ædes erant in eadem nostra platea, & is ipsus fuit, quo de loquebatur visio) nihil ei dixit de successu, sed ingressus Collegium solita sui officij negotia confecit. Non ita multò post ad templum alia de causa descendens conspicatus de novo memoratum Dominum Thomam cum aliis duobus nobilibus, ac cum quodam

quodam è nostris Patribus consistentem, potius joci causâ, quàm quod fidem narranti mulieri haberet, ex eo interrogat, ecquem tandem exoticum domi suæ abditum haberet thoracem? stetit attonito similis Thomas, fuitque illa interrogatio aliquamdiu materies familiariter jocandi, donec ille alter Pater non ignarus Dominum Thomam esse cognatum Patris Julij suscitatus est ex eo, num forsan aliquid recularum domi asservaret in memoriam dicti Patris Mancinelli? *Omninò*, dixit, *cilicium*, & rogantibus aliis, *utrum illud cilicium esset factum per modum thoracis?* Compertum est, esse eâ formâ, cum funiculis ante pectus, absque manicis. Hic omnes venerunt in eam sententiam, infirmam non delirâsse, & visum illud esse veritati consentaneum, ac Dominum Deum per merita servi sui velle illi facere gratiam. Quamprimum fieri potuit, thorax ille protractus in lucem & à Patre Ministro allatus fuit ad ægram. Non fuit illâ lætior mulier in mundo, & quòd non illusa, quódque ex illo morbo non esset moritura. Cum cilicio attulerat ei imaginem Patris Mancinelli æri incisam Neapoli, quam mulier crebrius dissuaviata magis corde, quàm linguâ venerabunda se illi commendavit. Omnes, qui aderant, flexis genibus commendabant servo Dei infirmam. Inde mulieres summoto supernè nonnihil indusio, juxta admonitionem supra factam, induerunt ei thoracem super nudum pectus. Intranti postea Patri Ministro statim dixit, se valere, sentiréque mirum refrigerium.

Venitur in memoriam thoracis.

Thorax ille denique protractus est.

Induta thorace statim convalescit.

Quæsivit ex Patre Ministro, in quem diem incidisset mors servi Dei, ut voto nuncupato illum diem singulis annis posset celebrare, dum autem Pater cum imagine in manu accedit fenestram visurus diem mortis, alta voce inclamat ægra, esse se sanatam ex toto, malum totum cum doloribus abstersum diffugisse. Et ita erat. Non surrexit continuò ex lecto, quia nox erat, & ipsi vetitum. Fuit ipsi allatus

allatus cibus, quò ritè comesto capessivit somnum persuavem, non secus ac prius ante morbum. Altero die Beato Aloysio Gonzagæ sacro deseruit lectum, & tertio inde, quia citius ei per medicum non erat integrum, adiit templum nostrum, confessa est, sumpsit sacram synaxin, ac sospitatori suo debitas egit gratias. In hoc facto velim, meus mecum lector aliquot facere reflexiones ne gravetur, quæ faciant ad id multò illustrius reddendum. Inprimis morbus pro eo, ac medicus cum juramento affirmavit, erat lethifer,& ægra jam deducta ad extrema. Sanitas collata repente,& in brevissimo spatio,de quo testes jurati. Cilicium est asperrimum, sicut dicebam lib. 2. capite de pænitentiis. Nihilominus ægra affirmat, quæ etiam post recuperatam salutem, illud gestare voluit per quinque horas, nullam se prorsus per sensisse punctura,id quod etiam aliis infirmis beneficio donandis accidere solet,non item iis,qui gratiam non consequuntur,quibus permolestum est,& mordax.

Reflexiones aliquot super Cilicio,& hoc facto.

Ipsa Lucia asserit cum juramento se non habuisse allam de Cilicio notitiam, multo minus suos domesticos, qui, cùm ipsa loqueretur, credebant eam mentis impotem. Illud nomen quoque, guibbone,sive thorax,erat tam peregrinum,ut nunquam hoc nomine nec à possessore quidem appellaretur; & in Civitate nemo ejus sub quocumque demum nomine recordabatur. Certum est,neminem ullum de Collegio nostro quicquam sciviſſe. Notatu quoq; dignum est, & videtur absque peculiari Dei instinctu non potuisse contingere, ab illo nostro Patre repente Galeottum interrogatum fuisse,utrum domi suæ aliquid reliquiarum asservaret de Patre Julio, cùm tantum esset sermo de quodam thorace, ne nominato quidem Patre Mancinello, denique videtur subesse Mysterium, jam primum iterum incipere hunc servum Dei signa dare suæ sanctitatis, cùm terminus à sancta sede præfixus in eo est, ut brevi

Nulla habebatur notitia de Cilicio.

Terminus à sancta sede præfixus expirat.

expiret,

expiret, post quem integrum est formare processus de vita hominum, qui cum sanctitatis opinione obierunt, quasi cœlum ipsum velit tacitis quidem, sed valde efficacibus votis & suffragiis exhortari non solùm patriam, verùm & ipsam nobilissimam civitatem Neapolitanam ad generosè & constanter prosequendam tam laudabiliter susceptam de ejus apotheosi expeditionem.

Probabile fuisse S. Dominicum vel quemvis Domnicanum.

De eo, qui mulieri adfuit adspectabilis in habitu Dominicano, non habetur certa notitia, quis fuerit, equidem sum, & eram ejus opinionis; sicut Pater Julius in vita magno ferebatur affectu & studio, erga illam sanctissimam, & clarissimam religionem, & erga eorum Patrum Maceratense templum, quod de Gratiis nomen habet, cui de sancta Apollonia V. M. dentem cum approbatis testimoniis donavit, quem hodiéque illi Patres publicæ exponunt venerationi, ità Sanctum Dominicum, vel quemvis alium de plurimis & insignibus, quos habet religio illa, sanctis grati animi causâ, qui in cœlis longè magis regnat, quàm in terra, voluisse descendere ad revelandas Patris Julij reliquias in Patriâ suâ. De hoc facto extat processus authenticus manu Notarij, cui insertæ sunt cum testimoniis juratis multæ aliæ illis ipsis diebus collatæ sanitates etiam graviter infirmis, qui comperto, quid Luciâ factum sit, eadem fide & fiduciâ expetierunt Cilicium, & subitò illo misso potiti sunt sanitate. Hos inter pictor est, qui momento ex ardentissima febri convaluit, consurrexit, adiit templum nostrum, prolixas illic gratias genu flexo sospitatori Patri Julio acturus; cujus imaginem ex Collegio petiit in animi memoris signũ pro sua pietate depingendam. Nec jam propè æger est in civitate, vel in vicinia, qui hòc Cilicium non expetat, quo plurimi sanantur. Civitas tot signis permota coacto concilio, ad quod nobilissimus quisque solet convenire, publicum fecit decretum promovendi, quantum in se esset, san-

Dentem S. Apolloniæ donat P. Julius Dominicanis.

Misso cilicio potiuntur sanitate.

Pictor repente convalescit.

ctas Patris Mancinelli glorias, quocum multi præter patriam, etiam sanguinem & prosapiam haberent communem. Nolim hic referre decretum, ne longior sim, quod in prolixiore quadam hujus facti narratione procusum extat, cui imago æri incisa adjuncta est liberalitate Petri Franciſci Mancinelli pronepotis Patris Julij, quæ eadem venerabundis multas solet gratias conferre. Et hæc quidem Pater Julius tanto tempore post mortem operatur.

Imago P. Julij multas gratias confert.

Videamus nunc, quid in hoc rerum genere prius per ipsum, quàm moreretur, fecerit Deus, & præsertim in florentissima civitate Neapoli, quæ diutius illum civem & inquilinum meruit habere. Dominus Comes Montis Aperti Principis de Monte Mileto nepos gingivas habuit omninò consumptas, & à salso humore abrosas, ita ut dentes nudi investes sine carne extarent, sicut in calvis mortualibus, venit ad Patrem Julium Neapolim, & monstratis dentibus pudibundè se ejus commendavit orationibus. Pater Julius fecit signum Crucis supra dentes. Comes repente convaluit, & incarnati sunt dentes. Joannes Baptista de porta septuaginta sex annorum senex decumbebat graviter in lecto vir Patri Julio peramicus. Pater nihil ejus de morbo cognoverat, sensit tamen intus se moveri ad eum invisendum. Invisit, reperitque illum aggravatum Advertit Pater, quam ob causam sensisset instinctum. Optimus senex mirè lætus de inexpectata amicissimi viri præsentiâ rogavit servum Dei, faceret supra se signum Crucis. Quo facto statim valuit, surrexitque è lecto. Pater Minister horum omnium ignarus altero die ad eum invisit, reperitque illum extra stratum valentem. Similis attonito non poterat rem capere, intelligit ex ipso, Patrem Julium eum momento signo Crucis persanasse. Pater Cæsar de Vivo in sæpius citata depositione sanitatem suæ nepti collatam narrat his verbis.

Repente convaluit, incarnati dentes.

76. annorum senex repente sit sanus signo Crucis.

Ad

Ad mortem ægrotabat Domina Julia Valcarella Domini Franciſci Soror. Pater Julius ad eam inviſit, recitatis ad lectulum infirmæ litaniis beatæ Virginis genibus flexis, intingit in vas aquâ plenum ſuam coronam precatoriam; jubet, ut ex illa aqua bibat, quo facto intra paucos dies illa ex integro ſana, valéns q. fuit. Nemo non dixit hanc ei gratiam a Patre Mancinello profectam. Erat autem uſitatiſſimum Patri Julio arcano quodam ſtimulo intus moveri ad viſitandos ægros abſque eo, quod ſciret eſſe ægros; quando debebant ſanari, quando autem non erant ſanandi, quamvis uteretur omni diligentia, non poterat adduci, ut viſitaret; aut enim fiebat, ut nullus ad eum perferretur nuntius, aut ipſe nuntij obliviſceretur, aut malè haberet domi, aut ſubinde ex profeſſo exiens per viam incideret in grave impedimentum, aut quædam alia improviſa occurreret cauſa. In ſumma res erat minimè inſolita, & uſu quadraginta annorum corroborata; quando ægris moriendum fuit, occurriſſe ipſi mille difficultates, quominùs illò properaret. Per ſignum Crucis autem ſic prævalebat adverſus morborum phalangas, ut cum domo prodiret, plurimi ſe ægri offerrent genibus flexis monſtrantes, hic iſtum, ille alium locum, quo malè habebant, ut ſupra illum formaret Crucem, & ſanabantur omnes, id quod per Neapolim ſic erat notorium, ut egreſſo alia de cauſa ad cænobium ſanctimonialium omnes infirmæ in platea traseunti ſe ſtiterint cruce ſignandæ, & certatim ſocium aliquid reliquiarum de ipſo oraverint.

Aqua à P. Julio benedicta ſanat.

Impulſus de ſanandis, & non ſanandis.

Crucis ſigno conſuetudo ſanandi.

Nec ſolùm per ſignum Crucis, ſed & per ſimplicem contactum ſæpè diſpergebat ſanitates. Sic accidit uni è noſtris diſcipulis Subdiacono, cui nomen Bernardus Barbier. Hic præter febrim, qua laborabat, manum dexteram ita cruciatibus & tumore affectam habebat, ut non poſſet eâ uti, nec ſcribendo pingere literulam; Pater Julius eâ illum manu apprehendit, oravit pro ipſo, & ſtatim eum febri, dolore,

Etiam per ſimplicem contractum.

Non valens ſcribere ſtatim ſcribit.

lore, ac tumore liberavit, ità ut illo toto die potuerit scriptioni incumbere. Subinde cùm ille nihil prorsus sciret, usu vel applicatione alicujus reculæ sanabantur ægri. Ita Franciscus Antonius Purpura Advocatus, qui postea fuit Episcopus, cùm pedem alterum, nescio quo malo graviter impeditum haberet, subscriptam à Patre Julio epistolam illi alligavit pedi, & mox sanus fuit, prout ipsemet eum juramento asseverat. Hac spe nixus adolescens quidam studiosus unius è nostris cognatus æger misit nonneminem, qui Patri Julio diceret, si non posset venire ad se videndum, saltem schedam suo nomine inscriptam mitteret, cujus fide permotus oravit pro ipso, & extemplò convaluit. Porrò illi, ad quos vocatus erat, & sanabantur factâ ab ipso oratione, fuerunt absque numero, & non abibat dies, quo non sanaretur aliquis, ita ut communis esset hominum opinio, non omnia remedia pellendis malis fuisse adhibita, nisi vocato Patre Julio. Ac propterea Medici, cùm depositum fortè ægrum haberent, & viderent Patrem Julium comparere, gaudebant magnopere tanquam certi de felici successu.

Sanabantur ægri ipso inscio.

Adolescens studiosus.

Medici gaudebant præsente P. Julio.

Morti proximus jacebat Marchio de Grottula, de domo Sanchezia, sub anxia & pænosa cura Medicorum, parentum, amicorum, servulorum, qui omnes desperata illius Domini salute turbati credebant illa nocte herum certò moriturum. Vocatur tanquam ultimum perfugium Pater Julius. Simul preces pro illo fudit, cœpit melius habere, & hæc tam diu, quam diu ille perseveravit orare, magnam illius noctis partem. Vbi rediit ad Collegium, quò tantisper somnum capesseret, spes quoque sanitatis cessavit. Timebant Medici, ne altero die malum augeretur accessione; itaque revocatus est celeriter Pater Julius. Venit, perrexit orare, non solùm accessio illa, quæ timebatur, non adfuit, sed & Marchio in totum sanus apparuit; qua re à circumstantibus

Marchio de Grotulâ.

stantibus animadversâ consanguinei, quos inter Marchio Trivicus, Marchio Iviosa, ejus uxor, Medici, Sacerdotes, nobiles certatim Patrem Julium adivere osculum sospitatrici manui fixuri; At ille quantocyùs illinc se fugâ abstulit. Ob miraculi plausum fugit.

Frater noster Ignatius Armellinus magnam sanguinis copiam ejecerat in febri à cunctis æstimata lethiferâ. Orat pro illo Pater Julius, & mox febris remittit, & fons sanguinis sistitur admirantibus omnibus. Noster Pater Joannes Maria Rastellus à Sancto Genesio in Marchia reversus est Neapolim è Juliano cum febri maligna hoc periculosiore, quanto credebatur causata à parùm sana aëris intemperie. Invisit ad eum Pater Julius, orat supra ipsum, & mox integra ei fuit restituta sanitas. Fuit talis stupor, & admiratio omnium, ut multi etiam è nostris accurrerint ad osculandas ei manus. Marcus Antonius principis de Rocca germanus frater tenebatur magnis febribus lectulo affixus multos per menses; ad primas Patris Julij, quas pro eo fudit, preces, ex toto surrexit sanus; & malum fuerat medicorum censurâ lethiferum. Quidam Gambacorta (prænomen non exprimitur) jam à conjuge deplorabatur tanquam mortuus. Vix illum Pater Julius commendavit Deo per preces, cùm ecce! meliùs incipit habere. Perseverante pro eo orare Patre Julio, intra biduum pervaluit. Qui postea non potuit satiari agendis gratiis. Domina Cornelia Mastrilla Domini Cæsaris Carmignani uxor post gravem quindecim dierum morbum, ad ultimum adducta discrimen, plures eodem die medicinas sumpserat, absque ullo profectu, misit, qui Patri Julio se commendaret in preces, nec mora, fuit sana. Et interdum, imò sæpè fiebat, ut ægri se commendantes duntaxat absenti, prout commendare nos sanctis solemus in Paradiso, reciperent sanitatem. Ità evenit Domino Antonio Carmignano, qui nocte quadam ab ardentissima correptus febri, nullam quietis partem capere

Plures sanantur omatione.

Quidam P. Julio tantum se commendant.

Gambacorta.

Cornelia Mastrilla.

poterat,corde atque animo commendabat se Patri Julio,& repente liber fuit, id quod ipsemet testatus est in suis Neapoli 20. Martij anno 1621. datis ad Dominum Flammineum Mancinellum. Vidimus,legimus. Ita loquitur: *Patri Iulio sic obstrictus sum, ut apud Deum nulli magis, & hoc propter beneficia & miracula, quæ à Deo obtinui interventu ejus orationum. Me amabat magis,quàm filium,& domûs meæ curam gerebat plus quàm Pater.* Persæpe etiam apparuit ægris, & afflictis absentibus & remotis, consolans illos & sanans animo & corpore,nec tamen pedem extulit domo.

Ejus prædictiones non fallebant.

Miracula subitarum sanitatum sæpe Deus aliis cum prodigiis, quæ servum Dei reddebant illustriorem,comitatus est. De quibus unum erat, illum semper prævidisse, utrum ægri sanari deberent,an mori. Et quamvis ille pro sua modestia conaretur tacere, nihilominùs sæpiùs imprudenti, id est, non advertenti excidebant prædictiones, quæ nunquam fallebant,etsi diversissimæ haberentur conjecturæ & judicia prudentiæ humanæ. Non procul à morte aberat Dominus Paulus Spinelli germanus frater Domini Marchionis de Guiscardo, vel Fuscaldo. Adfuit Pater Julius vocatus magis ad consolandos fratrem, & consanguineos ob instans fatum illius magnatis, quem dolentissimè amittebant,quàm ut pro ejus sanitate oraret. Oravit tamen tunc, & nocte insequente illorum commiseratione tactus ferventius se orationi suo in cubiculo dedit, & pro eo, ac scribitur,pede è cubiculo non elato,tota illa nocte adfuit in cubiculo infirmi,certè compertum est in spiritu,Dominum Deum ejus orationibus illum donasse; Die namque altero bene manè misit ad eos, discipulum, cui nomen,Alphonso Masciettæ, qui juberet eos bono animo esse, laudaréque Deum,qui ipsis hanc gratiam feciſſet. Et illo ipso momento Marchio misit Ephebum, qui quantocyùs juberet adesse Patrem Julium. Adfuit, reperit que Dominum Paulum

Duobus in locis præsens.

sanum

sanum absque ulla febri. Et dictitare inde Dominus Paulus solebat, a Patre Julio se resuscitatum.

Dictitare solebat se à P. Julio resuscitatum.

Magnam sanguinis copiam tussiebat, & vomebat multis diebus Pater Pica Aquilanus è nostra societate. Vocatus est Pater Julius, ut propinaret ipsi aliquid de manna Sancti Protectoris Barensis. Venit, & ante omnia recitavit pro ipso Litanias, quibus durantibus propter præsentiam Domini sensibilem adeò vehementi spiritûs impetu abreptus est, ut quasi extra se positus omnes Patres secum recitantes sacro quodam horrore percelluerit, secundum quæ certitudine plus quàm humanâ dixit, Patrem convaliturum; & ità in momento fuit cum incredibili infirmi & adstantium stupore, qui viderunt, & miraculum ejus orationi adscripserunt. Consiliarius Valcasserus curru vehebatur Avellinum, equi, nescio quâ, territi umbra arripuere fugam ejus capite in plures diffracto partes. Vxor id statim Patri Julio nuntiavit, ut suppetias ferret. Oravit pro eo, & aperuit ipsi Dominus, casum illum accidisse propter peccatum, ejus in domo committi solitum absque heri culpa; amandaretur hujusmodi servulus, & dominum convaliturum. Atque ita cuncta ex ordine fuere. Dedêre tamen se Dæmones in conspectum servi Dei in formâ duarum felium, volentium mordicùs, ut illud peccatum in domo continuaretur, sin? graphîis se ipsum involaturas, denique vivo pellem detracturas. Ille sedili consurgens cordatè illas calce abegit. Vnde colligi potest, quâ circumspectione uti oporteat Dominos in deligendis servulis, nec sufficere ipsos per se bonos esse.

Consiliarius Valcasserus magnum adit vitæ periculum.

Circumspectio in suscipiendis servulis.

Graviter ægrotabat urinæ retentione, nec sine vitæ periculo Cardinalis Aquaviva Archiepiscopus Neapolitanus. Animadverso discrimine arcessitur Pater Julius, ut oraret pro ejus sanitate. P. Julius incepit orare, Aquaviva sanari. Et quia infirmus non videbatur sibi ità restitutus, quantum

Gardinalis Aquaviva, Sanatur, P. Julio pro ipso orante.

quantum desiderabat, iterum Patrem Julium arcessivit, qui facta supra ipsum longiore oratione (inter quam sanctus ipsi Agnellus Abbas ad fenestram cubiculi apparuit, & licet non haberet lumen, erat quippe nox, vidit illum tamen optimè, illic stantem firmum, vittâ versus oculos demissâ, vultu serio & severo) statim sanus ex toto fuit. Pater autem Julius effecit, ut sancto plurimæ laudes darentur & honores. Non multò pòst Cardinalis recidit in idem malum, recursum est iterum ad solitum perfugium; verùm Pater Julius habuit revelationem, non amplius orandum, esse enim voluntatem Dei, ut moreretur. Atque hinc serium illum Sancti Agnelli vultum, quasi invitè dantis primam gratiam, sed quasi coacti precibus sui servi, non audentis eam negare. Et in veritate apparebat, quando intercessio Patris Julij interponebatur, ægros certo certius sanandos, & morbos illius metu percelli, longéque ab illo effugere, nec audere ad illum accedere, ipse autem, qui in eo liberalitatem agnosceret numinis, totum hoc bono proximorum impendebat. Orabat aliquando pro uno nostrorum fratrum studioso, cui nomen Alexander Frulli pessimè à tertiana duplici tractato, ac quoniam juvenis isthic videbatur ipsi boni judicij, & ingenij esse, valdè ægrè ferebat mortem ipsius, si contingeret. Commendavit ergò illum Deo oppido ferventer, maximè in sacrificio Missæ, cum hostiam sacrosanctam manu tenebat, sensitque valde se exstimulari ad exorandam pro eo sanitatem, conceperat autem talem fiduciam, ut intellecta hora, quâ accessio fieri solebat, tunc ipsus se ejus in cubiculum conferret, sermones cum eo cæsurus de rebus spiritualibus. Loquebantur autem de glorioſa Sancta Vrsula, & sociabus, de quarum societate in Collegio Neapolitano aliquot capita publicæ exponuntur venerationi. Prout ille rem ante conceperat, sic fuit. Ejus in præsentia febris non fuit ausa reverti, & patuit eum ex professo

P. Julius habuit revelationem, Cardinalem morituram.

Pro uno nostrorum fratrum orat.

In ejus præsentia redire febris non audet.

eam

eam ob causam accessisse,cùm infirmus planè fuerit liberatus. Plurimi alij hujusmodi casus essent narratu dignissimi, quos tamen vitando lectoris tædio libens volens prætereo, sufficiat hos paucos in medium attulisse, ex quibus plus satis apparet,quantum Pater Julius suis apud Deum precibus valeat.

Imposueram non solùm huic capiti, sed & toti scribendæ vitæ finem & coronidem, cùm ecce! res ad me affertur, planè scriptu, memoratúque dignissima. Et sicut mihi principium extorsit sanitas quædam miraculosa paulò ante, quàm ego ad scribendum me accingerem, ita finiam hoc caput relatione alterius cujusdam rei, quæ accidit paulò pòst, quàm dedi finem scriptioni. Et conciliabit, opinor, hæc res narranda fidem iis, quæ supra dicebam, nempe Patrem Julium quotidie perseverare bene merendo de iis, qui se ipsi commendant. Res successit in Monte Vlmi terra antiquissima & nobili; complectitur focos circiter mille,in persona sanctimonialis cujusdam,cui nomen Sorori Auroræ Felici Stampetti, illinc oriundæ, nobili, ab ipsamet, & à dicti Monasterij confessario propriâ manu exarata. fideliter excerpo,ut sequitur. Sanctimoniali,quam dixi, donata fuit imago Patris Julij cum sanctissimo in manu ante pectus. Non magna admodum tunc temporis pietate ferebatur illa in servum Dei, propterea imaginem dono dedit matri Antistitæ. Inde à duobus mensibus donatur ipsi alia similis huic imago, & quia intellexerat quasdam ab illo factas gratias, cœpit erga illum aliquantùm affici; retinuit ergo illam apud se, & sanè providè. Cùm namque postea vulnus accepisset in altera tibiarum, turunda illa, quam adhibuerat, expurgando vulneri, urenti humore suffusa & succensa hæsit in carne cum ea concreta,& nulla amplius humana ope extrahi poterat, ut periculum esset, ne intus caro computresceret, & in cancrum degeneraret.

Soror Aurora Felix stampetti.

Imago servi Dei cum sanctissimo ante pectus.

Hoc majus discrimen, quò tardius remedium.

generaret. Modestia virginalis occultabat malum,& dolorem hoc majori cum discrimine, quo tardiore remedio. Aliquando manè nondum satis experrectæ venit in mentem,ut se huic servo Dei commendaret. Dum hæc cogitat, audit signum, quo vocabatur in templum ad recitandas preces, cùm proripuisset se lectulo, advertit tibiam oppido tumefactam notabili cum incremento doloris, ità ut ne quidem ambulare valeret. Subit iterum cogitatio commendandi se Patri Julio. Quare reversa ad cubiculum id fecit ex animo verbis conceptis.

Venit mihi in mentem Sancti Patris, mèq; ipsi commendavi, si me juvaret, cum proposito mittendi ipsi donum. Et fuit tanta mea fides erga illum & fiducia, ut viderer injuriam ipsi facere,si alius recordarer sancti. Cùm res mea ità se haberet, nec ambulare possem,aperui malum matri Antistitæ, quæ statim jussit,id aperirem Medico. Tentat hic per tres dies extrahere turundam emplastris; nihil proficitur. Sub vesperum tertij dici cœpta res agi ferro, nihil item efficitur. Rursus biduo applicantur emplastra, sed & hic nihil agitur, resumuntur cultelli; desperandum fuit; credebar aut clauda futura, aut cancro peredenda. Captum iterum experimentum ferro, timebar non futura par ferendo dolori. Imponitur turunda ex ligno; sub vesperum ferventiùs me commendo Sancto Patri cum proposito ad sacram Synaxin accedendi quotannis, quo die ejus obitûs ageretur memoria, & primo die, post quem essem sanata, & adeundi templi quindecies. Nocte in Auroram vertente obrepit sopor,videbárq; mihi esse in templo, quod ædificaretur, & necdum ultimam accepisset manum, muratiis illic adhuc multa satagentibus. Eorum unus manu tenebat imaginem,quam in pectore gesserat iste Sanctus Pater, illámq; volebat accommodatam in sacello laterali. Cùm venisset tempus medendi tibiæ, & commoveretur turunda lignea, successit ecce! & altera sponte sua, nemine tangente, aut quicquam moliente. Quinto die coÿt circatrix,& ego salva & inco-

Soror Aurora periclitatur.

Ejus votum, recreatur visione.

incolumis fui ad gloriam Dei, Beatissimæ Virginis, per intercessionem & merita hujus Sancti Patris. Hactenus illa, quæ postea agente Dominico Stampetti suo Patre, Provinciæ Secretario Matteratæ obtulit in templo nostro argenteam tibiam ad honorem Dei.

Dominicus Stampetti obtulit argenteam tibiam.

Simillimum huic beneficium etiam alia ejusdem cœnobij Soror ejus precibus & auxilio confisa impetravit. Nec dubito servum Dei in illo conventu gratias suas continuaturum, quandoquidem jam nunc vivam de eo fidem ac fiduciam pleræque inquilinarum concepere; neque enim jam primùm & monasterio illi, & toti terræ incipit esse beneficus, tametsi illæ nesciant, quare. Id ipsum ille duabus indicat literis propria manu 6. & 17. Febr. anno 1599. scriptis ad Patrem Bernardinum Rosignolium Provincialem Romanum, in quibus ipsi significat, quantum bonæ frugis Deus per ipsum illo in monasterio, & vicinis terris dignatus sit operari, nec ommittit particulares recensere collectos fructus, qui planè singularem erga illos homines mereantur affectum, quem credo nunc de cœlo perfectiùs ostensurus est, si, ut fecere majores, studium quoque & venerationem erga eundem demonstraturi sunt. Ad hoc caput de sanitatibus pertinet illa gratia, quam Deus Patri Julio concessit, singularem, & in gradu valdè excellenti, opitulandi videlicet conjugum sterilitati.

Alia item Soror impetrat beneficium.

Binæ literæ ad R. P. Bernardinum Rosignolium Provincialem.

Conjuges ex sterilibus facti fæcundi.

Quo in proposito, ut omnem evitemus prolixitatem, non afferam hic casus particulares, satis fuerit dixisse, conjuges, quos ille Crucis signo benedicens obiisset, factos fuisse ex sterilibus fæcundos, tametsi longissimo tempore convixissent sine prole. In hanc rem possem multa adducere exempla de principibus fœminis, dominabúsque diversis, & de ipsa Proregina Neapolitana, quæ omnes fatebantur publicè eâ gratiâ se donatas fuisse per Patrem Julium, qui & prævideret, num proles mares futuri essent, an fœminæ;

Prævidit, quales partus futuri essent.

num provicturi longo tempore, an morituri brevi. Aliquando non solùm precibus suis faciles expedivit partus, quæ in ipsis solebant periclitari, verùm & insuper vitam prorogavit filiorum matribus, quibus plerumque omnes emoriebantur, & filios mares impetravit etiam tunc, cùm omnia indicia humana starent pro fœmina. Quâ de re, quia ad me allatus est casus perrarus, unicum exemplum dabo, & est sequens. Novem ipsos annos oravit pro Domino Francisco Albertino, ac conjuge sterilibus, ut Deus ipsis vellet demum concedere tori fructum & inter hoc tempus Deus quater ipsi indicavit velle se ipsos consolari. Verùm nocte, quæ Transfigurationem Christi Domini præcedit, apertiùs ipsi significatum fuit, prolem futurum marem; oranti namque pro ipsis more solito exhibitus illi fuit infantulus mas duorum vel trium mensium, qui libentissimè manebat cum ipso, nec videbatur posse ejus à brachiis avelli, cúmque eum sibi eripere conarentur, puerulus flebat, & repugnabat. Denique eum ipsi eripuere, & in locum prioris substituerunt infantem fœminam ejusdem ætatis. Patrem Julium res advertit, & ægrè tulit, nec illam voluit. Ergo & hanc ipsi sustulere, nec amplius apparuit; & reposuerunt de novo marem admirabili cum reciproco gaudio. Ex quo ipse intellexit, Conjugem Albertini precatu suo concepisse marem, & hanc revelationem contulit cum Patre Negrone nostræ societatis, ut illum super ea consuleret, & ipse eam postea credidit proregi. Ac, quia paulò post hanc revelationem prædicta Domina comperta fuit prægnans, exorta fuit maxima in domo illa lætitia, & opinio de Patre Julio mirum quantum increvit, cui postea Prorex insignem fecit donationem. Ex quo facto videtur posse erui, prolem debuisse esse fœmellam, verùm ejus precibus & intercessione fuisse mutatam in marem; vel certè à Deo rem ejus arbitrio permissam. Qui ipsi infantulos porre-

Novem annorum sterilitatem pellit.

Signa maris futuri.

Revelatio creditur Proregi.

xerint,

xerint, non proditur, qui fuerint, credam fuisse Angelos tutelares, quos plurimùm venerabatur, & sæpè eos habuit aspectabiles.

Mirus eventus precibus P. Julij adscribitur.

Similes huic casus frequentiùs illi evenere. Parentes, qui sobolem ejus precatu impetraverant, volebant eam à Patre Julio sacro fonte tingi, & ejus curæ particulari, atq; protectioni committi. Nec ille hoc abnuit, & postea per pueritiam à multis eam periculis, & maximè à variolis liberavit. Ità filiolum Domini Francisci Antonij Purpuræ interventu suo à febri subitò expedivit, & post biduum à variolis ità emundavit, ut nullum earum vestigium remanserit. Concludo, si cuilibet Sancto Deus particularem aliquam gratiam indulget, quam invocatus dein à mortalibus ægris quasi de more elargiatur, verbi gratiâ, hic contra pestem, iste contra focum valeat, ille dolorem mitiget dentium, iste faucium intercluſionem prohibeat, Patri Julio indulsisse gratiam singularem, & potestatem adversus Dæmones, & contra sterilitatem conjugum. Quibus duabus in gratiis mihi videtur singulari modo eminere, tametsi Deus in omnibus eum voluerit mirificè excellere. Claudo hoc caput subjecta oratione ab ipso composita, & pronuntiata, quoties voluit obtinere pro sterilibus fœcunditatem *Deus, qui de nihilo omnia creasti, & de sicco lapide aquam produxisti, & de sterili muliere prolem generasti, & de Virgine Filium tuum unigenitum concipi & nasci mirabiliter effecisti, ex eadem bonitate, potentia, & sapientia tua infinita, personis, pro quibus à te humiliter supplicamus ad obsequium, & gloriam tuam, prolem permanentem concede, per Dominum nostrum &c.* Ipse dicebat hanc orationem, jubebat etiam eas personas, quæ desiderabant sibi gratiam fieri, quotidie quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam iterare in honorē sterilium antiquæ & novæ legis, Saræ, Rebeccæ, Annarum ambarum, Sanctæ Elisabethæ matri præcursoris Domini.

Voluerunt, partum P. Julius tingeret.

Adversus Dæmones, & sterilitatem maximè valet.

Oratio adversus sterilitatem.

CAPVT II.

De Animabus in Purgatorio.

SI Pater Julius tantâ usus est Misericordia erga corpora proximorum, id quod in tota ejus vita, & maximè in antegresso hoc capite vidimus, multò major sanè fuerit ea, quam exhibuit eorum animis, non solùm dum viverent tot obitis & exantlatis ærumnis & laboribus, quos hucusq; descripsimus, ad eos convertendos ad Dominum Deum ipsorum, verùm etiam post mortem in liberandis iis ex ergastulo purgatorij ignis. Quoties potuit, Missæ sacrificium pro iis obtulit,& id quidem cum studio & affectu peculiari. Longo annorum decursu perseveravit quotidie in fine cujusque horæ in adjiciendis certis orationibus,quibus annexæ sunt indulgentiæ,pro piis manibus. Cùm manè se vestiret, aut noctu se exueret, incedendo per ambulacra Collegij, descendendo, vel ascendendo per scalas semper orabat pro iis, subfurando id temporis, quod aliàs solet perire, cujus sanè avariſſimus erat. Pro iisdem piis manibus recitabat identidem, & volebat id etiam ab aliis fieri, quasdam certas orationes, à se compositas ad honorem sanctissimæ Virginis, inserendo omnes dolores ab ipsa toleratos, & à Jesu Christo, à sanctis Martyribus, & ab omnibus jam beatis,& antehac in illo igni perpurgatis,& erivatis. Conscripsit etiam Tractatum brevem instruendis iis, qui dediti sunt juvandis sanctis illis animabus. Iter agens identidem pro iis fundebat preces, labores & ærumnas,quos exantlabat, pro iis offerebat. Incedens pedes, & ubi viæ occurrebant saxosæ, & difficiles exuebat se calceis ex professo, ut plus pateretur, & satisfaceret pro iisdem. Et si viæ essent commodæ, resumebat incedendi laborem nudis pedibus, quinque vel sex millibus ante earum terminum, ut, cùm lassatus

Pro defunctis fecit, quoties potuit.

Quoties oraret pro ipsis.

Conscripsit Tractatum juvandis iisdem.

laſſatus eſſet à facto jam itinere, plus inde meriti ex majore devicta difficultate colligeret. Conſuetæ ſuæ, ſat longæ flagellationi ſubjiciebat aliam ſingularem pro piis manibus. Aliàs uſtulabat corpus ſuum ignibus ac tædis, ut dolor inde perceptus duraret ipſam noctem. Hoc ipſe pro anima Domini Marci Antonij d' Oria fecit tunc demortui.

Conſuetæ diſciplinæ ſubdebat aliam pro defunctis.

In Liturgia quotidie recordabatur piorum manium, præſertim eorum, qui obiiſſent in mari, in bello, in carceribus, per manum Juſtitiæ, inter Hæreticos & infideles; perſuaſum enim habebat hujusmodi manes eſſe ſuffragiorum magis indigos, & ab aliis deſertos. Hæc magna Patris Julij caritas tam erat piis illis manibus opportuna, & fructuoſa, ut ſæpe ad eum ventitarent proprias ipſi neceſſitates & debitorum nomina propoſituri. Frater ejus Germanus Flamminius militiæ mortuus in Francia contra Hugonotos tertiùm ipſi apparuit tanta circumdatus pœnâ, ut Pater Julius affirmet, tempus duarum horarum, quibus illum pati conſpexit, viſos fuiſſe plurimos annos. Anima Antonij Hugolini ſui Magiſtri, qui poſtea in aula Gregorij XIII. fuit homo illuſtris, & inſignis prælatus, apparuit ipſi afflictiſſima in medio flammarum validis conſtricta igneis catenis, fudit pro ipſa multas orationes, pro ea litavit, inde ipſi apparuit in glorioſo cœli receſſu tota lucida, facie non ſolùm amænâ & lætâ, verùm & ore ſubridente, in geſtu gratias agentis. Nondum intellexerat de obitu Domini Cæſaris Pignatelli, cùm is ipſi apparuit noctu 17. Auguſti Anno 1613. conſtitutus in tormentis, orans atque obſecrans illum, ut faceret pro ſe ad aram, fecit ſtatim altero inſequente die. XVII. Aprilis Anno 1614. cùm faceret pro anima Dominæ Ludovicæ Coppolæ conjugis Franciſci Antonij Portij, raptus fuit in altiſſimum Montem, ſupra quem Civitatem conſpexit tam vaſtam & amplam, ut, quo plus de ea videret, hoc plus ſupereſſet videndum. In illa eminebat palatium

Quorum potiſſimum manium recordaretur.

Pij manes proponebant ipſi ſuas neceſſitates. Germanus ejus Flamminius.

Anima Hugolini ipſi gratias agit.

palatium elegantissimum, totum candidum. Perrexit ille hoc ardentiùs orare pro illa, quam necdum videbat, & ecce! magnus eam numerus sanctarum totam in facie splendentem & glorioſam ducunt in pulcherrimum conclave præsente Christo Domino. Obierat illa duobus diebus ante. Etiam Frater Botton Patris Julij socius, homo & ipse magnæ virtutis habuit hanc ipsam visionem, & illam Patri Julio narravit.

Frater Botton habuit eandem visionem.

Obierat Nolæ noster Frater Franciscus de Mustaccis; Pater Julius in suis orationibus eum commendaverat Deo, & nihil poterat de illo intelligere, nec illum sibi ampliùs de facie repræsentare. Obierat is biduo ante, cùm ipse 28. Julij, Anno 1612. pro ipso fecit, & ipsum sacro calici suppoſuit. Tunc eum vidit, & agnovit totum lætum & amænum instar Angeli. Casus gratioſus fuit, qui ipsi cum anima Archiepiscopi Capuani Cæsaris Costæ sui patrui materni occurrit. Hic cùm esset in vivis, dederat ipsi eleëmoſynam ad conficiendum pallium; postea mortuus, cùm Pater Julius quodam die cogitaret exire domo, & jam humeros pallio onerâsset, ecce adest illi in flammis adspectabilis, ipsúmq; orat efflictim; daret sibi illud pallium tantisper mutuum, quod ipse promptissimè fecit. Bona illa anima se totam illo pallio penitissimè, & applicatè involvit, eóque ita se sensit refrigerari, ut non amplius cogitaret de illo restituendo, donec Pater post longiorem moram coactus est illud repetere. Viderat P. Julius absens mortem hujus Domini; postea vidit illum quoque inter certa saxa pati, & denique petentem sibi concedi hoc pallium. Cujus eleëmoſyna tantopere eum juvit in noſtrum quoque exemplum. Simili propè in actu familiaris commendationis & securæ confidentiæ 8. Febr. Anno 1606. anima Patris, Domini Marij de Vicariis Baronis de Monteforti aliquot antè annis defuncti comparuit; quippe quæ sellam, in qua P. Julius assederat, comple-

Fratrem Franciscũ de Mustaccis videt totum lætum.

Casus gratioſus cum anima Episcopi Capuani.

P. Julius pallium repetiit

complectebatur, blandiebatúrque ipsi ad impetrandum ab eo sacrificium. Sacrificavit,& illa sancta anima non amplius apparuit. *Animæ blandiuntur P. Julio.*

Non perinde jucundum, imò terrificum fuit, quod ipse narrat sibi accidisse cum quodam alio Episcopo. Erat ejus Episcopatus satis pinguis redituum facilè 5000. coronatorum annuorum,& in ipso vixerat circa triginta annos, bonorum morum, modestus,segregatus, & probi exempli, plus tamen justo remissus, & frigidus in reprehendendis & castigandis Clericis, & aliis sontibus. Reditus suos non dabat suis, sed quidam ejus aulæ præfectus expendebat eos magis in privatam, quàm in publicam utilitatem, Veteres Ecclesiæ paulatim corruebant,nova palatia struebantur. In cæmiterio illius templi principis erant depositæ multæ & insignes reliquiæ sanctorum Martyrum, partem sub terra, partem supra illam in quibusdam tumbis marmoreis. Isthæ incuriâ custodum erant per pia furta evacuatæ. Nonnulli horum sanctorum Martyrum apparuere Patri Julio, mandantes, ut admoneret Episcopum negligentiæ, & ipsi indicaret loculos,in quibus delitescerent humatæ reliquiæ, ne & hæ sublegerentur furto. Extemplo Pater Julius paruit monitis,verùm in Episcopo modicam invenit fidem; propter quod Deus illum severè castigavit. Die 29. Aprilis Anno 1610. cùm is pranderet vel cænaret, vespa nescio unde allata ejus os involavit, ejúsque linguam ita momordit, ut subitò tumefactâ linguâ perdiderit loquendi facultatem, inde respirandi usum, & multò pòst vitam ipsam. Pater Julius vidit ipsum supra fasciculum sarmentorum, qui injiciendus erat in focum, & paulò post vidit illum tanquam perdicem involutum chartæ, torrendum inter ignis purgatorij prunas,uti mihi persuadeo, apparendo illi in hac forma, qui poterat illum Deo commendare,quod & fecit. Subinde ventitabant illæ animæ ad audiendum ejus sacrum, *P. Julius monet Episcopum, sed fruſtra.* *Episcopi pœnæ.*

sacrum, prout fecit quidam ejus patruus Camillus Costa, vir expertus, qui duobus annis à morte venit ex loco obscuro, in quo erat inclusus cum multis aliis, ut ejus sacro interesset. Et certè ab ejus sacrificio plurimùm poterant sperare illæ animæ propter ejus fervorem, & applicationem plus quàm usitatam ab eo adhibitam.

Ejus imago in veste Sacerdotali.

Vidi figuram calamo depictam, vel potius imaginem Patris Julij, & omnium ejus majoris momenti revelationum & visionum, maximè quas habuit tempore sacrificij, quæ charta, quam nunc penes me habeo, fuit postea in tela depicta coloribus, & penicillo, & asservatur quadrum illud in nostra bibliotheca Collegij Maceratensis, & aliud quoddam in triclinio Collegij Paulani, & forsan etiam aliis in locis, id quod me latet. In hac imagine exprimitur Pater Julius in veste sacerdotali, cùm ad aram operatur, flammæ ipsi exeunt ab ore, ad exprimendum illum maximum, quo orabat, & immolabat, fervorem, sicut dicitur in explicatione ejus figuræ similitudine ductâ ab explosione tormenti militaris, & à rugitu leonum. Tantus enim erat ejus spiritûs impetus, quo protrudebantur ex ore clamores & rugitus, ut sæpe ipsorum vehementiâ & impulsu ignivomorum flatuum ipse in aëra elatus toto cum corpore subsultaret. Subtus illud altare delineatus est locus lustricus ad significandum magnum illum animarum numerum, quæ ipsi apparebant orantes suffragia. Duo Angeli ex alto cœlo spargunt identidem auream pretiosis ex rosis pluviam, pecuniæ genus omne, gemmas & margaritas partem altaris in utramq; Cùm enim ipse operabatur divinis, sæpe hujusmodi remunerationem accepit à Deo, quâ ipsi etiam in hac vita refundebatur centuplum, ac labores & conciones abunde compensabantur, prout Angeli ipsi, qui profundebant thesauros, ipsi interpretabantur, & ipsi contra tot indulgentiarum thesauris expungebant nomina, quib⁹ adhuc illi pij manes

Ipsi etiam in hac vita refundebatur centuplum.

teneban-

tenebantur obstricti, educendo ex illis carceribus magnum eorum numerum, etsi nos paucos duntaxat brevitatis studio hic enumeraverimus.

Pro consolatione nostrorum Patrum ac Fratrum illud duntaxat dicam, quod Pater Julius pluribus in locis affirmat, etsi multi ipsi pij manes nostrorum apparuerint, defuncti in terris etiam longinquis, de quorum nec quidem morbus intelligi potuisset, nihilominùs illos, qui ipsi apparuerint, non fuisse atrocissimis afflictos pœnis, & cruciatibus, sicut, cùm vidit animam nostri Fratris Stephani Albanensis de Dulcigno in mari, in quo versabatur continuò submergendus, & navium una ipsi suppetias venit, ne combiberet aquam salsam, quæ erat ejus pœna, quòd in vita superfluum bibisset vinum. Fecit pro illo ad aram, & post aliquot menses eum in libertatem filiorum Dei asseruit. Navim illam suppetiatum venientem ait esse suffragia societatis. Pari ferè modo de alio nostro fratre, qui brevissimi temporis spatio lustricas fuit inter pœnas detentus, recenset Pater Jacobus Aniellus in sua compendiosa relatione, quam de Patre Julio ad P. Mutium Vitelleschum misit Neapoli, constante ex meris rebus jurejurando depositis, paulò post ejus obitum, & sic habet. *Frater Cæsar Paulinus mihi dixit. Cùm Frater Vincentius Maria Fundi de Massa luctaretur cum morte, circa septimam vel octavam horam audivisse se ex cubiculo ejus magnum strepitum & tumultum. Circa duodecimam attulisse se Patri Julio lumen, qui vocato ad se fratri Cæsari dixerit, venisse Acherontícos satellites, & edidisse magnos strepitus in cubiculo fratris Vincentij Mariæ, cùm non procul abesset à morte. Vixit optimè, divertit ad purgatorium carcerem, & tantum quatuor illic horis subsistendum fuit. Venit ad me totus glorioſus, mihíq; revelavit permulta, postea evolavit in cælum.* Hucusque Relatio. Et quamvis Pater Julius non dixerit se adjuvisse illam sanctam animam ante & post mor-

Fratris Stephani de Dulcigno in purgatorio pœna.

Frater Cæsar Paulinus ab eo adjutus.

tem, nihilominus ex narratione est valde verisimile, ejus orationibus non mediocriter & ad bene moriendum contra Dæmones fuisse adjutam, & postea ex illis pœnosis cruciatibus eductam.

Anima fratris ejus purgabatur in mari.

Diversa esse loca, & diversas quoque pœnas dari, quibus pij manes eriventur, observari potest ex variis revelationibus Patri Julio factis. Anima fratris ejus, quem paulò ante dixi, purgabatur in mari. In obscura crypta vel caverna subtus montem cruciabatur anima Domini Josephi Nacher, & Pater Julius illum vidit cum vulnere in capite, ex quo per totum corpus decurrebat sanguis incensus, & illum perurebat. Oravit pro ipso, & vidit illum ex obscuro illo antro prodeuntem in forma infantuli trium annorum, stolâ indutum candidâ, ac manu Angeli in paradisum introductum. In quodam religiosorum cœnobio vidit ante paradisum stare animam Domini Antonij Angelucci, Vicarij Domini Cardinalis Aldobrandini Ravennæ. Inter moriendum bis ter ipsi apparuerat, commendans se ejus orationibus, qui nihil sciverat de ejus morbo, post mortem in forma adolescentis quindecim annorum ei se obvium in cœnobio, quod dixi, præbuit, ut se liberum à pœnâ, quam pateretur, assereret, Pater Julius, quia parentela tenerius eum, quàm voluisset, commoverat, solatus est eum verbis per humanis, ac promissis, verùm brevi se expedivit cum utriusque dolore.

Josephi Nacheri in crypta.

Domini Antonij Angelucci.

Eodem modo purgandam vidit animam Domini Capitanei Valerij Frontonis strenui bellatoris ex antiqua Maceratensium nobilitate, viri recti & justi: per ejus orationes quinquaginta annis post mortem ipsi apparuit in habitu Monachi candidi, cùm recta tenderet in paradisi gaudia. In forma nautæ, qui quotidie occupabatur, & sudabat in onerandis, & evacuandis navibus vidit torqueri multos per annos animam Domini Juliani de Pandolpho Compagnoni,

Domini Capitanei Valerij Frontonis.

Domini Juliani de Pandolpho.

pagnoni, quòd magis in externo, quàm in interno adhæserit inimicitiis unius ſui cognati, pacem tum demùm complexus, vita cùm fugeret. Quo tempore viſus eſt Dæmon exire ejus de conclavi in forma canis per ſcalas deorſum ululantis; 28. Auguſti Anno 1610 Pater Julius divinitus ſcivit ejus liberationem. Anima cujusdam juvenis, qui altera die à miniſtro Juſtitiæ plectendus erat, apparuit ipſi manifeſtè ſub noctem, petens ejus orationes. Anima Dominæ Hippolytæ Rufæ, (fuerat uxor Domini Ottonis de Marra) vix corpore emigraverat, cùm è veſtigio inſequitur Patrem Julium, rogans & obſecrans, ut ſe commendaret Deo, id quod perſeveravit facere triduo, & trinoctio; donec pro ea fecit ad aram, nam poſtea non amplius comparuit. Quadam die cùm videret magnam turmam armatorum equitum nigro veſtitu ſilentio transvehentem cum mœſtiſſimo horrore, cupidus ſciendi, quid ſibi vellent, intellexit inter illos eſſe animam Antinori nobiliſſimi Florentini, Archiepiſcopi Piſani, qui hoc modo ſua purgabat peccata. Fuerat hic magnus Patris Julii amicus in vita, comperit poſtea eum illo ipſo temporis momento obiiſſe, quo habuit viſionem, ut ipſum Deo commendaret, quod fecit perquam ferventer.

Anima Juvenis capite plexi.

Dominæ Hippolytæ Rufæ.

Anima Antinori nob. Florentini.

Vellem equidem hic pro conſolatione eorum omnium, qui quaſi jus quoddam ad hoc ex cognatione & ſanguine trahunt, animas recordari à Patre Julio viſas in igne luſtrico, & jam ſalutis certas, ſed magna eorum ſcriptorum pars, in quibus Pater Julius dicit ſe eas referre, intercidit, & contexit catalogum, in quo præter jam à me adductas, etiam mentionem facit animæ ſororis ſuæ Vincentiæ, & alius ſanctimonialis ſororis Victoriæ, cujusdam fratris Germani Cæſaris, cujusdam ſuæ neptis filiæ Domini Mercurii fratris ſui, Domini Joannis Baptiſtæ de Affliſto, Dominæ Lucretiæ Filomarinæ, Dorotheæ de Paduſſo cum pulchra viſione

Facit mentionem complurium ex ſuis cognatis, affinibus &c.

sione Comitissæ de Briatico optimæ aniculæ annorum 80. tertiùm visæ, cùm faceret pro eâ; Dominæ Juliæ Milani, uxoris Domini Antonii Carmignani, Catharinæ Vagliæ sanctimonialis de Casa, virtutis non vulgaris fœminæ. Cujusdam sui Domini cognati Petri Antonii Gratiani. Episcopi Aversani in Monte Marra. Episcopi de Monte Feltro Petri Cartolani, Domini Principis de Bisignano Domini Herculis Papacodæ: Dominæ Martiæ Domini Horatii Lepidi uxoris, quos conspexit in loco salutis. Patris Vincentii Bruni, P. Joannis Baptistæ Perusei, P. Julii Plani è nostra societate, de quibus dicetur postea in Visionibus, prout illos vidit in gloria. Omnes juvit Pater Julius orationibus, eleemosynis, & multò magis sacrificio Missæ, quod cùm aliquando offerret pro anima supra dicti Josephi Nacher, & pro unâ nostræ societatis, ostensum est illi, illam Missam miro rutilasse splendore, ut non tantum locus, in quo eam dicebat, impleretur luce, sed insuper etiam quasi maximus in nocte ignis propagaretur usque ad ipsum lustrici ignis locum manifesto argumento, quantum efficacis auxilii ad pios manes pertineret.

Etiam de quibusdam.

Patribus societatis.

Splendor insolitus ab ejus sacrificio.

CAPUT III.

Instinctus interni.

QVando Pater Julius vel aberat procul, vel aliter impeditus non poterat admoneri de proximorum necessitatibus, non defuit, qui eorum loco id studiosè faceret, ad velificandum ejus genio semper ad ferendam opem prompto & propenso. Monitor isthic erat certus quidam internus instinctus, qui ejus animo, quantum opus esset, totum repræsentaret. Multa diximus in decursu vitæ, & potissimum in capite de spirituum discretione, ubi indicatum,

Monitor ejus internus Instinctus.

rum, quoties infirmi sanandi erant, solitum illum proprio vocari admonitu, nec opus fuisse, ut alii id ipsi suggererent. Vbi autem sanitatem non essent recuperaturi, enatas fuisse mille difficultates, ne eò se conferret. Et quanquam in primo libro tetigerimus nonnulla de conversione peccatorum prius ab eo cognitorum, quàm eum vocarent, dicemus nihilominus hic aliquot casus magis in particulari. Facilè equidem me patiar induci, ut credam, Angelum ejus Custodem, & custodes Angelos eorum, qui ejus implorarent auxilium, fuisse auctores illarum internarum vocum, quas audiebat; sæpiùs enim suæ custodiæ additum vidit sibi ad latus assistentem, & semel illum cujusdam equitis Melitensis, qui ex longinquo se ipsi commendabat. Ita Dominus Baro de Fontana Rosa, cùm peregrè ageret in gubernandis nonnullis feudis, orabat angelum custodem Patris Julii, ut eum admoneret de facienda pro se, suisque filiis oratione; Et Pater Julius nemine uno ipsi quicquam suggerente, sensit in se hujusmodi voluntatem, orabátque identidem pro ipsis, quibus & omnia ex animi sententia succedebant. Ac fuit subinde animi impulsus ita vehemens, ut sentiret quasi per vim eò se trahi, à quo cæteroqui abhorrebat.

Angelus ejus custos ad latus.

Aliquando eorum Angeli pro suis clientibus monebant

Sensit se quandóq; trahi per vim.

Funerabantur filii omnes Marchionissæ de Bracciliano paucis, postquam nati essent, annis vel mensibus superstitibus. Ipsa & maritus jam erant ætate satis provectâ. Itaque Pater Julius, quantumvis illum conjurarent, victus à sua quadam pusillanimitate non poterat induci, ut porrò oraret pro concedenda illis prole. Quodam tamen die sensit se vehementer impelli ad eam petendam gratiam. Petiit, & Domina Marchionissa gravida edidit filium marem. Ægrotabat filius Domini Antonii Carmignani, cui nomen Josepho, Pater Julius id ignorabat, & erat in procinctu ad sacrificandum alium in finem, cùm angelus ejus custos eminus ab illo Domino rogatus, eâ illum vi impulit

Oravit & obtinuit marem.

ad

ad litandum pro infirmo, ut non potuerit repugnare. Isto cum spiritu penetrabat arcana aliorum, intelligebat cogitationes, fragrantiam Virginitatis percipiebat, pudicitiæ sentiebat odorem, impurorum fætorem, advertebat peccata, animorum necessitates ad eis subvenendum, ut diximus, cognoscebat. Cùm Anconam civitatem Marchiæ nobilissimam peteret, adiit Castellum, quod Colmuranum dicitur: hic celebravit Missam animo, eâ perpetratâ, concionandi; verùm dum ille revertitur ad sacrarium, omnes dilapsi sunt; dilapsura etiam erat mulier quædam vidua, & jam erat sub ostio templi, cùm ecce! Pater Julius ita intus stimulatus potente versus Deum impulsu illam stitit, & quasi incantatam compulit referre in templum pedem. Gratiis inde à sacrificio actis cùm prodiret è sacrario eum ultrò illa rogat, suam ut Confessionem exciperet. Deprehendit illam complures per annos confessam fuisse non nisi peccata externa de internis altum siluisse. Hinc paucis post diebus in Xenodochio Anconæ, ubi de more diversabatur, reperit clericum ex eo Castello, ex quo scisciatus est, num cognosceret hujusmodi viduam, intellexit eum esse nepotem ejus viduæ, & eam jam jam esse mortuam. Ex quo Pater Julius singularem Dei providentiam prædicavit in salvandis animis

Impellitur ab angelo, ut non possit repugnare.

Cognoscit arcana.

Mulierem sitit confessionis causa.

Providentia numinis in salvandis animis.

Litavit ille Neapoli 16. Novemb. Anno 1614. animo obversabatur Dominus Franciscus Barba, oravit pro illo, próque ejus familia certis cum conjecturis, quid eo futurum esset, post uxoris obitum. Sacro finito adit ipsum ipsemet Dominus Franciscus, qui interfuerat sacro, de quo Pater Julius nihil scivit, cùm inter litandum pro eo oraret. Et affirmat ipse, maximè sibi Missæ tempore monstrasse Deum arcana eorum, qui liturgiæ interfuissent, cósque se vidisse in divina bonitate, cui omnes, qui in vicem orant, se præsentes sistunt ad eum modum, quo quis magnum inspiciens

Audientium suam Missam arcana cognoscit.

ſpiciens ſpeculum non ſolum ſe ipſum videt, ſed & omnes circumſtantes. Hoc ipſo modo habuit ille cognitam graviſſimam cujusdam è noſtris ſocietatem egreſſuri tentationem, quam tolerabat quidam frater; Et quoniam ex modeſtia, ne videretur propheta, nihil ipſi voluit dicere, Deus negotium ita ordinavit, uti ipſemet eam illi aperiret, & ejus verborum efficaciâ & pondere in ſancto propoſito confirmaretur, id quod cum pluribus ipſi uſu venit. Dicebat, quo pacto in aëre habentur ſigna bonæ vel malæ tempeſtatis, ſic ſe facilè animorum turbida vel ſerena potuiſſe prævidere, etſi abſentium, & remotorum, ejus enim ſpiritus imbibitas habebat eorum internas occultásque affectiones. Quam in methodum & ipſe aperiebat proximorum pericula in corporibus, prout vidimus in illo, qui erat moriturus ſuſpendio ſui ipſius, cùm is omnium ignarus ipſi improviſus adfuit; ejúsque exomologeſin excepit. Similiter die quodam per Neapolim incedens ſenſit ſe extra modum impelli ad intrandam domum, in qua ipſe neminem, & nemo ipſum noverat; ingreſſus vidit ſcalas prælongas ab habitatoribus ipſis inobſervatas brevi caſuras; monuit ipſos de periculo, & illo ipſo die ſcalæ ſunt collapſæ abſque ullius damno ex admonitione evitato. Omnes interpretati ſunt peculiarem DEI protectionem ipſis à ſervo DEI profectam.

Sicut tempeſtates, ita animorum turbida, vel ſerena cognoſcuntur.

Monuit de ſcalis procubituris.

Simile quid ipſi occurrit in proprio periculo in civitate Ameliæ, ubi ipſe per æſtatem obibat Miſſionem. Studebat ille ſub horam 21. poliendæ concioni, & Caſibus conſcientiæ enodandis in ſuo cubiculo, cùm repente ſe ſenſit ſtimulari, iret quantocyus, & matutinum diceret penſum ſuo cum ſocio; cupiebat ille quidem ſuæ huic voluntati repugnare, cùm necdum videretur tempus, verùm non potuit. Arrepto igitur Breviario ſine rationum examine, quas habebat, differendi, abiit, & in pergula quadam

Prænotavit ruinam cubiculi.

exorsus est matutinum alterius diei pensum. Venerat ad tertium psalmum, cùm horrendum immugit cubiculum in fragorem, & ruinam. Trabs ejus conclavis collapsa incubuerat transverso primario tigno, idque diffissum fregerat, ac vi tota sedem ac mensam, ubi paulò ante studuerat, oppressit. Gens multa ad casum advolavit, nec poterat satis singularem Dei curam demirari, quam habuit in liberando famulo suo. Alias item in rebus non ità magni momenti, & præcisè ad ejus consolationem pertinentibus experiebatur in animo eundem instinctum. Duo menses ierant, cùm Neapoli suapte pietate & genio suadente Romam, & ad sacram ædem Lauretanam discesserat Juvenis quidam studiosus, qui primam in eo collegio docebat scholam. Studia jam erant instaurata de novo sub initium Novembris, Magister autem non comparebat, nec de eo afferebatur ullus nuntius. Pater Julius tunc se cubiculo incluserat, & operam navabat orationi, cùm ecce nemine quicquam cogitante is Magister vivaciter ejus imaginationi objicitur, prodit cubiculo, & obvium habet ipsissimum, magno suo cum solatio eum complexus. Venerat nuntius ex Collegio de Bovino, illic P. nostrum Vincentium Caraffam, postea societatis nostræ præpositum Generalem, virum sanctitatis extraordinariæ, ægrotare, omnium animi Neapoli hærebant suspensi, & nihil de ipso sciebatur; Pater Julius cubiculo inclusus vacabat orationi, illum vidit eodem modo, ut supra Magistrum. Prodiit è conclavi, illum complexus est, ut solent se mutuò, servi Dei. Quodam manè, antequam ipse orationi vacasset, suo in cubiculo coràm se stitit Domina Marchionissa de Bracciliano, quæ ipsum suaviter arguebat, quòd tam rarò ad eam inviseret, & ecce janitor idem monet, adesse servulum, qui Patrem nomine suæ dominæ ipsum advocet.

De adventu Magistri certior factus.

Nunquam

Nunquam finirem, si omnes ego casus ab hoc interno profectos instinctu enarrare vellem, per quem ipsi Deus loquebatur ad cor, résque futuras indicabat. Non tamen silentio præteriero, quo pacto hic ipse spiritus, qui res longinquas ipsi præsentes stitit, nonnunquam ipsum rebus longinquis præsentem stiterit, absque eo, quòd loco, ubi erat, moveretur ad opem ferendam, qui ejus indigeret, prout jam supra obiter dicebamus, & articuli impressi testantur. Cui rei fidem facit Sacerdos quodam die in lecto suo graviter contra honestatem tentatus: apparet ipsi Pater Julius, cui se commendaverat vultu gravi & venerando, hortatur illum, ad se confessionis causâ accedat. Experrectus quàm primum sentit magnam confitendi facilitatem, ubi prius nec cogitare quidem de confessione poterat. Accessit, confessus est, exuit veterem hominem, novum induit, quem & constanter tenuit; nec dimisit. Domina Beatrix Guevarrá Domini Thomæ Filomarini Comitis de Rocca & Alpido Vxor cùm Neapoli ad mortem decumberet, Beneventum misit, qui Patrem Julium illic commorantem advocaret, ut eam sanaret (tanta erat de ejus orationibus existimatio.) Dum nuntius eò contendit, jam Pater Julius adfuit, consolans eam atque animans, ne dubitaret, ipsam ex hoc morbo minimè, sed post aliquot annos, morituram. Sic narravit ipsamet: atque ita fuit; nam cùm advenit, reperit illam meliusculè habentem, & post paucos dies omninò convaluit. Hoc eodem modo interfuit morti sui Patris, & Matris, & si plus centum millibus abesset, vidítque eos afferri ad tumulum.

Nonnunquam patrem rebus ipsis præsentem stitit.

Subita erga confessionem affectio.

Dum nuntius eò contendit, Pater ipsus adest.

Interfuit morti Patris ac matris etsi absens.

Maceratæ in sua patria, prout in capite primo libri secundi indicavimus, ægra, à medicis maligna ex febri deposita jacebat uxor Domini Marii Compagnoni ex domo Morona, filia fratris Moroni dictæ civitatis Episcopi. Adiit illam Pater Julius, qui tunc ex itinere illic agebat, hortatus

est illam ad patientiam,& impetravit ab illa promissionem. quòd saltem per octo dies illum morbum vellet æquo & libenti animo perferre. Quo facto rediit ad Collegium,non aliud agere visus,quàm die ac nocte pro eâ orare. Nondum decurrerant octo dies, cùm illa iterum sibi apparentem Patrem Julium habuit, séque sanantem. Vocavit illa domesticos, quibus exposuit visionem, repente à febri omni cum stupore cunctorum immunis. Ex nostris fratrib⁹ nonnemo Neapoli 6. Febr. Anno 1611. periculosè ægrotans oravit Patrem Julium, ut libêret venire ad se invisendum, non potuit illi obsecundare justis de causis; preces tamen pro illo fudit,apparens illi,& extemplo sanans. Nocte præcedente decimum septimum Maij Anno 1609. apparuit Pater Julius Neapoli cuidam ex filiis Confessionis, graviter illum reprehendens de quodam suo delicto, propter quod is manè magno suo cum dolore accessit ad confessionem, denarrans ipsi visum. Alius quidam ex pœnitentibus Neapoli lapsus est in grave peccatum, cùm verecundaretur illud Patri Julio indicare, aut forsan alia de causa solitam octiduanam confessionem, ommisit, sub noctem se fornax aperuit versus ipsum flammas evomens fætentes. Fugit ille,quantum potuit, flammâ tamen ipsum identidem insequente; obvium habuit apertum Patris Julii cubiculum, illud ingressus & confessione expiato animo flamma disparuit. Venit is altero die ad sacrum tribunal plenus salutari timore contritus. Tanti refert non solùm confiteri frequenter,sed & habere confessarium bonum.

Absens orat & sanat.

Peccator visione terretur.

Claudam hoc caput exemplo, quod forsan alicui videri queat non parùm admirabile, hoc est, non illum personis indigis quandoque, sed personas illi visibiles se præbuisse. Domina Isabella de Gatta in Tufis adiit nostrum templum Neapoli ejus se precibus commendatura unà cum duabus filiabus,valdè ex aggerans earum necessitates.

Non ille personis, sed personæ ipsi subinde sistuntur.

Hoc

Hoc ipse totum præviderat triduo ante, & angelus tutelaris hoc ipsi suggesserat imagine illarum tanquam in scenâ ad vivum ipsi objectâ, etsi menses iverant non pauci, quod eam non vidisset. Dum ergo sub noctem 20. Octob. anno 1606. pro ipsis fundit preces, apparet ipsi clarè filiarum altera Dorothea Domini Ferdinandi Pagani conjunx, séque illi commendat simul cum una altera, cujus faciem videre non potuit; creditum est fuisse ejus angelum custodem.

CAPVT IV.

Extases Corporales.

QVi replicatum Patris Julii corpus pluribus locis audiverit, non habebit, opinor, difficultatem credendi illud sæpius in aëra sublimè evectum, cùm illud viribus naturæ magis repugnet, quàm hoc. Tam hæc, quàm illa gratia effectus est divinæ potentiæ in signum benevolentiæ, & sanctitatis servorum sibi præ aliis carorum, qui etiamnum in hac vita tanquam in totum à terræ fæcibus avulsi incipiunt certo modo dotibus perfrui Beatorum in cœlo cùm in corpore, tùm in animo. Erat illa cupiditas, quâ flagrabat erga Deum, tanta, ut, quamvis esset senex, & tenuissimis viribus, nec posset se genua flexus inter litandum ad aram, nisi multo cum nisu, & applicatis ad spondam altaris manibus erigere, nihilominus, quando ille divini amoris focus in animo exarsit, subsultaret tamen totum corpus in illo habitu, in quo illum reperiebat, sive esset genu flexus, sive stans pedibus, sive extensis per aërem, sive junctis manibus cum illa agilitate, quâ ignis pulverem nitratum complexus globum plumbeum satis ponderosum celerrimè in longa evibrat, & ejaculatur intervalla. *Ita*, inquit ille, *in præsentia Dei sentit se fervens Dei servus impelli instar vivacissimi cujus-*

Magis repugnat naturæ replicari, quàm in aërem elevari.

Amoris vis cum instas pulveris nitrati elevat.

dam venatici canis, quem copula retardat viso lepore, vel capra.

Similitudo canis venatici, aut infantis ubera quærentis.

Sicut se infans fasciis constrictus concutit & jactat, cùm ad dulcem suam matrem anhelat, nec linguâ potest suum explicare affectum; nec impeditus conjicere se in sinum, aut stringere pendulus collum matris. Hujusmodi amabiles violentias ipsis viginti annis expertus est Pater Julius, seu vacaret precibus, seu sacris operaretur ad aram, seu cum Deo dulcia misceret colloquia. Et quamvis omni uteretur diligentiâ, ut sibi temperaret, nihilominus subinde neque tam celeriter, neq; tam potenter sibi imperare potuit, quin aliquando impetus abriperet corpus, animæ quò desiderium avolaverat.

Mirabiliter certamen in raptu.

Nobilis eques mirum quantum afflictus redierat Neapolim domum, à quâ aliquot diebus abfuerat. Adiit Patrem Julium solatii gratiâ. Exorsus est cum illo agere de rebus ad spiritum pertinentibus; non duraverat quartam horæ partem, cùm tali fervore & impetu cœptus est agi, ut inter gemitus & clamores totum corpus subsiliret in aëra. Nobilis non minùs generosus, quam pius, ubi alter quispiam consternatus trepidasset, ipse animosior ex ipsius se tibiis suspendit, nescias, an cum illo iturus in cœlum, an secum illum retenturus in terra. Illud ipsum contigit Neapoli uni ex nostris fratribus, quos Coadjutores vocamus, sexaginta annorum seniculo, qui famularem illi operam navaverat, cùm operaretur sacris in sacello Dominæ Principis de Bisignano Anno 1602. Cùm namque Pater Julius gratiis angendis distineretur, similis eum impetus rapuit in aëra; iste autem accurrens complexus est eum medium, ac tenuit, metu, ne per sacelli fenestram evolaret, aut se quadantenus offenderet. Hi tales raptus sæpè ter quater deinceps inter litandum occurrebant, post consecrationem, cùm sacram in altum tolleret hostiam, cùm genua flecteret, antequàm elevaret calicem; cùm diceret illa verba ante communionem; Panem cœlestem accipiam, & post communionem,

Quo tempore Missæ potissimũ raperetur.

munionem, eo ipso in habitu corporis, ac gestu, in quo inveniebatur, subsultando cum eâ violentia, ut circum præsentes ejus rei ignari potuerint percelli.

XIX. Febr. Anno 1603. Neapoli dum hostiam consecrabat, expendens, quantum se Deus ex alto cœli regno demitteret in illum parvum orbiculum, multò majori cum excessu, quàm si ipsum Deus evexisset in paradisum, & coràm statuisset, ejusmodi vim, & abstractionem passus est, ut ejus corpus ad majorem, quàm unquam alias, conscenderit altitudinem, & hoc bis ter ex ordine. Nec modum inveniebat se retinendi, aut prosequendi Missam. Tanto agitabatur impressionis impetu toto illo tempore ad instar globulorum, qui ex Indiis afferuntur, & videntur non posse in terra consistere, identidem altius subsilientes. XIV. Sept. Anno 1613. in palatio Dominæ Marchionissæ de Bracciliano de Deo loquens, cùm modum perpenderet cognoscendi Deum per viam Creaturarum, fuit illa cogitatione adeò defixus, & succensus, ut inter profundissimos gemitus & suspiria elevaretur ejus corpus in aërem magno cum metu & horrore multarum dominarum, & aliorum, qui illic erant, illúmque audiverunt, & viderunt ità raptum. Hoc ipsum illi paulò ante evenerat in domo Dominæ Dorotheæ de Tufis, non sine magna ejus molestia, & rubore adeò, ut, cùm rediret in se, illa fugeret, & sese absconderet firmo animi cum proposito, non amplius se, quòd in ipsa esset, committendi hujusmodi congressibus. Verùm, ut dixi, spiritus spirat, ubi, quando, & quantum vult, nec teneri aut includi se patitur legibus humanæ voluntatis; quin subinde habenarum impatiens sanctos hos prorumpat in excessus.

Magno metu & horrore mulierum rapitur.

Res illi multò mirior accidit festo die Sancti Andreæ Patroni sui anno 1612. in domo Domini Ferdinandi Pagani equitis Neapolitani, res, inquam, cui similem non memini

Spiritus ubi vult spirat.

memini me audire vel legere de ullo alio. Sermocinabatur ille de amore ærumnarum,& cruciatuum libenter pro Deo toleratorum, in præsentia multarum Dominarum,& virorum, qui ipsum audiebant, & dum ille magno suo fervore eos quasi rapit in extasin,ipse non solùm toto cum corpore, sed etiam cum sella,in quâ assederat,cum stupore omnium, qui aderant,rapitur in altum. Quâ re ipse ita confusus fuit, ut non auderet ampliùs venire in ipsorum conspectum. Erat hoc Patri Julio ità familiare, ut multi affirment, se illum vidisse hoc modo elevatum, quos inter est Dominus Joannes Baptista della Porta, aliique multi. Fidem faciunt articuli impressi, ac præsertim de raptu jam jam præmisso, de quo cùm tabulæ extent authenticæ in nostro archivio Collegii Romani, forsan non obfuerit ejus apocham huc referre,& est talis.

Cum sella rapitur.

Ego Dorothea de Tuso annorum 72. circiter vidua Domini Ferdinandi Pagani quondam conjunx jurejurando tactis Scripturis fidem facio plenam, & indubitatam, erunt quadraginta circiter anni, cùm bon. mem. Pater Julius Mancinellus è Societate Jesu per occasionem, quòd bona anima mater mea ægra decumbebat, venit ad invisendam eam in domo, ubi habitabamus cum dicta Domina matre Neapoli propè Collegium dictæ Societatis, multis præsentibus aliis Dominabus, quæ venerant item ad visitandam eam, & signanter Domina Beatrix de Tuso soror mea. Et cùm inciperet memoratus Pater loqui de rebus spiritualibus,prout ejus ferebat mos,quasi sciscitabundus dixit. Quid sibi vult? quòd nos tam illibenter patimur res adversas? cùm sancti illas quæsierint tanto cum ambitu? respondit ipse sibi,quia sancti vident res, sicuti sunt,non item nos. Postea perrexit solus loqui,ac dixit, *quàm res pulcra erit videre Deum in se,& se in Deo? Et hæc dicens visus est à me, & ab omnibus aliis, qui aderant, inflammatus in vultu, & exaltatus à terra, & sella exterio,ubi sederat,ad usq; altitudinem cornicis prope caminum & postea*

Testimonium de superiore raptu.

postea descendens fuit auditus à dicta Domina Beatrice, ab omnibus aliis & à me strepitus, quem faciebat sella suo loco reposita. Vnde ipse advertens, quid factum esset, ac proditus statim se hinc volebat auferre, & cùm non statim reperire viam posset ad januam, dixit. Vnde exitur hinc? Domina Marchionissa de Bracciliano vellicavit ejus pallium, & indicavit ipsi viam. Nos autem reliquit omnes plenas boni exempli, & stuporis. Nec de aliare passim fermo per multum temporis. Quia verò hæc ipsissima veritas est, ideò subjunxi meam manum, & dicta Domina Beatrix suam, coram infra scripto Notario, & testibus ad majorem Dei gloriam. Neapoli hodie 13. Januar. anno 1652. Dorothea de Tusis. Ego Gratia Camanata fui præsens, & facio fidem. Beatrix de Tusis. Ego notarius Marzanus testis. Ego Petrus Ceretiellus testis. Ego Joannes Iacobus Verza testis. Et ego Ioannes Andreas Cassetta Neapolitanus Apostolicus, & regius notarius scriptus in Archivio Romano facio fidem. Testimonia hic allata esse vera chirographa Dorotheæ de Tufo, Cratiæ Camanatæ, Beatricis de Tufo, & testimonia propria &c. omni &c.

Non statim reperit fores exeundi.

Testimonia dicta esse legitima.

Atque ex hoc, quod ipsi accidit in publico, de facili capi conjectura potest de privato, ubi ipse sibi non tantam inferebat vim ad se continendum, & liberiores relinquebat animo, & spiritui habenas. Satis mihi sit, quod ipse ait, sibi occurrisse Senis, referre, nimirum quadam se contemplatione abstractum vidisse se ipsum in actu orantis Deum maximo cum pietatis sensu, & affectu, cum ardentissima erga Deum siti in corde, summâ cum animi dulcedine, & quiete; vidisse se in ea altitudine, ad quantam oculus humanus non possit pertingere. Istæ extases tam notabiles non solùm ipsi inter litandum (quod ipsum vehementer affligebat, eò quòd sine molestia præsentium, & quod plus est, absque indecentia illius actionis divinissimæ contingere non poterant,) sed & frequenter & quasi de more inter orandum, & examina sese offerebant, ut cogeretur instar

In ea altitudine, quò non pertingit oculus.

Ejus cubiculum sæpe per noctem illustre.

pilæ identidem subsilire. Ipsius cubiculum per noctem sæpe visum illustrari tanquam in meridie, plenum luce. Nunquam tamen sic absorberi se patiebatur corpus ab anima, quàm cùm ferventissimè loquebatur de Deo, quo ità redundabat, ut aliæ cogitationes ipsi non venirent in mentem, nec aliæ voces in linguam. Aliud non cogitabat, aliud non proloquebatur, cum illa energia & ardore, quem perspeximus in tota vita. Et propterea de ejus sermonibus non digessi perculiare caput.

CAPUT V.

De Visionibus.

EXtases istæ, quas Deus mittit sanctis viris, videntur plerumque à Deo ipsis concedi, ut appareat esse quiddam in cœlo, quod eos illuc trahat. Ita Sanctus Paulus usque ad tertium raptus est cœlum, ut audiret illa verba, quæ non licet homini loqui. Porrò Pater Julius maximâ a Deo copiâ cœlestium visionum donatus fuit, prout asseritur in articulis impressis. Numero fuere multæ, formâ variæ, mysteriis sublimes & reconditæ, quas afferre in medium omnes si vellem, metuendum mihi sanè foret, ne obtunderem. Seligam diversitate & ordine objectorum nobiliores, omissis signis, ex quibus veræ à falsis, & meris imaginationibus distinguuntur, de quibus Pater Julius tanquam in hac arte mirè exercitatus magister integros tractatus conscripsit solida cum doctrina ex sacris literis & Sanctis Patribus desumpta, minimè dissentiente naturali philosophia, ne umbris humanarum imaginationum inveniamur illusi. Quam ob rem etiam dissimulavit eas visiones illarum rerum, de quibus jam antehac habuit imbibitas species, & imagines, metu, ne vehementia imaginatio-

Libentius recurrit visiones nihil cogitanti oblatas.

nis

nis interfereret quidpiam ad decipiendum eum. Simili modo multò libentius retulit eas visiones, quæ ipsi nihil cogitanti obvenerunt, ubi libera electio non habuit, quod ageret; semper enim eas pro suspectis interpretatus est, de quibus antecedenter cogitaverat.

Distinguit visiones & revelationes.

Præterea distinguit puras visiones à revelationibus, quia in illis semper ostenditur res aliqua vel præterita, vel futura, vel præsens tempore, absens tamen loco, cui inhæretur absque eo, quòd quæratur aliud, quàm simplex visio, pro utilitate videntis: in his autem (nempe revelationibus) ultra visionem, quæ semper intervenit, attenditur quidam alius finis, nimirum admonendi, instruendi, consolandi quempiam alium, prævertendi periculum quoddam grave, cum prædictione sæpe alicujus rei, quam nec ipse, cui revelatur, intelligit. Nos difficulter hanc distinctionem poterimus constanter retinere, quandoquidem sæpe pura visio necessariam connexionem habet cum revelatione, nec nobis videtur separanda; illas tamen, quæ ex integro fuerint revelationes, dabimus sub titulo prophetiarum, quibus perinsignis extitit Pater Julius, prout videre est in articulis procusis.

Hæc distinctio non semper potest observari.

Denique advertendum est, visiones & revelationes aliquoties occurrisse sensibus corporeis, quando scilicet oculis corporis objecta visibilia conspicienda habuit, audivit cantus, sonos materiales auribus percepit, odores etsi à nostratibus multùm dissimiles. Veneratus est nunc dulcissimum Servatorem nostrum, nunc sanctissimam Virginem matrem, nunc cœlestes suavitates in sanctissima Communione palato delibavit.

Visiones & revelationes corporeæ aliæ.

Alias visiones fuere merè intellectuales, verùm ita evidentes & firmæ, in quantum objiciebantur animo, ut cum nullo æquali eas possimus contendere, & in hoc casu nunquam fallebat infusa cognitio. Species porrò intellectuales, quas recipiebat, cum rebus creatis, nihil commune aut simile præsefere-

Aliæ intellectuales.

bant. Judicavi ad majorem legentis claritatem non absre fore, hæc pauca monita præmisisse.

Rationes duæ, ejus visiones veras esse prima.

Nunc ad visiones Patris Julii peculiares accedamus, quæ inter alias probationes, veras esse, habent duas sequentes. Prima est; Earum multæ scriptæ fuerunt, ut videbimus, de die in diem ab ipsomet Patre Julio statim, postquam illas habuit, ità ut multæ illarum non dico diebus sed annis annotatæ fuerint, antequam successus ab eo prævisus eveniret, & postea examussim evenit. Exempli gratia. Prævidit & scripsit, sicut legere est, manu propria 24. Nov. anno 1613. futurum generalatum P. Mutii Vitelleschi, qui non fuit electus nisi postea 16. Novemb. anno 1615. duobus annis post prædictionem scriptam. Item revelationem habuit de fama magnæ sanctitatis Patris Caraffæ; annotata fuit tot annis antè, & subsecuta tot annis pòst, ut constabit. Altera probatio. Deus hoc ipsum semel clarissimè illi revelavit, ejus visiones non esse falsas, & ut magis illum certum redderet, & acquiesceret, dedit ipsi in specimen revelationem de quodam Patre nostro ægrotante in corpore & in anima; eum nempe certo tempore, & modo convaliturum, suúmque errorem & agniturum & depositurum, id quod ad unguem successit. Et Pater Julius mirè confirmatus est in fide, suum spiritum tutum & securum, nec subjectum esse illusionibus, id quod multum timebat tanquam humillimus virorum.

Altera.

CAPVT VI.

Visiones pertinentes ad Deum.

Non prætendirur P. Julius vidisse Deum,

QVanquam aliqui Sanctorum Patrum ac Theologorum ejus fuere opinionis, Mosen & Sanctum Paulum divinam essentiam, quasi in ictu oculi propriâ vidisse specie,

ſpecie, antequam vitæ hujus abſolviſſent periodum, in qua peregrinamur à Domino, id tamen minimè hic prætendo, dum dico Patrem Julium habuiſſe viſiones Dei, ſed id duntaxat, quemadmodum ſagax canis per odorem abſque eo, quòd eam videat, indagat feram, & venator prædæ cupidus, cùm veſtigia cernit, terræ & nivi impreſſa, illam inveſtigat, ità Patrem Julium per res creatas, tanquam divinitatis veſtigia, ſæpiùs veniſſe in vivacem conditoris cognitionem, prout Sanctus Paulus docuit ad Rom. c. 1. v. 20. & Sap. c. 13. v. 4. maximè Incarnationem verbi, quod veniens in terram, & converſans cum hominibus plurima ſuarum divinarum operationum impreſſa reliquit veſtigia, per quæ faciliùs poſſimus venire in notitiam Dei, id, quod ipſemet Sancto Philippo dixit: *Qui vidit me, videt & Patrem meum; quoniam ipſe in me eſt, & ego in eo.* Verùm iſta fides eſt propriè potiùs, quàm viſio, prout facilè intelligitur. Et pro hac creaturæ nobis ſerviunt tanquam in manifeſtum credendi argumentum, quod ultra ipſas eſt, qui eas creavit: ad eum ferè modum ſcilicet, quo quis videns civitatem grandem ex longinquo cum turribus, arcibus, mœnibus magnificis facilè conjicit, illic eſſe multas divitias auri, argenti, gemmas, & hujusmodi ornamenta pretioſa. Ita Pater Julius ex effectibus admirandis, quos videbat, creaturarum, quósque experiebatur quotidie in hoc viſibili mundo, arguebat divinam præſentiam, divitias bonitatis & ſapientiæ Dei in illis ſenſibiliter exiſtentis.

ut Moyſes vel S. Paulus.

Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.

Itaque 2. Decemb. anno 1604. Neapoli reverſus ad cubiculum circa horam 22. ſtatim in ingreſſu percepit ſuaviſſimum odorem, & reputans ſecum, utrum ex cauſa naturali potuerit provenire, reperit abſolutè non potuiſſe; cùm namq; otioſè ſecum penſitaret, utrum eum ſua ipſius imaginatio alluderet, inde collegit ſibi ab eâ non imponi, quòd fragrantia illa contra, ac naturalis ſoleat, in majus augeret,

Fragrantia abſq; cauſa naturali.

geret, imò, cùm eam vellet cum aliqua naturali fragrantia assimilare vel componere, non potuit excogitare ullam, qua cum quadamtenus eam compararet. Sensim à corpore penetravit odoris vis in animam, replendo illam dulcedine, tranquillando illam, & movendo illam ad devotionem, ita ut non posset, quin in genua provolutus adoraret Deum, quem adeò præsentem cognosceret, eliciendo actus reverentiæ singularis, actionis gratiarum, petitionis veniæ de propriis peccatis, & ingratitudine, & speciatim actus Humiliationis, & cognitionis propriæ vilitatis, admirationis, Deum hosce conferre favores illi, qui omnium minimè eos commeruisset. Perseveravit sat diu in hac oratione, perseverante semper eâdem fragrantiâ. Verùm circa finem cùm ipsi videretur certa quędam spiritualis sensualitas frui tam diu illâ dulcedine, surrexit ab oratione, & tunc ipsi in mentem venit, non ita pridem vidisse se Christum Dominum in eodem loco.

Ejus effecta.

Sancti timent sensualitatem etiam in rebus sanctis.

Aliàs peregrè profectus ad eremum Camaldulensem, in qua Sanctus Romvaldus vidit scalam cœli applicatam, per quam ascendebant ejus Sancti Monachi, inclusus cellæ ipsi ab illis Patribus assignatæ cœpit incumbere in examen conscientiæ, & sub illo habuit mirabilem sanè visionem. Aperuit se cœlum versus illum, vidit aulam cœlestem, vidit Deum in Patrem Julium conjicientem oculos, in illo sancto loco, sancto in silentio, & cum quiete sedentem. Sensit in se illud quietum, illud tranquillum, illud lucidum, illud jucundum, quod videbat in beatis paradisi, & unà cum illis contemplabatur Deum, & proponebat illi varias, & suas, & sanctæ Ecclesiæ necessitates. Intelligebat & suam & beatorum à Deo dependentiam; item intelligebat quoque sanctitatem illius loci ad similitudinem illius, ubi secundum quietem Patriarcha Jacob habuit illam mysteriis plenam visionem. Hanc visionem animo impressam

preſſam multis ſecum menſibus circumtulit innovatà identidem extraordinaria in corde devotione. Erat tunc Pater Julius annorum 32. Quaſi eandem viſionem habuit plurimis annis pòſt in Monte Fortino terrâ Domini Marij de Vicariis antiquiſſimæ nobilitatis Neapolitanæ, cujus duo Germani fratres in ſocietate obierant cum opinione ſanctitatis. Excurrerat eò in Miſſionem rogatu illius magnatis, & manè valde matutinus compoſuerat ſe ad meditandum in pede altiſſimi montis: exorſus contemplari vidit cœlum apertum, & per multos dies totam aulam cœleſtem. Mirabatur non ab omnibus Chriſtianis fide præditis, & à ſeipſo non ſemper videri, cùm per eandem fidem certiſſimum ſit à Deo nos videri, & Deum à nobis videri præſentem in orationibus, & actionibus noſtris. Intellexit optimè divinam ſapientiam, ac providentiam, quâ gubernat, & gubernabit iſtum mundum inferiorem. Et hæc impreſſio ipſi duravit per multos menſes, & habuit miram facilitatem perſeverandi in unione cum Deo.

Hanc viſionem multis menſibus ſecum circumtulit.

Mirabatur Deum non videri ab omnibus fide præditis præſentem.

Sic, cùm eſſet in palatio Epiſcopali Civitatis Caſtellanæ, illicque miſſionem obiret, inter litandum habuit clariſſimum lumen de Deo, in quo videbat res creatas mundi, hominum negotia, & multa alia ſe ſpectantia; aítque inter plurimas miſſionis occupationes expertum ſe fuiſſe majorem ſolitudinem, & collectionem, quàm cùm eſſet privato in cubiculo noſtri Collegii, ſingulari ex dono, quo Deus operarios noſtros remuneratur, qui, dum Miſſionibus diſtinentur, valde ſe noſtro cum Inſtituto conformant. Multas tales viſiones refert Pater Julius, quas ego ex profeſſo prætereo. Porrò hujusmodi viſiones proveniſſe à Deo, quas conferre voluit cum Sancto Franciſco Borgia Generali, qui fuit ejusdem cum Patre Julio ſententiæ, colligebat ex duabus ſequentibus rationibus. Prima eſt: poſt illas erat omnibus cum arteriis & ſanguine, tali imbutus ſenſu, ut corpore

Solitudo in negotiis.

Rationes, ſuas viſiones eſſe à Deo.

corpore quidem videretur languere, affectionibus tamen moderatis, & mente sic illuminatâ, ut res futuras videret tanquam præsentes; adeò bene eas distinguebat, & prædicebat absque errore. Ac quod fortasse magis mirum videri queat, ipsius præsentia tranquillabat perturbatos, placabat crudeles, exempli causâ, Turcas, Hæreticos, exules, patriâ extorres, qui licet illum viderent malè constitutum, pedi-tem, solum, componebant tamen se eo viso; obscquebantur ipsi, & attendebant ejus verbis; id quod non aliunde poterat provenire, quàm à luce divinæ gratiæ ab ipso transparente, sicut sol ex nubibus, aut lumen ex tersâ crystallo.

Etiam feras expertus est mansuetas.

Verùm hoc non soli homines, sed, quod magis stupendum, & feræ ipsæ fuerunt expertæ, quem ad modum supra diximus de Leone in Algiero, qui ipsius manum est veneratus osculo: Et semel cum rediret solus, & absque ullo præsidio, invaserunt eum duo molossi hortorum custodes humeros retrò aggressi, qui simul eum tetigerunt, statim omni feritare positâ facti sunt non solùm mansueti, verùm etiam blandi, & festivi, non secus, ac si ei tanquam suo domino applauderent, ac demulcerent.

Dæmones ipsi timebant illum, & in obsessis non audebant ejus faciem respicere, sed demissis oculis cadebant in terram.

Infirmitates, tentationes disparebant.

Infirmitates ipso præsente sæpius disparebant, tentationes fugiebant, teste supra nominato Domino Mario de Vicariis, qui simul illum vidit, liber fuit à gravissima tentatione interna. Viri religiosi eum intuiti elevabantur ad Dei contemplationem. Ita Dominus Joannes Baptista de Porta dicebat, ipso conspecto erectum se fuisse ad statum & gradum spititualem miro modo.

Ipse expertus est sacrum horrorem ex præsentia Dei.

Denique ipse Pater Julius affirmat, seipsum subinde concepta vivaciter divina præsentia expertum fuisse in se sacrum quendam horrorem, & sensibilem devotionem; sicut illi, qui quandóque consistentes in conferto populo, ubi eminus ostenduntur

duntur sacræ reliquiæ, deprehendunt in se, etsi eas non videant, sensum pietatis singularem, percutiunt pectora, & rogant veniam suorum peccatorum. Ità sentiebat præsentem Deum suis orationibus, & identidem in sacrificio Missæ, tanquam qui nihil de mundo in corde atque animo tolerans, utrumque apertum teneret communicationibus divinis. Neque solùm ità generatim de Deo, verùm sæpe sæpius speciatim & in particulari visiones habuit de sanctissima Trinitate, déque divinis personis. Quod ad propositum vacat mihi afferre in medium, quod ipse de simili quadam refert visione in hunc modum.

De mysterio sanctissimæ Trinitatis, de processionibus, de excellentiis B. V.

Aliquoties cùm sacris operaretur, & aliàs cùm meditaretur, repræsentatum ipsi fuit mysterium sanctissimæ Trinitatis, hoc est, processiones divinarum personarum, ut in visione, quam habuit Romæ in horto nostri novitiatûs, ubi mentem habuit elevatam, & mirificè habilitatam & defæcatam per visionem paucis diebus ante eodem loco habitam, in qua altissima quæque de excellentiis beatissimæ Virginis per stellas in coronâ pellucidas significatis intellexit. Vidit tres personas simul unitas in gloriâ 17. *Decemb. anno* 1610. *Vespere antecedente, cùm matutinas decurreret preces, & oculos mentis in Deum tolleret, quo cum totus negotiabatur orans, cælum ipsum, ecce! apertum est, cum magna illuminatione, sicut solet fieri in fulgetris, cùm tonat, & inter coruscationes fulmina discurrunt, ubi animadversa magna rerum, & personarum varietate, & intervallis, quæ illic morabantur luce gravi, & amænissima perfusæ, vidit solium, in quo divinæ personæ splendore circumfusæ acuto, qualis solis est, residebant, qui tamen oculos intellectûs minimè offenderet, imò confirmaret, & augeret aciem intelligendi & videndi absq; satietate, cum desiderio videndi reliqua, quæ videnda supererant; quò tamen non poterat aciem intendere. In qua visione se detinuit, quàm diu ipsi libuit, reflectendo tamen mentem ad officij, quod recitabat, debitam attentionem. Eo finito perseveravit illi visio*

Visio clarissima scribitur tanquam de alio tertio.

toto illo vespere impressa : ac quoties illi intendebat animum, magna cum facilitate redibat. Huc usque Pater Julius de se ipso, quasi de tertia aliqua persona. Qua ex narratione colligas licet, ipsi non solùm abstrusa fidei nostræ mysteria fuisse perspecta, sed etiam in iisdem se pro libitu per otium detinuisse, ità conjunctionis cum Deo, & avulsionis à rebus creatis, quibuscum vivebat, potentem, ut simul illa exactè contemplaretur, simul illi negotio, quod inter homines ageret, summam daret attentionem. Est quidem verum, mentis ascensum in cœlum non ita semper feliciter cecidisse, ut non subinde obliviscceretur, quid ageret in terris.

Fidei mysteria ipsi perspecta.

Cùm Aversæ degeret cum Mozza illius civitatis Episcopo solitis Missionis functionibus intentus, inter litandum, præsente Episcopi nepote sæculari, & Diacono Missæ inserviente in aulæ sacello, ubi ad liturgiæ dimidium ventum est, ipse cœlum ingressus ad divinas accessit personas, ac, quoniam non mediocriter pulsabatur quibusdam carnis tentationibus, orare cœpit Patrem cœlestem, ut post sexaginta, & amplius annos ætatis, & quadraginta religiosæ vitæ liberare se hisce molestiis vellet, cùm semper castitatem & coluisset, & amasset; Pater cœlestis intellectis ejus precibus signum dedit, id à Jesu filio suo ad dexteram sedente peteret. Paruit extemplò provolutus in genua coram Christo. Et hic capite ipsi innuit, ut beatissimam rogaret Virginem, itidem regali in throno, sed paulò infra tres personas assidentem. Tum enimverò erectus vertit se ad thronum beatissimæ Virginis non procul distantem, & ipsa absque alia mora surrexit solio, & ipsi obviam processit hilari cum vultu, quo in colloquio hæc ipsi consolationum favos asperfit inenarrabiles. Immoratus est bonus Pater illic diutius solito, donec immensa hæc dulcedinis ambrosia, suavior, quàm cor capere humanum possit, terminum imposuit Visioni. Plures inde per annos liber fuit omninò

In visione petebat liberari à stimulis carnis.

omninò ab omni imaginatione impurâ, etsi non semper, nolente Deo, sicut gentium Apostolo, ei segetem, & materiam auferre coronarum, & meritorum. Hoc in casu, sicut dicebamus, abstractionis excessus ejusmodi fuit, ut sacrificii omninò oblitus interrogare clericum coactus fuerit, quousque in eo perveniſſet, atque ita sine errore id ad finem perduxit. Verùm quantumvis sat crebrò divinæ personæ se Patri Julio ostenderint, nunquam tamen in persona Patris sibi satisfecit, id quod ego in secundo libro, capite de oratione annotavi. Propterea ipsemet cupidissimus cognoscendi quandam Ideam, & formam proponendi illam sibi, cùm ipse secum agebat, ut sese ad majorem ipse devotionem & reverentiam excitaret, propter excellentiam ipsius & nostram dependentiam; quodam die totus studio & meditatione fessus, item isthac siti, qua de dicebam, ardens contulit se ad fenestram in novitiatu, ad captandam auram liberiorem.

Quare Deus noluerit omninò liberare P. Julium à stimulis carnis.

In persona Patris nunquam sibi satisfecit.

Tum se dedit Pater cœlestis ad videndum magnâ cum luce, exhalando divinitatem (utor verbis ipsius.) *Caput erat senis calvi, & depilis, sicut exprimitur à pictoribus Deus Pater, collocatus in summo, tunc, ubi depingunt Incarnationem, vel baptismum servatoris nostri.* Hæc visio impressit ipsius animo affectum paternum, benignum, amabilem, & mox in momento disparuit. Pater Julius duplici ex capite affligebarur, & propter celeritatem visionis, & quia plus nimio vilis ipsi videbatur hæc Dei visio; unde convertens se ad divinam majestatem dulci cum questu ipsi dixit: *Tot annis dignam quærito vestræ essentiæ imaginem, & excellentiorem similitudinem, nunquam dignus visus sum, qui eam invenirem, & nunc hæc ipsa, qualiscunq; ea est,* pænè simul visa est, subtractáq; desiit esse, *absq; eo, quòd umbram sibi mens, ne dum similitudinem, vel imaginem formare potuerit.* Aliàs sæpius aspectabilem se illi præbuit cœlestis Pater, offerens illi vul-

Descriptio Dei Patris.

Dulcis querela P. Julij de cœlesti Patre.

Visiones Christi Domini.

nera filii sui, qui illic ponè astabat, summo cum gustu utriusque. Et ad visiones quod attinet, Jesu Christi, multæ illæ fuere, & mirificæ, de quibus aliquas hic dabimus.

De ejus inexplicabili gloria & exaltatione in paradiso datus ei fuit sensus & intellectus nullis verbis facilè exprimendus, potissimum inter illa verba; *Domine non sum dignus*, ubi excellentiam Domini Dei, & propriam expendebat indignitatem. XXXI. Decemb. anno 1603. vidit illum de cœlo descendentem in Hostiam; in illa ipsa Hostia vidit illum totum gloria & majestate circumdatum. VI. Maij anno 1611. & XV. Augusti anno 1603. & alias sæpius post consecrationis prolata verba, in formâ parvuli annorum quasi septem; Semel cùm sacram hostiam sumeret, habuit clarissimam paradisi visionem unà cum præsentia Dei, & beatorum, quos inter multos vidit nostrorum Patrum, & in particulari Christum Dominum in solio.

Quid dixerit P. Julius, cùm videret nostros in paradiso?

Tum ipse multa cum simplicitate, humilitate, & rubore conversus ad nostros illos Patres dixit: *Bene! quid dicitis vos ad hoc? decétne unum talem mihi similem, ità miserabilem, in coronâ tam spectabili sumere Christum Dominum?* Inde conversus ad Christum Dominum, quem manibus tenebat, prorupit in hæc verba: *Domine! qui hic coram es, utrum ames me, nec ne, non possum scire pro certo; equidem scio bene in conscientia mea, credere me, quòd te amo ex toto corde, & ardenter te desidero, & quòd teipsum jam nunc mihi das. Et hoc mihi sufficit in signum tui erga me amoris.*

quid dixerit ad Christum?

Quibus in verbis sensit incredibilem amoris erga Jesum teneritudinem, ità contentus & satur, ut nihil aliud curaret. XXVIII. April. anno 1607. Cùm Pater Julius solito magis afflictus esset mensem per integrum, eò usque, ut anxiè dubius hæreret, utrum Deus illi vellet bene, vel utrum gratiâ excidisset, ità ut opera ejus ipsi non amplius essent grata, nec ea oculo aspiceret benigno, sub vesperum obitis

solitis

solitis pœnitentiæ operibus, quæ nunquam ommittebat, imò ea in illis afflictationibus conduplicabat, per noctem etiam interrupto somno, orationibus usus brevibus jaculatoriis secundum auroram, cùm dilucularet, vidit solem in cubiculo, id est, Jesum infantulum cultu planè aureo terssissimo, supra partem columnæ eminulum, qui sæpe illum contuebatur, quòd cùm adverteret Pater Julius, eúmque optimè nosset, quis esset, festinus surgens pensitabat secum, quid ipsi dicere, vel ab eo petere deberet; nec aliud ipsi occurrit, nisi, *Domine! oro te, suscipe me in servum tuum.* Hoc audito Dominus de Columna descendit & obvius illum tenerè complexus consolatione maximâ complevit; crescens inde sensim in magnitudinem insolitam finem imposuit visioni. Visus est totus immigrasse in Dei confidentiam, & securam certitudinem, esse se in gratia Dei, ac modum suum vivendi non illi esse ingratum.

Suscipe me in servum tuum. Nihil aliud illi occurrit.

XXXI. Maij anno 1605. præter voluntatem suam impulsus ad orandum propter negotia, in quibus illum princeps quædam plus justo, ac præ quàm placeret Deo, urgebat, quia Deus Patri Julio revelarat non placere sibi, fieri illi gratiam, ecce, improvisus ad dexteram adstat tanquam umbra, respicit, & cognoscit Dominum annorum quasi triginta trium, purpurâ indutum, pallio cæruleo, vultu turbato, in formâ, quâ ipsum se vidisse non meminerat unquam. Venit illi in mentem deceptionis, quæ proveniret à sua imaginatione; quòd videbatur sibi plus æquo orasse in illa causâ. Propterea clausit oculos aliquamdiu, & postea sæpius ac sæpius ad videndum reversus semper vidit eundem redemptorem, qui ipsum vetuit porrò orare pro illa Dominâ. Quæ, quoniam nihilominus contra voluntatem Dei ipsi clarè indicatam voluit potiri voto, tragicos vidit exitus, homicidia, & dedecora suæ Domûs. Biduò post hanc visionem oportuit Patrem Julium adire domum Marchionis

Non placebat Deo illi fieri gratiam.

Delincavit Christum, prout illum viderat.

chionis de Grottola senioris, ac dum nurus ipsius, uxor Consiliarij Sanchez, ipsi suum ostendit sacellum; illic ad vivum delineavit Salvatoris imaginem, qui ipsi apparuerat, nisi, quòd in visione colores, multò vivaciores, & recentiores cernebantur, quàm in tela; & intellexit esse depictum juxta pulcherrimum exemplar Domini Comitis de Celano Piccolominii, donum à Pio papa secundo illi nobilissimæ familiæ factum.

Sæpius illi Crucifixus apparuit.

Sæpius illi Christus Crucifixus apparuit, & jussit illum confidenter accedere, & figere osculum sacris pedibus. In reditu Constantinopoli in civitate Leopolitana in palatio Archiepiscopi supra modum ex ærumnosissimo fessus itinere, & laboribus missionis, quam illic obibat, fractus, & insuper à malo Dæmone acerbissimis vexatus tentationibus ad solitum suum orationis recurrit asylum, tota contentione virium & cordis affectu exorans constantiam, & finem mali. Inter hæc videt ad caput lectuli sui, in quo jacebat infirmus, Christum Crucifixum humeros ipsi obvertentem, cœpit ferventiùs orare non sine luce propinquæ spei, & Salvator pietate motus ostendit illi faciem sanguine & livore pictam, ac mœstam. Inde dedit signum, ut circumspiceret; circumspexit & vidit magnum Martyrum numerum; quo ex viso didicit, etiam se paratum esse debere exemplo Christi, & sanctorum tot Martyrum ad patiendum quid, & ita intrandum in gloriam ipsorum. Dispa-

P. Julius optimè intellexit, quid visiones à se vellent.

ruit visio, & cum ea mœstitudo, morbus, & tentatio, & in vicem illorum successit consolatio longè abundantissima. Aliàs sæpius vidit servatorem non doloribus obsitum, sed gloriâ & honore lætum; Contigit ipsi hoc in Collegio Romano, cùm adhuc Juvenis Philosophiæ operam navaret, ipsa nocte glorioſissimæ in cœlum Ascensionis. Conspectus fuit oranti Salvator totus luce circumfusus jubilans & glorioſus ascendens in cœlum, innumeris stipatus millibus

Habuit visionem, cum philosophiæ studeret.

Ange-

Angelorum. Canebant isti & ludebant variis instrumentis, percipiente Patre Julio suavissimam harmoniam, quæ corporeis accepta sensibus per ipsos influebat in animam, & repercussa supra cor illic nobilissimam exprimebat Eccho, non secus ac si illic totus divinus resonaret concentus. Imò addit, ipsam per dimidiam horam penetratum se & perfusum fuisse intus eâ cœlesti jucunditate, quæ ipsum totum in tenerrimas resolvebat lacrimas præ gaudio. Verba cantûs, quem audiebat, erant ista. *Ascendit Deus in Iubilo, & Dominus in voce tubæ.* Et illa altera? *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum.* Isthæc visio ipsi innovata fuit cum iisdem teneris sensibus, quoties memoria eam recolebat: verùm potissimùm quotannis in Ascensionis festivissima luce, quod pro numero annorum, quibus vixit, ipsi perfrequens fuit usque ad annum 1611. postrid. Cal. Majas: quo die adeò illi Deus adauxit gratiam, ut ipse asseveret, suam animam certo ac singulari quodam modo ad bene operandum esse habiliorem factam.

In die Ascensionis quam musicam audiverit.

Personam Spiritûs Sancti jam diximus aliàs ipsi in forma columbæ supra caput apparuisse. Aliàs sæpius illa divina lux extendit se in formam vasti oceani, ità ut corporeo lumine nequiverit pertingere ad terminum immensæ lucis, quæ accendit lumen sensibus, & fluctus hujus beati maris, quos videbat, repercussi ita profundè in animam per oculos suum splendorem immittebant, ut tota videretur illi innatare luci ipso meridie multò clariori. Hujus lucis ipsemet capiebat specimen & experientiam; claudebat namque sibi oculos omni cum diligentia, & ut verbis ipsius utar magis significantibus, obicem opponebat, & ità oculis clausis multò majorem videbat lucem, quàm cùm postea eos aperuit claritudini ipsius diei, cum lux hujus (diei) esset longè minor. Hæc ipsi illuminatio perseveravit aliquando ipsos

Persona Spiritus S. qua forma ipsi apparuerit.

In festo Corporis Christi vidit omnes res luminosas.

ipsos quindecim dies. Similem illustrationem habuit semel in festo Corporis Christi hac cum accessione & incremento, ut non solum seipsum, sed omnes res alias videret illuminatas & immersas in hac beata luce per multos dies. Sæpiùs cùm celebrabat Missam, Spiritûs Sancti radii, qui ipsum totum circumvestiebant, acie suâ amninò ipsi abstulerunt visum, ita ut longo temporis spatio, nihil prorsus videret, nec legere trabales Missalis literas posset, tametsi alioqui oculis esset multùm firmis, & acutis. In hac ipsa luce videbat plurima præterita & futura, prout diximus,& dicemus porrò. Si autem divinus ille ignis non duntaxat accendit lumen sensibus, sed & amorem infundit cordibus,& illic excitat incendia caritatis, ex tota Patris Julij vita, quam hactenus descripsimus, facilè colligi potest,quantus in eo foret Dei amor, & consequenter quantus erga proximum; sed præsertim ad aram, ubi illa paradisi immolabatur hostia, ac totus ardebat incendio amoris, totúsque liquefiebat.

Ardores amantis P. Julij.

Pectus,& præcordia incalescebant, ac conflagrabant, ut plus quàm succensa fornax vaporarent, nec tangi sine ustulatione possent. Hinc illi gemitus & suspiria,illæ voces & clamores vehementissimi, qui identidem ipsi ex ore velut flammæ erumpebant illo impetu, quali ex tormento ejicitur pila. Inde etiam veniebant illi subsultus, non dico, cordis duntaxat,sed etiam totius corporis in aërem elevati. Hinc illi violenti omnium membrorum languores jam quasi omni vita & animâ cassorum, quæ sæpius illum tanquam mortuum reliquit,eò abrepta,quo illum suus abstrahebat focus ad fruendum & videndum illud, quod unicè amabat, nec tum bene videre poterat, quantum intelligebat. His ardoribus nullo humano liquore restinguendis torrebantur viscera, arescebat lingua,faucibus hærebat, loqui impotens (ut supra diximus de cæcitate oculorum)

Torrebantur viscera, arescebat lingua,

lorum) & invalida prosequendi Missam, adjuta tamen & compensata abundanter ab illo ipso spiritu per donum linguarum interius & exterius, ut aliàs dictum.

CAPVT VII.

Visiones & Revelationes spectantes Beatissimam Virginem.

SIcut Pater Julius post Sanctissimum Sacramentum teneerrimo ferebatur affectu erga beatissimam Virginem, ita vicissim ista liberalissima extitit in conferendis ei quam plurimis gratiis & donis, de his non pauca sparsimus in decursu totius vitæ, prout diversæ se occasiones dabant. Hic tanquam in loco proprio quædam ad propositum propiùs accedentia afferemus. Cùm preces funderet in sacra æde Lauretana inter primos, ut opinor, novitiatûs fervores, monstrata ei fuit persona Divæ Virginis magna in claritate, vicina Deo, & eâdem cum ipso luce, immersa, speciem præ se ferens, quam nulla valet humana lingua exprimere, & ipsi pulcherrimas per similitudines, & multo aptiores, quam humanæ sint, explicatum fuit, quo pacto non liceat statim per se absque interprete tractare cum Deo, Sanctissimam Virginem esse illam interpretem nos inter & illum, ac per ipsam omnes conferri gratias. Similitudines istæ sic ejus inhæsere menti impressæ, ut multos per annos hæc ei perseveraverit illuminatio mira cum habilitate ad orandam sanctissimam gratiarum Matrem.

Similitudines ei de Beatissima Virgine impressæ.

Romæ in Novitiatu in festo Assumptionis vidit gloriosam Virginem Reginam proficiscentem in cœlum, circumdatam multis agminibus & choris Angelorum, ex quibus aliqui illi prærogativas, & perfectiones ejusdem explicavere, verum cum lectiones illæ nimis subtiles, & altæ

Angeli ei prærogativas B. V. explicavere.

ascenderent, nec ejus intellectus ampliùs esset capiendo, in lacrimas diffluxit, corpúsque mansit languidum absque viribus, ita ut nec humanis quidem cogitandis esset par. Feliciùs hæc eadem visio ipsi postea successit in octova Assumptionis. Totam noctem transegerat orando, & afflictando corpore, ut piorum operum studio plausus in cœlo de tali assumptione fieri solitos prosequeretur. Et placuit dulcissimæ Matri (sic enim eam solitabat appellare) eorum quandam promulsidem ei delibandam præbere. Vidit illam in solio regali cinctam angelis & sanctis, audivit musicam vocibus, & instrumentis suavissimè perstrepentem; personuit undique celebris illa antiphona; *Ave Regina Cœlorum.* Incessit & ipsum cupido sonandi, & canendi laudes Cœlorum Reginæ, & profectò ità feliciter pulsavit Citharam, & vocem accommodavit illis modulis, ut ipsemet admirabundus rem non caperet, quo pacto ille, qui planè id instrumenti nesciret, & perparùm musicè calleret, nihil tamen ab illa cœlesti harmonia dissonaret. Vnde ut exploratiùs veritatem cognosceret, voluit ter quater repeti modulos, & semper meliùs succedere cum ea cordis dulcedine, ac si fuisset in paradiso. Hinc illi desiderium enatum est persanè vehemens semper laudandi Divam Virginem, ac investigandi modos, ac vias novas, quibus eam in publicis sodalitiis ejus nomini sacris condecoraret. Annuit per quàm liberaliter ejus votis Diva Virgo, dùm ipsi identidem novas ac claras illustrationes & lumina infudit circa sanctitatem suam, & immensam ejus capacitatem supra omnem humanam fidem in recipiendis donis, & virtutibus divinis.

Non aliter, quàm dulcissimam Matrem appellabat.

Cantabatur Ave Regina Cœlorum.

Pulsavit Citharam seipso mirante bene.

Loquebatur autem de ea sententiis semper altissimis, & encomiis usque novis à se excogitatis, & inventis, potissimum autem de ejusdem puritate, quæ sine exemplo esset. Componebat diversissimas laudes per modum orationum,

Identidem nova encomia excogitabat.

ac

ac meditationum, prout aliàs dictum. Quando verò illi extempore dicendum fuit, dummodo tantisper ipsi mentem elevare in Deum licuisset, semper illi, quam optimè succesſit. Propter certas neceſſitates vacabat aliquando precibus dies ac noctes, addiderat aſperitatem piorum operum ſummo, quo poterat, conatu, ac niſu; Itaque una nocte ſolicitiùs applicando ſe ſe orationibus, raptus fuit in cælum ante Thronum ſanctiſſimæ Virginis; ab excellentia, & majeſtate loci habilior, & animoſior factus orandi rogavit ipſam enixiùs gratiam, & tunc ſenſit ſibi certa ſerica auferri vela, quæ ipſius viſui plurimùm obſtabant, ſeptimum ubi ablatum fuit, apparuit Diva Virgo tanta vi luminis conſpicua, ut videretur in medio ſolis globo conſiſtere. Hoc totum factum eſt in ictu oculi, & in hac luce clarè vidit Pater Julius Divam Virginem impetraſſe, quam petierat, gratiam. Qui improviſus ſplendor non ſolum ipſum, ſed & totum exhilaravit Paradiſum, acie tamen ſuâ debilitavit, & languidum reliquit totum corpus; animus autem mirè recreatus, & virtute indutus ex alto fuit ipſum multis paraſangis excedente; ac cùm poſtea rediit ad vitæ functiones in corpore, argumenta dedit inexplicabilis alacritatis & gratiarum actiones Deo.

Cum ex tempore dicendum de ea, ſemper optimè ſucceſſit.

Senſit ſibi vela auferri, quæ ejus viſum impediebant.

Corpus debilitatum, animus recreatus.

II. Novemb. Anno 1611. intellecta lamentabili cari amici ſui Joannis Baptiſtæ Nacher Barij occiſi morte abſq; eo, quòd potuerit confiteri peccata, datis duntaxat incertis pœnitentiæ argumentis per ſigna, ſtatim ſe in genua conjecit precaturus pro eo, dubitanti autem, quali oratione uti deberet, in mentem conſtanter venit, ut diceret, Salve Regina, & animam illam ſanctiſſimæ commendaret Virgini Matri; Cùm perveniſſet ad illa verba: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*, viſus eſt illa dicere in perſona defuncti cum affectu ſingulari; Ita perrexit orare ferventer totam noctem, donec aſpectabilem ſe Mater miſericordiæ

Oravit pro defuncto, nec fruſtra.

præbuit, candido cum velo in capite, & veste cærulea, fronte ut plurimùm operta, vultu serium inter & placidum medio. Tum verò magis, quàm unquam totis viribus oravit pro illa anima, quam tantopere cordi habebat. Ac Beatissima Virgo, ut eum solaretur, certiorem illum fecit, salutem Nacheri consistere in potestate sua, ne se porrò multum divexarer, aut timeret, sed solicitudine omni projecta confideret in ipsa se. Ista visio illi diu permansit, ut hoc certior de ea esset.

Jussit eum Beatissima Virgo confidere in se post Deum.

Duplo plus fecit, ne quis alius exiret è paradiso religionis.

Quantum fecit, ut istam animam extraheret (ut ita dicam) a periculo inferorum, duplo plus egit, ne alius quispiam exiret è paradiso Religionis. Hic fuit juvenis valde nobilis; seu id mali ejus mores jusserant, seu sinistræ id informationes de eo apud Patrem Generalem factæ requisierant, de mandato ejusdem P. N. dimittendus erat. Sensit ille ad vivum vulnus, nec minùs ejus Mater & consanguinei, qui erant de primis, nequiverant illam, quæ ipsis in facie sui honoris fiebat, perferre cicatricem; adivere Patrem Julium rogantes, ipsorum ut causam velit agere apud Deum. Egit eam Pater Julius, quanto potuit ardore, & studio, tactus intimo commiserationis sensu propter acerbitatem casûs de illo infelici juvene; ac quoniam irritæ essent futuræ preces apud Patrem Provincialem Neapolitanum, qui negabat Patris Generalis mandatum differri porrò posse, quo cum is ipsius juvenis se Romam contulerat, ut coram causam ageret suam, verùm absque ullo emolumento, se totum convertit ad Beatissimam Virginem, eligens illam in hoc negotio interpretem & advocatam; interim Parentes & consanguineos, multósque nostrorum Patrum, quibus triste consilium non plurimum probabatur, jusserat esse animo bono & spe quasi certa, ipsum non dimittendum. Hoc intermedio tempore continuatis dies, noctésque orationibus, adhibitis etiam corpusculi afflictationibus,

Confugitur ad P. Julium.

Hic convertit se ad Beatissimam Virginem.

Jussit esse bono animo? non dimittendum.

ctationibus, ſumma cum animi fiducia ſe dedit ad expugnandum cor Virginis Matris; dum igitur nocte 6. Nov. anno 1611. perſeverat in oratione, ſtitit ſe Beatiſſima Virgo habitu & cultu paulo ante deſcripto, conſolans illum mira cum affabilitate, pollicénsque juvenem nequaquam dimittendum. Ille lætus Evangelio rem parentibus, & noſtris Patribus aperuit, illósque incredibili cum gaudio exhileravit. Atque ita ſucceſſit prout Diva Virgo promiſerat.

Flexit cor Beatiſſimæ Virginis.

Similem aliam gratiam illi fecit cæli Regina in favorem cujusdam alterius juvenis nobilis, qui unicus erat Parentibus, & valetudine parùm firmâ. Hic erat Antonius Suarez filius Locotenentis Cameræ Regiæ Neapolitanæ. Ceperat illum mirum videndæ Italiæ deſiderium, & luſtratâ ſacra Lauretana æde redeundi Neapolim. Ab hoc eum propoſito nec amor Matris, nec alii conſanguinei vel amici, qui eum terrere itinerum periculis conabantur, dimovere ulla ratione potuere. Adeò certus erat proficiſcendi. Id ſaltem ab eo impetravit Mater, ut, priusquam viam iniret, ad Patrem Julium accederet petitâ ab eo Benedictione valefacturus. Libentiſſimè paruit filius, utpote, qui & ipſe ejus de opinione ſanctitatis maximum habuerat conceptum, & Pater Julius felici de exitu tantam certitudinem, ut & illi ipſi juveni, & Parentibus prædixerit ſalvum, & incolumem rediturum. Nocte inſequente diem Aprilis tertium anno 1610. fudit pro eo preces, & inter eas vidit Beatiſſimam Virginem ſtantem, in ſtatura ſolito majore, vultu majeſtate pleno. Stabat illa ante precabundum pallio candido cooperta pretioſo. *Domina*, dixit Pater Julius, *commendo tibi incolumitatem illius juvenis*; *In eo agitur fides tua, & mea, quam obligavi tuâ fretus fiduciâ, illum itinerum exime periculis, parentibus ſalvum ſiſte, ac ſi non in itinere, ſed domi ſuæ intra cubiculi parietes egiſſet.* Attendebat Virgo vultu placido, ac benigno, ac cùm ille finem feciſſet orandi,

Etiam in favorem cujusdam alterius juvenis.

Saltem valedixit P. Julio petita benedictione.

Prædixit ſalvum & incolumem rediturum.

Quid dixerit P. Julius orans pro dicto juvene.

illla sinum explicans candidi Pallii, tuere huc, inquit, intrò: obediit extemplò, & videbat intus incluſum juvenem Antonium genuflexum, cujus capiti unam beatarum manuum impoſitam tenebat. Ita videri deſiit relicto ejus corde bonæ ſpei pleno. Inde poſt menſem rediit Juvenis ſalvus, & incolumis enarrans plurima itineris pericula, ceſpitationes inter equitandum, & præcipitia, febrium aſſultus, & his ſimilia, ex quibus ajebat ſe non ſine prodigiis ereptum.

Videbat intus incluſum juvenem.

Non ſine prodigiis ejus incolumitas.

Quidam alius ſummas per preces Patris Julij expertus eſt in itinere propitiam Beatiſſimam Virginem. Fuit hic Marcus Antonius Aurea; cùm iter haberet Neapoli Romam ſua cum conjuge Duciſſa de Evoli, atque inde Lauretum, denique Genuam, ſcripſit Patri Julio tunc in Miſſione ad caſtellum Abbatis in Cilento degenti, commendans ſe ejus orationibus, quibus tantopere confideret. Fecit eas prolixè cum eis amoris ſignificationibus, & conteſtationibus, quas ſummis illis principibus profitebatur ſe debere, inter orandum perſenſit conſolationem ſingularem, ac multò majorem in ſanctiſſima Matre fiduciam. In hunc quoque finem fecit ad aram, & vidit orationem ſuam aſcendentem ad cælum per longiſſimum callem relicta in medio maxima Angelorum & Sanctorum hinc & inde pulchra ſerie conſiſtentium multitudine; inferiores eam porrigebant ſuperioribus, & iſti aliis de manu in manum, & omnes illam læto vultu, & inclinato capite recipiebant. Et hic erat primus ejus obtuentis proſpectus. Alter fuit; cùm longiorem adhuc ctedidit ſe intueri ſemitam, & tertius cùm adhuc conſpexit longiore longiſſimam, in qua ita excrevit longinquitas, & intervallorum intercapedo, ut ipſe contremuerit, prout evenire ſolet evadenti in altiſſimum jugum, unde ſpectare deorſum ſine metu nequeas. In vertice hujus viæ ſedebat Regina Angelorum in ſoilo

Etiam Marcus Antonius Aurea expertus eſt Beatiſſimam Virginem propitiam.

Senſit ſummam fiduciam in Beatiſſima Virgine pro Aurea orans.

Mirabilis vitio P. Julij.

sólio regali, vidit suas preces benignè acceptas, dulcem inter arrísum, & capitis annutum. Appromisit auxilium, & spospondit gratiam. Atque ità fuit. Illi enim summates felicissimè itineris sui attigere terminum, prout ipsi exaratis ad eum literis eidem gratias egerunt.

Annuit Beatissima Virgo ejus precibus.

Nunquam ad calcem hujus capitis pervenirem, si cunctas ei à sanctissima Matre factas apparitiones vellem recensere, sufficiat mihi dixisse fuisse plurimas, & in favorem aliorum, pro quibus orabat, & ad proprii commodi rationem, ut videlicet rebus in angustis respiraret, vel animaretur in periculis, sanaretur in ægritudinibus, dulce recrearetur in orationibus; unde ipse habebat in illa repositam non dico anchoram fiduciæ, & spei, sed & certitudinem gratiarum, quas petebat solitus id de ea sibi polliceri, ut vidimus, antequam promissionis arrham & pignus accepisset; ad eum modum, quo filius à cara Matre valde dilectus, qui & ipse vicissim tenerè eam redamat, securè disponit de ejus voluntate, antequam ejus habeat consensum. Libet nihilominus hic sub calcem in documentum & exemplum legentium subjungere casum, ex quo & personæ spiritui deditæ discant cautè custodire Dei gratiam, & amicitiam, & quantum posset sibi de sanctissima Virgine promittere Pater Julius, utpote quæ non solùm ipsi, sed & aliis propter ipsum, dignata est aspectabilem se præbere in necessitate constitutis. Erat magnæ Virginis eximius cultor Pater Julius ab octiduanis confessionibus cuidam octodecim, vel viginti annorum juveni. Vixerat is jam constanter per quatuor annos in actionibus pietatis tali magistro dignis, tantúmque jam animi innocentis nitorem consecutus fuerat, ut ejus in confessionibus labor esset unicus, & difficilis reperire absolutionis materiem; quæ conscientiæ puritas dignum illum jure merito effecerat, ut tertium paucos intra dies elevatus paradisum & sanctos intus degentes in

P. Julius agebat cum Beatissima Virgine ut Matre, & ipsa cum illo ut cum filio.

Personæ spiritui deditæ notent.

Filius Confessionis P. Julij.

Difficulter reperiebat absolutionis materiam.

in præsentia ipsius Dei mereretur videre. Accidit subinde huic tali, (nescio quem illum, an infelicem inter beatitates, an beatum inter infortunia appellem.) Accidit illi, inquam, interfuisse violentæ occasioni, in qua pudicitiæ florem amisit. Adeò caro prævalet spiritui, ubi cominus certaminis subitur alea; cecidit, heu cecidit, verùm bonus ei habitus, & laudabilis consuetudo porrexere labenti manum, potuere illum sublevare, & eo adducere, ut vellet adire Patrem Julium, errorem detegeret, plangeret, consilium exposceret, ejus auxilium & orationes imploraret. Facilè unusquisque prudens sibi imaginari poterit, quo id studio, qua animi contentione fecerit Pater Julius, quamq; sedulò ejus causam apud Refugium peccatorum egerit. Dùm is in Collegio nostro infelicem Deo, & sanctissimæ Virgini commendat, juvenis ille domi suæ formidabili interest visioni. Vidit se à dæmonibus per aëra ad inferos raptari, confusione & metu exanimem, non immemorem tamen doctrinæ à confessario traditæ de imploranda sanctissima Patronâ, ad illam totis viribus recurrisse & illam precibus Patris Julij flexam auxilium opportunum accelerasse. Objecit se periclitanti juveni visibilem cum Angelo custode, cui præcepit, dæmones quantocyus abigeret, quod & momento factum; & miserellus ille unguibus infernalium harpyiarum liber statim in sinum sui Patris Julij se recepit, iterúmque de novo se confessione expiavit.

Adeò caro prævalet spiritui, ubi cominus initur alea.

Redit ad P. Julium, & juvatur.

Vidit enim illo orante persalutarem visionem.

CAPVT VIII.

Visiones Angelorum.

RAræ sunt visiones supra narratæ, vel de Deo, vel de Beatissima Virgine, in quibus non viderit etiam Pater Julius angelos, sed hic afferemus pauculas in quibus soli,

soli, & quidem primariò apparuere angeli. Jam diximus alias, ipsum sæpius vidisse angelum suum custodem, qui ipsi aderat solatio,& consilio,ubi opus esset: sic etiam interlitandum sæpius vidit angelos,qui ipsi ex ærario paradisi ex vasis ditissimis profuderunt supra aram aurum & argentum una cum pretiosissimis gemmis. Inter contemplandum Beatissimæ Virginis dotes explicarunt ipsi stellas regalis coronæ usque ad septimam, & sæpè numero alias; quando illos vidit oculis corporeis humana sub specie, etsi subinde visiones fuerint merè intellectuales,& angeli intra ipsum multas operati sint actiones, uti harmonias internas, cælestes influxus, illustrationes clarissimas aliis in locis à nobis relatas. Ita Zacharias cap. 1. & 2. fatetur angelum, qui cum ipso loquebatur, fuisse intra ipsum. Nihilominus semper, sive sensibus se sisterent externis,sive moverent internos,perquam certus erat de eorum,præsentia. XII. Augusti anno 1608. totum diem ambulaverat pedes vestigia cujusdam sui pænitentis secutus, insignis peccatoris, ut illum ad confessionem aliquamdiu intermissam solicitaret. Æstus erat intolerabilis, accesserat asperrimus dolor palati & gingivarum, quem vapor calidior ex stomacho ascendens ipsi creaverat cerebrum inflammans cum intenso cruciatu,adeò ut pessimè haberet. Et quia mala hæc jam per viginti continuos annos inveterata modicam de se spem dabant aliquando cessatura, immò incrementum sumptura cum ætate videbantur, propinquantibus etiam paulatim doloribus, & ærumnis mortis, anxius hæsit, an non petere tandem finem vitæ à Deo expediret. Postea tamen animosior factus, abjectionem animi interpretatus nolle pati, quod esset virtuti tam necessaria cos, decrevit patientiam, & fortitudinem petere; secundum quæ orandi studio solitis corporis afflictionibus, & examini conscientiæ se dedit. Tùm enim verò sibi sensit dici, servis Dei minimè

Hic agitur primariò de visionibus angelorum separatis.

Angeli explicarunt ipsi subinde visionem.

Quanti faceret suos pœnitentes.

Anceps hæret, utrum non tandem finem petere vitæ deberet.

Decrevit patientiam & fortitudinem petere.

peregrinum videri debere, pati, immo illos potius gaudere oportere, quòd hinc non mediocris illis gloriæ gradus, & incrementum accederet in cœlo.

Hujus dicti veritatem mox pleno consensu approbavit Pater Julius, & statim vidit se in amæniſſimum translatum locum, tanquam in hortum deliciis affluentem; illic chorum habuit pulcherrimorum Angelorum cum totidem parvulis octo vel decem annorum, itidem longè maximè pulchellis. Duxerunt choreas manibus invicem innexis eâ dexteritate, & venustate motuum, ut verbis explicari nequeat. Admodulabantur voces suaviſſimæ, quibuscum corporum agilitas, & pedum plausus mirificè concordabant. Salii in medium accepti circumdabantur præcentoribus musicis, qui & ipsi gestu, & voce choros animabant. Intererat, & perfruebatur Pater Julius hac festivitate illa suavi cum animi voluptate, quam unusquisque sibi facilè imaginari potest, hoc liquidius inescatus delitiis, quanto, quod oculis hauriebat, per experientiam transmittebat ad cor, totus harmonia, totus oscen, ac si pars magna esset illius chori angelici. Et sanè vix se capiebat, quo pacto tam bene & sonaret, & caneret. Permulsum illa dulcedine inceſſit desiderium, sicuti aliàs retulimus, ubi ipsi contigit in certamine non exorbitare, experiundi à se solo. Quo animadverso aligerorum unus mira cum gratia ac venustate suam ei lyram obtulit. Cæpit sonare, & cantare solus; verùm miſellus neque sono, neque voce redibat in viam; hoc studioſiùs enitebatur, & verba, & chordas incredibili cum solicitudine attemperare; frustra. Hoc magis absonabat, & obtundebat tanquam anser inter olores, aut cicada cæleſtes inter oscines. Nec syllabula ipsi vel concors vel concolor excidebat, tametsi nihil non conaretur, totus confusus, & vilipensus. Et ille aliger gratioſulus, qui ponè adstabat, & eum ludentem arbitrabatur, ludos ipsum faciebat,

Choros vidit angelorum.

Ipſe canebat, & sonabat.

Volebat solus experiri.

Anser inter olores.

ciebat, & ejus ineptias graphicè deridebat, ut tamen nonnihil ipsum animaret, & spiritum adderet, receptâ chely cæpit plus quàm humanos redordiri modulos. Verba erant

Cittadino del cielo ti rallegra
E lassa ogni tristetza!
Cœli futurus incola,
Relinque terræ vincula!

Atque ità porrò, donec immensa dulcedo terminavit visionem. Multo tempore mansit ipsi gaudium hoc in corde, absterso omni animi mœrore, ac nubilo. Altero die non poterat sibi temperare, quin duas hac super visione componeret cantiones, quarum initium est ipsissimus angeli versiculus, atque ità easdem est prosecutus non sine gratiosa elegantia & lepôre, tametsi plus quinquaginta abiissent anni, nullum cùm versum aut plectrum tetigisset, quæ quidem cantiunculæ modulis musicis trium vocum accommodatæ sunt in honorem, ac venerationem servi Dei, & ego eas vidi in notis.

Composuit hac super visione cantiones.

Illas cantiones vidi notis expressas.

Diversus planè ab hoc ludus fuit non dico sub imagine saltûs aut concentûs, sed per arma, quem sibi calendis Augusti anno 1607. ab angelorum manipulo vidit repræsentari postridie Sancti Patris Ignatii. Sub noctem, postquam solitis suis afflictionum, & piarum precum perlitavit operibus, raptus est in locum subterraneum obscurum, ubi duas vidit concurrentes turmas in corporibus humanis strictis gladiis periculosum certamen cientes, mutuis vulneribus punctim cæsim cum terrore spectantium collisas. Magna eum, pia tamen curiositas incessit, quid subesset mysterij, quíve forent utrinque armati. Fuit ipsi revelatum esse angelos Dei, qui cum spiritibus rebellibus congrederentur, certis omnes filios Ducis Mandragonis interficiendi, dùm essent parvuli. Tum ipsi in mentem venit promissi

Concurrentes acies sub terrâ.

P Julius pugnat precibus cum angelis nigris.

missi Principi de Stigliano matri dicti Ducis, facti, velle se suis in orationibus illorum filiorum memoriam habere, & in sacrificio Missæ quotidie eorum recordari, id quod eatenus accuratè, & ex fide præstiterat. Propterea magno perfusus gaudio fuit ex illo prælio, cogitabátque de modo, quo & ipse posset angelos adjuvare adversus stygios satellites, cùm & ipsi videretur conflictus, illos suo periculo perpetrari. Exitus pugnæ secundus fuit ex parte cæli. Et bene cogitari poterat, angelos bonos nullo modo inituros prælium cum dæmonibus approbante cælo, nisi certi essent potiundæ victoriæ. Etiam alias in signum victoriæ de se, de mundo, de styge relatæ accepit Pater Julius coronas de manu angelorum.

Cupiebat angelos bonos adjuvare contra stygios.

Accepit coronas de manu angelorum.

Res sequentem in modum successit. Morabatur tunc temporis in nostro Collegio Perusino, cùm certus quidam Pater Provincialis venit de more ad visitandum Collegium. Humilis Dei servus, sicut ejus ferebat consuetudo, cogitabat omnes suas reculas & maximè scripta ad pedes (ut vocamus) Apostolorum deferre, ut de ipsis suo arbitratu Pater Provincialis disponeret. Intercesit huic ejus consilio recordario mentis non satis serena, superiorem illum sæpius minùs clementer secum egisse, utpote justo rigidiorem, qui modi paulo duriusculi erga se adhibiti in mentem nunc venientes remorabantur illum pauxillum, ne se extemplo resolveret. Agebat tunc temporis gratias in Sacrario post Sacrificium; cùm ecce illi quatuor angeli longè bellissimi in forma corporea apparent, quorum unusquisque manu pulcherrimam gestabat coronam ex auro; verùm quarti corona dimidiata duntaxat erat, non integra. Tunc unus ex eis dixit, Deum ipsi tres coronas mittere in præmium trium votorum, exactè ab ipso observatorum, quartam complendam, ubi ipse majori triumphasset victoriâ in re, quam mente agitaret. Resolvit se ergo extemplò

Pedes Apostolorum.

Quatuor angeli ipsi apparent.

Quarti corona dimidiata.

Etiam Cœlum urbanè agit.

Pater

Pater Julius, ac cum omni generosa submissione se ac sua cuncta ad Patris Provincialis pedes abjecit. Nec hoc duntaxat casu Pater Julius coronatus ab angelis fuit, qui se ipsum toties vicit, & de dæmoniis tam frequenter triumphavit.

In Russia Constantinopoli redux post mensem integrum itineri impensum per opaca sylvarum, & aperta camporum, cùm nihil comederet nisi mel silvestre, quòd ipsi loco panis, & opsonij erat, potiùs oratione, quàm cibo sustentatus nocte quadam raptus fuit in Sacram ædem Lauretanam, ubi coram sua carissima matre, quæ illum illic vocaverat in Societatem filii sui, prolixius orans prostraverat preces suas consuetas; Perfice opus, quod cæpisti; audivit uni angelorum illic præsentium præcipientem; Honora mihi devotum servum, & ille mox coronam auream grandem, quæ unam accensarum lampadum circumderat, refixam per spatium intermedii aëris cum campanula ex ea pendula & ad motum sonora Patri Julio detulit, illiúsque capiti venerabundus imposuit. Pater Julius clarissimè campanulæ percipiebat sonum, & videbat à Sanctissima Matre perbenignis se oculis respici. Pari ferè modo festivâ Sanctæ Mariæ Magdalenæ luce anno 1611. incredibili hujus præsentis vitæ correptus tædio, ut plane se ad mortem promptissimè, & cum gaudio oppetendam paratissimum sentiret, mentem oculósque ad Deum laudandum sustulit, seque ad omnem ejus nutum, & dispositionem obtulit. Quo facto in loco cæli eminentiore angelum conspexit, qui ipsi coronam commonstrabat multò pretiosissimam, quæ ex omni parte splendores scintillando dispergebat: ex quo intellexit id genus præmiorum à Deo illis parari, qui pro ipso pati decrevissent; unde perpessiones esse gratiarum maximas.

Rapitur in S. ædem Lauretanam.

Mandatum angelo; honora mihi servum devotum.

Honoratus à Deiparâ, & ab angelo.

Ostensa ei ipsi ab angelo gloria sua.

CAPUT IX.

Visiones Variorum Sanctorum.

PErfrequentes fuere visiones, quas Pater Julius habuit de paradiso, & æternâ gloriâ, nunc sub schemate pulcherrimæ civitatis, nunc amæniſſimi horti, & similium rerum, pérque eas Deus illi confirmabat animum ad exantlandum omne id, quod ei in hoc mundo perpetiendum fuerat: Verùm sicut plerumque non aliud ex iis æmolumentum capiebat, quàm otiosam aliquam consolationis dulcedinem, quæ ipsi totum implebat animum absque eo, quòd ad aliquod opus, vel ad cognitionem sui ipsius, dolorem de peccatis, bona proposita, augmentum virtutis impellebat, ità toto conatu mentem à similibus repræsentationibus avocatam ad res magis fructuosas, & utiliores applicabat. Experiebatur nihilominus post easdem illum ipsum laborem, quem subeunt, qui diutius solem fixis oculis inspexere, excludendi, tametsi oculos claudant luminosas species pertinacius inhæsuras. Ità aliquando maximè ipsi contigit, quantumvis omni studio avocaret animum à gloria paradisi ipsi ostensâ, non tamen eam plurimos per dies ejicere ex imaginatione potuit; quidquid videbat, cogitabat, apprehendebat, paradisus erat. Illuc multos conspexit sanctos, ac beatos, prout diximus generatim, multi quoque ipsi apparuere, & illic, & in terra, prout nunc dicturi sumus speciatim, non de omnibus, quoniam plus nimium excresceret volumen, sed de iis solis, ex quorum apparitione lector possit utilitatem capere, & devotionem.

Amabat visiones, quæ ipsum ad patiendũ, & agendũ impellebant,

Qui solem inspexere, difficulter excludunt species,

Gloriam paradisi non poterat è mente abradere.

XIV. Maij anno 1599. adstiturus Domino Cardinali Bandini in Missionibus suæ antiquissimæ & potentissimæ Diœceseos, & Civitatis Firmorum, quo in labore pio, & difficili postea duos integros consumpsit annos, non-

nihil

nihil affligebatur Pater Julius metu, ne parochi, vicarij, aliique tales sumptibus aggravati ægrè admitterent visitationem Cardinalis? Hac solicitudine defixus cæpit per orationem Apostolorum principi supplex fieri, ut tanquam Vicarius Christi, & primus universalis Ecclesiæ pastor vellet sibi adesse in negotio tot animarum sibi commissarum. Nec multum intercessit temporis, cùm fuit à Sancto Petro auditus; raptus namque in extasim vidit Apostolum per cæli nubila sublimem ferri, usque dum supra populum magno numero congregatum denique se stitit, eúmque acriter reprehendit, quòd patrem non reciperet, qui tamen verba salutis annuntiaret. Inde ad ipsum Patrem conversus hortabat ipsum, & animabat, ut daret expeditioni principium, sese suppetias, & auxilium allaturum. Nec inanis fuit promissio, Pater Julius quippe per eam animatus totus incubuit in salutem animorum, suppeditato ipsi liberaliter non solùm temporali, sed & spirituali ubique locorum subsidio; terræ & oppida in signum deditissimæ voluntatis, quacum eum recipiebant, obvia ei summa cum solennitate, & pompâ processerunt, & cùm discederet non minore eum honore nec sine lacrimis eum sunt prosecuti.

Timebat, ne parochi gravatè admitterent visitationem propter sumptus.

Orat S. Petrum.

Fuit ab eo auditus.

Cum honore ei obviam processerunt, & cum lacrimis eum sunt prosecuti.

Memoriam hujus visionis credidit ipse involucro sui Breviarii, in quo eam scripsit; Ejus enim nimia faciebat modestia, ut parùm veritati rei hæreret, ac propterea statuerat eam in suo volumine nequaquam annotare. Verùm cùm eà die ad aram feciſſet, sensit ejusmodi efficaces, & potentes ad eam scribendam impulsus, ut iisdem parere fuerit coactus, quò constaret eam veram à Divo Petro existimandam revelationem esse, qui tantam promptitudinem in adjuvandis iis ostenderit, qui se conformiter instituto nostro Missionibus addicunt. Qua in re magis quoque certior est factus, postquam Locum terram nobilem, & locupletem dictæ Diœceseos attigit, ubi ex Archipresbytero oppidi, Vicario

Hanc visionem coactus fuit annotare, volens eam ex modestia supprimere.

Describebat Sanctum Petrum.

Vicario forensi viro conspicuo, & magna prudentia audivit aspectabilem sibi nocte prægressa senem fuisse calvum, Apostolum (describebat Sanctum Petrum) qui evocato sibi magnum volumen (pastorale vocant) in manus dederit, ejus ponderis,& magnitudinis, ut ipse licet homo robustus, & prælongæ staturæ, ei ferendo non esset par, dixisseque sibi, ut suo nomine id Patri Julio offerret, eum enim codicem ad illum pertinere.

S. Petrus Pastorale ad P. Julium destinat.

Alia diversa quidem sed non minor animi afflictio peperit illi persimilem consolationem. Collegio nostro Salernitano datus erat superior rigidior supra communem modum, metu hujus procul se tenebant,quantum ipsis salvâ obedientiâ licebat omnes illi operarii, qui habendis concionibus, & aliis Missionum functionibus pro bono animarum fuissent utiles & expetiti. Pater Julius, ut hunc defectum suppleret,tametsi animus admodum repugnaret, vicit se ipsum,atque illò se contulit. Vix illuc appulsi statim ejus patientia in incudem incidit inter rigores, & incommoda omnium rerum necessariarum. Diu multúmq; æquo animo id pertulit, postea, prout facilè impatientia personam sumit præcocis zeli, ipsi in mentem venit, è re privata,& publica, imò bono exemplo omnium futurum,si Rectorem illum solenni reprehensione probè depecteret, statim ille agnovit licèt personatum vindictæ spiritum, & mascula eum generositate à se procul abegit. Verùm isthic non porrexit extemplò herbam, imò assultus importunius & improbiùs repetiit, ausus illum tempore orationis, & ipsius tremendi sacrificii ad aram invadere, ita diu noctúq; anxius confugit ad Apostolum Sanctum Matthæum, cujus sacra ossa in hac nobili civitate conservantur, & coluntur. Ecce autem absque mora illi sanctus apparet Apostolus oculis quoque corporeis conspicuus, solâtus est eum, tranquillavit animum, abstersâ omni molestissimæ tentationis nubeculâ.

Rigor cujusdam superioris.

Sacrum inter & saxum confugit ad S. Apostolum Matthæũ.

Abstergitur tentationis nubecula.

nubeculâ. Decem ipsos dies permansit ipsi viva hujus visionis imago succedente semper nova alia atque alia consolationis dulcedine. Porrò superiorem illum non ita multò post visitavit Deus mortifera illi in bonum animæ immissa infirmitate, stranguria sive urinæ difficultate per octo dies exercitum; quo tempore ad eum Pater Julius frequens invisit, & quidquid potuit, solatii attulit. Ipse autem Pater Rector eum sæpius rogavit signaret sibi frontem cruce, séque Deo precibus commendaret. Hoc & multò plura fecit Pater Julius, litavit pro ipso, opera pia, & afflictiones corporis obiit, donec eum restituit sanitati, quamvis non ita multò post ad solitos reversus rigores valida correptus febri diem clausit supremum. Vsus est Pater Julius erga Apostolum Sanctum Matthæum pietate usque adeò fidente, ut nullam prorsus ab eo gratiam pro infirmis etiam moribundis expetierit, quam non mox impetratam tetulerit.

Ægrum superiorem P. Julius frequens invisit.

S. Matthæū P Julius valdæ coluit.

XIX. Martij anno 1611. in festivitate sua Sanctus se Josephus Virginis sponsus videndum obtulit actu & gestu attentissimè orantis; & illa oratio, quam in animo conceptam peragebat, communicata fuit animæ Patris Julii singulari cum ejus approbatione, ac lubentia; intelligi à se tanti sancti cogitata, & sensa; respexit illum fixè & attentè, viditque eum facie nobili, barbâ decenter longâ, necdum canâ, pannis vestitum urbanis, coloris violacei, & flāvi.

S. Josephus Virginis sponsus ipsi apparet.

Descriptio vestitûs S. Josephi.

XII. Martij anno 1606. apparuit ipsi Pontifex Sanctus Gregorius clarâ cum intelligentia spiritûs, quam accepit à Deo, dum vivus gubernabat Ecclesiam, & clariore cum visione gloriæ, quam habet in cælo secundum omnes quatuor dimensiones, ita quidem ut lux, & amplitudo hujus cæli corporei, tot planetis, & sideribus illustrati sit vilissima comparatiō ad exprimendam amplitudinem & claritatem

Apparuit ipsi etiam S. Gregorius Magnus.

Comparatio ejus gloriæ cum hac luce vilior.

tatem illius sancti animæ immersæ splendoribus æternis.

Controversia de Corpore S. Felicis M.

Orta erat controversia anno 1610. sub finem mensis Aprilis, & sub initium mensis Maij Episcopos inter Nolanum,& Vicentinum pro corpore Sancti Felicis Presbyteri. Vicentinus asserebat sacra illa ossa fuisse ad suum translata templum, atque illic quiescere, eúmque in finem compositum officium peculiare de sancto & missum Romam ad congregationem rituum, approbandum; unde Cardinalis Bellarminus scriptis literis submonuit Nolanum, defenderet causam suam,& rationes pro se afferret. Nihil horum noverat Pater Juiius, quando eidem in planitie ejusdem Nolanæ civitatis inter multos alios sanctos apparuit Felix Presbyter quadraginta vir annorum, facie quadrata, supra frontem calvus, capillis nigris, & crispis, colore inflammato, ut à sole æstuantis, revelans ipsi in templo, & cæmiterio locum sepulchri; quoniam autem ipse more suo nolebat applicare sese,ne crederetur visio, iterum iterúmque,& tertium repetiit sanctus visionem sub noctem inter preces, & interdiu in sacrificio missæ; adeoquidem, ut quando postea per literas ad eum datas antistitem de notitia controversiæ intellexit, optimè recordatus fuerit visionis, ac Romam nostrum ad Patrem Generalem de ea perscripserit, ut ad succollandum veritati id communicaret nostro Cardinali.

Apparet ipsi S. Felix. Ejus descriptio.

Edocet sanctus eum de sepulcro.

Quâ gloriâ S. Franc. Assisias in cœlo floreat.

IV. Octobris Florentiæ, annus non exprimitur, magnum incessit Patrem Julium desiderium cognoscendi, qua præmii gloriâ affeciisset Deus Sanctum Franciscum Assisiatem,qui tam humilis, tam pauper, tam sanctus, tanti exempli,& utilitatis toti Ecclesiæ fuisset. Verùm non fuit ausus id petere, ne videretur præsumptio,crescente nihilominus cupiditate, & subinde repulsâ, dùm secùm ipse pugnat, vicit simplicitas, & puritas intentionis, petiítque id, quod

quod ardenter desiderabat, quasi non advertens id peti. Qui ipsi subgesserat desiderium, subitò id quoque effectum dedit, quippe post prolixam precationem vidit pulcherrimam, & ampliſſimam in colle amæniſſimo, quasi hortum aperiri civitatem, supra portam oriebatur lux suaviſſima, quasi aurora, quæ postea excrescens supra modum sparsit lumen per totam civitatem, cujus longitudinem nullus trajicere humanus conspectus poterat, inde harmoniæ & cantus, hac sententia; *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto: Benedictus Deus in sæcula; exultabant sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Glorioſus Deus in sanctis suis*, & alia his similia, quæ Pater quidem audivit, sed non meminit. Bis ter se abstraxit ab hac visione, & tertiùm ipsi immutata est scenæ facies, semper cum incremento incomparabilis pulchritudinis, suavitatis, varietatis cantionum, ea cum claritate, ut coactus fuerit ex reverentia majestatis & divinitatis prosternere se in terram, & omni cum diligentia claudere oculos, etiam objectu manuum, tametsi ità clausi æquè bene, ac clarè viderent res easdem gloriam Sancti Seraphini exprimentes, cui ita addictus vixit, ut sæpe solo ejus nomine dæmonia ejiceret, & ab hac visione magnos sumpsit animos imitandi illum totis viribus. Visus est illi etiam aliàs isthic sanctus statura mediocri, vultu pallido, & macilento, pilo auricomo in rubeum vergente, & conspicuum se præbuit ad siniſtram Altaris in Sancto Joanne Lateranensi, ubi in veneratione sunt capita Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, cum ipso vidit etiam quosdam Patres Societatis sed horum figuras non retinuit in mente.

Visio de gloria S. Franc. Seraphici.

Qui cantus auditi?

Tertiùm immutata scena cum incremento incomparabilis pulchritudinis.

Reverentia P. Julii erga S. Franciscum.

Descriptio S. Francisci.

Patrum Societatis figuram non retinuit in mente.

X. Augusti anno 1606. vidit Sanctum Laurentium, ejúsque gloriam & splendorem, quem traxit ex incendio ipsi in terris parato. Vidit Sanctum Adrianum, Sanctum Antonium Abbatem, Sanctum Mauritium cum sua legione, Sanctos Fabianum & Sebastianum; illum cinctum

Vidit alios complures Sanctos.

Et sanctas Virgines.

Episcoporum choro, hunc Sanctorum Martyrum phalangibus vallatum, vidit multas Sanctas Virgines, quas inter Sanctam Catharinam cum rota, Sanctam Luciam, Sanctam Priscillam cum pluribus aliis ex suo cæmiterio, quarum venerationi magnopere deditus erat propter multas reliquias & sancta corpora ex eo eruta, & in catalogum opera ipsius relata, ac donata Collegio nostro Maceratensi, ubi collocata fuêre sub ara principe multo cum honore, & cultu usque ad hanc diem honestata. Verùm de omnibus & singulis non potest distincta relatio dari propter brevitatem. Et venerat Pater Julius divina aspirante gratia in talem, ut ita dicam, cum sanctis familiaritatem, ut ipsos in suis necessitatibus etiam spiritualibus haberet ad opitulandum paratissimos. Quo in proposito gratiosissimum fuit, quod ipsi accidit Florentiæ rempore brumæ.

Habuit ad opitulandum paratissimos.

Sub vesperam post longissimam in confessionibus excipiendis extractam moram mirum quantum defatigatus in templo, in quo se maxima hominum multitudo ad acquirendos Sacri Jubilæi thesauros præparabat (& erat etiam vigilia, quâ jejunandum) non poterat propter prolixum recitandum officium divinum, tempore consueto conferre se cum aliis ad nonnihil calefaciendum sese, adeò ut congelatus frigore frustra tentaverit capessere somnum; quare somni loco auspicatus orationem pænam illam Deo consecravit cum gaudio illud afflictandi sui complexus studium. Verùm Deus illud longè aliter ordinabat, quippe ipsi lectulum de cælo per manus plurium Sanctorum longè molliſſimum, calidissimum demisit, in quo suavissimè acquievit nulla penitus persensâ frigoris molestiâ, ne quidem sequenti manè. Nec solùm illa nocte hæc sancta impressio duravit, quæ per corpus interiora penetrans plurimùm animum affecit, sed per multos menses mirificum illi robur, & cælestem alimoniam suppeditavit, ac denique

Præparant Sancti P. Julio fesso molliſſimũ lectulum.

multa-

multarum illi Virginum novam visionem effecit; quas inter ille facilè agnovit Sanctam Barbaram, Sanctam Luciam, Sanctam Cæciliam, denique Sanctam Agnetem. Et cum gratiarum donis hujus ultimæ utpote cujus veneration erat deditissimus, placet hoc caput coronare.

Nova illi visio SS. Virginum objecta, & maximè S. Agnetis.

Delegerat eam sibi pro advocata jam inde à primo in societatem ingressu, ad eam quotidie recurrebat cum confidentia sanè filiali, eam rogabat, ut suppleret quotidianos nævos suos, offerret suas orationes Deo, & acceptas redderet; & si seipsum consideraret, quo pacto sancta peculiarem gereret curam ipsius, illum purum præstaret affectibus, cùm forsan minùs honesta obreperet cogitatio, proponebat illam castissimam Virgunculam, Paradisi sponso gratissimam; & secundum hæc dictitabat ipse sibi: *Adverte sis, si consentis reæ cogitationi, amittes tuam Sanctam Agnetem.* Et hujusmodi mentis reflexio omnem ei sinistram umbram in fugam dedit. Hanc sui ipsius experientiam cùm certam haberet, illam multis aliis advocatam suasit, & persuasit, semel cùm vitam ejus cuidam obstinatissimæ prælegeret Turcæ, quæ nulla ratione adduci poterat, ut se converteret, ità illam malacissavit, ut libentissimè sacro fonti subderet caput, & nomen Agnetis à baptismate eligeret. Festivâ quotannis suæ advocatæ luce accipiebat Pater Julius strenæ loco suavissimos pietatis sensus à Patrona sua, verùm 28. Januarij anno 1604. in octava festi solito liberaliorem eam est expertus: per totam antecedentem noctem sub oratione matutina, in sacrificio Missæ semper eam à latere aspectabilem habuit, adduxerat illa secum Virgunculorum raræ pulchritudinis cœtum, quæ mirâ venustate, & gratia circa sponsum Jesum choros ducebant, vestitæ omnes albis, cum coronis in capite, cum palmis in manibus, omnes cantantes sequebantur Agnum immaculatum ad fontem vivum vitæ. Videbat vultum Jesu totum

Mirificè illam devenerabatur.

Objectu S. Agnetis omnes tentationum umbras fugavit.

Lectio Vitæ S. Agnetis.

S. Agnes adducit secum Virginum cœtum.

Choros ducunt circa Jesum.

Vultus seu facies Jesu gemma.

tum relucentem tanquam gemmam, & iste gestiebat gaudio ob gratiam cælestem, quam in sua Agnete videbatur agnoscere; nec illa ipsi unquam appropinquabat, quin aliquid ab ea expeteret, potissimum autem, ut & ipse esset particeps ejus cœtûs securus salutis. Invitabat itidem ipsam, ut & ipsa se cum sociabus conjungeret secum in sacrificio Missæ, & diceret eadem verba, offerrétque res easdem, quas ipse offerret Deo. Hoc ipse fecit in partibus Missæ primariis sed multo maximè ex professo, ad; *nobis quoq; peccatoribus*; ubi petimus habere partem cum sanctis paradisi, quas inter etiam sacro in canone annumeratur sancta Agnes. Audivit supplicantis vota munificentiâ cælesti, in sumenda namque sacra hostia, & in applicandis sacro calici labris emicuit versus ipsum clarus fulgor divinæ claritatis in spargendo pretioso sanguine; & totam ipsi mentem irradiavit; inde etiam vidit versus se scaturire plenitudinem rubinorum, adamantum, Saphirorum; quibus sacerrimus ille sanguis videbatur concretus vel gelatus, raras nihilosecius ac solitas virtutum gemmas in pectus Patris Julij irrorans. Atque ita faventem se ac liberalem ipsi ostendebat advocata, sed nec minus benignam erga alios se exhibuit, qui suas ipsi necessitates cum fiducia explicavêre.

S. Agnes in Canone.

S. Agnetem mirè liberalem erga se expertus est.

Certa domina gente arragona vidua à malo dæmone atrocissimis vexata tentationibus decreverat prius mori, quàm fædari. Domina Theodora de Tufo crudeliter afflicta ex vulnere in junctura brachii cum humero. Domina Julia Milana gravida solita semper dispergere, & jam iterum erat in periculo. Domina Isabella Sanseverina ex hac ipsa causa ferventer se commendaverant precibus Patris Julij, & ipse earum miserias & calamitates sanctæ suæ Agneti repræsentavit. Illa autem aspectabilem se ipsi præbens 21. Januarij 1608. docuit ipsum articulatim, quantum pro salute uniuscujusque oporteret fieri. Executus

Variæ Dominæ S. Agneti commendatæ per P. Julium auditæ.

est

est ille singula fideliter, & omnes in momento perfectæ redonavit sanitati.

CAPVT X.

Visiones Sanctorum ac Beatorum nostræ Societatis.

IVdicavi examussim,& ritè fieri, si tantisper affectui meo, & Patris Julij rationibus parerem, quas erga nostros præ aliis sanctis, ac beatis in paradiso habet, in assignando peculiari quodam capite, in quo eorum prosequerer visiones, cùm ille esset Novitius in societate,recens obierat Sanctus Fundator, & non dum electus ei successor. Vnde societas in principio non poterat in catalogo Ecclesiæ habere sanctos, & beatos, quamvis non paucos, uti ex variis constabat revelationibus,haberet scriptos in libro vitæ. Antequam tamen Pater Julius deponeret tabernaculum hujus vitæ mortalis, vidit primum omnium in Catalogo Beatorum Patrem Ignatium, cognitum sibi adhuc sæculari, & semel duntaxat Romæ in Æde Sancti Jacobi Hispanorum visum, ubi habitâ concione vidit illum magna populi, & nobilium frequentiâ circumdatum, & interroganti quis esset, responsum fuit, esse Patrem Societatis Jesu, qui haberetur pro sancto. Nec aliàs excepto hoc unico casu,illum unquam vidit, & hoc fuit quatuor annis antè, quàm fieret religiosus. Nihilominus post mortem, sicut propè diem dicemus, visus est ipsi quinquies vel sexies: & inprimis quidem 28. Junij anno 1602. dum Pater Julius post gravem exantlatum morbum recuperabat vires in villa nostri Collegij Neapolitani, Sancti Sossij dictâ, & ab omni alia occupatione vacabat externâ, liberè intentus divinis cum Deo agebat, laborans falsis delationum querelis, quibus servi

Societas in principio nova non potuit habere sanctos canonizatos.

P. Julius vidit in vivis S. Patrem Ignatium.

Post mortem quinquies vel sexies ipsi visus S. P. N.

servi Dei magis solent esse obnoxii, quàm communes quilibet homines. Superior quidam plus æquo credulus eum gnaviter pectebat; nolebat humilis sui contemptor quicquam afferre excusando sibi,& asserendæ innocentiæ, prout facili negotio poterat, & identidem ipsi sensus dictabat, sed hæc ipsa illi repugnantia augebat mentis prælia; cùm denique nocte quadam jacens in lectulo inter has ipsas permolestas animi cogitationes, vidit repentè totum, quod erat ante conclave suum, illuminari ambulacrum, & denique ipsum quoque suum cubiculum non sine magno suo metu illustrari splendore. In hac luce aderat Sanctus Pater Ignatius vultu simillimus illi, quæ statim post obitum expressa est, imagini, verùm totus spirans lætitiam, & gaudium ex paradiso. Accessit ad lectum blandè illum consolatus, illa dulcedine totam absterfit animæ amaritiem, serenavit mentem, cordi pristinam restituit pacem. Post hæc illi præcepit, haberet semper in veneratione diem illum memoriâ suæ conversionis candidum, cùm & ipse sibi infirmo Apostolorum Princeps Sanctus apparuit Petrus. Hoc dicto videri desiit.

Nolebat se excusare P. Julius.

S. P. Ignatius apparens omnẽ absterfit amaritiem.

Anno eodem, eodémque loco, sed non eodem die verùm penultimo Julij præcedente diem obitûs in terris, quo renatus est in cælo, habuit pientissimam ab hoc ipso sancto visionem, septem annis ante, quàm in Beatorum ab Ecclesia referretur numerum, ipsique revelatum fuit, veneration futurum tanquam magnum Sanctum. Vidit in Ecclesia conciones de eo fieri in laudem ipsius. Vidit honoratè conservari, exponi, coli sacras ejus reliquias, vidit, cùm à Cardinalibus eum in finem congregatis ageretur de eo in numerum Sanctorum referendo, unum eorum oppidò potenter se opponere, & decisionem remorari; Id totum ille vidit in Spiritu anticipato, scripsitque quod postea

Vidit, quàm celebrandus esset in Ecclesia Dei S. Ignatius.

omnes

omnes oculis vidimus, hodiéque videmus, cum tanta Dei, ac Sancti Fundatoris gloriâ.

De qua Sancti Patris gloria habuit postea expressiorem figuram Pater Julius sequentem in modum. Ab altari, intra quod asservabatur sancti corpus, inter bina candelabra, vidit impetu aquam per canalem prorumpere; canalis æquabat brachium hominis, aqua limpida, & luminosa instar radii solaris scaturiebat fonte perenni; nec aram madefaciebat; ab ara cadebat in terram, illic collecta rivulum formabat, celeriter per templi lata cursitantem: erumpentem in conspectu innumerabilis populi, vehementer illud prodigium demirati, sanctum, & ejus religionem commendantis: designabat autem maximoperè amplitudinem sui templi. Hoc esse sancti meritum interpretatus est, quod prius in bonum societatis, postea autem per eam in emolumentum commune totius Ecclesiæ se dilatavit, id quod ordine ita secutum fuisse videor mihi posse absque jactantia affirmare. Dedit ipsi quoque Deus quasi prægustum quendam illius gloriæ, quâ magna Ignatii anima perfrueretur in cælo.

Alia prodigiosa visio de S. Ignatio, societatisq; doctrinâ.

Interpretatio Visionis.

Agebant Patres de translatione sacri corporis in locum decentiorem; Suboluerat quidem Patri Julio aliquid de eo, quod ageretur, verùm nihil certi cognoverat, nec utrum, & in quod tempus decretum foret; nihilominus nocte translationem præcedente solitas inter somni interrupti orationes, cælestem persensit harmoniam, quæ ipsum penitus discusso somno ex pergefecit: erant moduli paradiso digni: *Gloria Patri*; *Exultabunt Sancti in gloria*; & his similes cum eâ cordis consensione, de qua aliàs dictum. Cæpit cogitare apud se, unde ea suavitas accideret? statim autem illi in mentem venit sepultura Sancti Patris. Hæc harmonia duravit ipsi tribus diebus, & tribus noctibus continuis. Altero die descendens in templum sacrum per-

Præsentit translationem S. Ignatij per cælestem harmoniã.

Suavitas per triduũ durans.

petraturus reperit sepulturam jam apertam, & fiebant præparationes debitæ ad translationem sacrorum ossium, quæ illo adhuc die circa 22. horam usque in serum noctis secuta est, Generali Sancto Francisco Borgia. Interfuere omnes Societatis Patres, quot quot erant Romæ, omnes de seminario Romano, alumni omnes Collegii Germanici, magnus item numerus nobilium juvenum è scholis nostris, omnes faces accensas manibus gestantes. Nolebat Pater Julius hanc tam veram visionem nec credere, nec scribere, verùm Pater Generalis ex professo ei præcepit, ut eam scriberet in testimonium veritatis.

Sub Generali S. Francisco Borgia.

P Generalis ei præcepit, ut hanc visionem scriberet.

Etiam aliàs Pater Julius se monstravit difficilem ex modestia ad credendum fuisse se visitatum à Sancto Patre Ignatio pridie sui festi jam inter beatos relato à summo Pontifice Paulo V. Decumbebat ille lecto, defluxione, & febri graviter laborans, nihilominus pro veneratione, quam illi deferebat, etsi multa cum difficultate recitabat in honorem ipsius officium divinum, & expertus est majorem in eo facilitatem, quàm cùm esset sanus, & valens: deprehendit pulcherrimos sensus in recitandis psalmis, de modis, quibus Deus honorat sanctos suos; ipsi expressè revelatum fuit, convaliturum, tametsi illam gratiam non petierit; ad illam impertiendam venit Sanctus Pater illà præditus luce ad lectum, & perfectè eum utroque à malo liberavit. Dicebat ille, hoc non ita se habere, cum tanto, qualis ipse esset, peccatore; sed nec esse posse. Verùm Sanctus illi Pater affirmavit ita esse, atque ita ex vero fuit. Sæpiùs Sanctus illi Pater apparuit de die conspicuus ad eum in afflictionibus suis consolandum, ad erigendum eum in periculis, sæpiùs ad præmonendū eum de persecutionibus Societati imminentibus, revolavit ipsi cogendam congregationem Generalem multò ante, quàm succederet. Aliàs semel illi aspectabilis fuit sanctus calendis Augusti anno 1610. & ipsi signi-

S. Ignatius liberavit ipsum utroque malo.

Revelavit ipsi cogendam Congregationem generalem.

significavit nonnulla in bonum Principis de Stigliano, qui identidem benè merebatur de Societate,& tunc solennissimum festinabat apparatum in nostro Neapolitano templo die festivam Sancti Fundatoris lucem præcedente. Pater Julius dedit ad intelligendum, quantum opus esset illi Principi per Patrem Negronem familiarem ipsius, & per Patrem Congregationis nobilium præsidem, cui congregationi subinde ille Princeps solebat interesse. Nec multum temporis interceſſit, cùm illa revelatio vera fuit, & opere completa.

Quamvis Pater Franciscus Borgia necdum esset inter beatos à sancta sede declaratus, nihilominus propter sanctimoniam vitæ, qui eum cognoverant, habebatur pro tali,& in necessitatibus pro tali invocabatur. Inter hos tales erat Pater Julius, qui frequenter ei se commendabat,probè gnarus, quanti esset apud Deum meriti ejus intercessio; Et beatus, qui in vivis eum amaverat,& magni fecerat, & post mortem eum perrexit amare, & in apparitionibus,quas hic retulimus de Sancto Ignatio, quasi semper,& ipse cum illo comparuit. Verùm ad particularia descendendo 9. Decembris anno 1605. cùm Pater Julius in gravi versaretur animi periculo, circa 23. horam ad ejus opem magno cum fervore recurrit, & statim liber evasit; id cùm advertit, confestim reversus est ad orandum, & gratias agendas de beneficio. Quo facto statim eum ad latus conspicuum habuit, illúmque vidit oculis corporeis, & accepit ab eo certam quandam suavitatem, qua is fruebatur in cælo, per quam illi mirum in modum illustravit mentem, còr dulcedine replevit, & ipsi in ordinem redegit affectiones & hoc ipsi per complures duravit dies. Alias 16. Septembris anno 1609. noctu cùm orationi vacaret, apparuit ipsi Beatus Franciscus Borgia, & illum docuit ferventer eam, & frequenter facere. Dixit ipsi; ut peteret à Christo Domino nostro,

P. Julius S. Francisco Borgiæ commendabat se, licet necdum beatificato.

Vidit B. Franc Borgiam oculis corporeis.

Quid petendum à Christo?

noſtro, ut ſe amaret illo amore, quo amaret Sanctiſſimam Matrem ſuam, & viciſſim, ut poſſet amare ipſum, ſicut amaret eum ipſamet Virgo Mater. Et cùm ſecundum inſtructionem procederet, expertus eſt ſæpius affectum planè ſingularem. Paucis videbatur Pater Julius habere cum Beato Franciſco illam filialem confidentiam in cælo, quam habuit cum ipſo, cùm eſſet in terris, quo ipſo tempore ipſi ſubinde res admiratione dignæ occurrerunt; unam hic dabo, quæ videatur prope propius ad viſiones accedere. Semel cùm non parùm inquietus eſſet Pater Julius propter negotium, quod officium magiſtri novitiorum urgebat, adiit magna cum ſolicitudine Patrem Borgiam Generalem, verùm reperit illum ita occupatum, ut non potuerit illum audire, potuit autem illum videre, & pariter ab illo videri. Et iſta viſio fuit ipſi loco mutui colloquii ad modum Angelorum abſque vocum ſtrepitu, viderunt unus alterum, & alter alterius propoſitiones, & reſponſiones percepit, ut Pater Julius multo inſtructior, ac tranquillior redierit, quàm ſi ſanctus cum eo fuiſſet.

Viſio mutua ſine congreſſu.

Viſionibus eorum duorum Sanctorum, & generalium, addam alias quorundam aliorum patrum, qui licet non fuerint declarati beati, fuerunt tamen apud nos in conceptu magnorum Dei ſervorum, & forſan non ingratum fuerit aliquid de ipſis audire, qui nullam eorum habent notitiam. Pater Cornelius Viſhauvæus Belga à Sancto Ignatio in ſocietatem ſuſceptus fuit primus, qui Romæ certa aliquâ formâ, & methodo non uſque adeò, uti hodie eſt, perfectâ ac ſtabilita novitios regeret. Erat homo jucundus, ſimplex, devotus, & paſſim opinione virgo. Clauſit dies ſuos Laureti; Pater Julius, qui illinc longè aberat, vidit illâ ipsâ horâ, quâ obierat, in ſpiritu in illa ſancta æde concionem fieri de ejus laudibus, & ille vidit illo ipſo tempore in ſacello Sanctiſſimi Sacramenti præberi multis perſonis

Cornelii Viſhauvæi memoria in Benedictione.

sonis sacram Synaxin, & loco hostiarum porrigi illis rosas, & alios miræ fragrantiæ flosculos, ex qua visione intellexit patrem illum diem obiisse supremum, sicut postea rèipsa compertum fuit, fuisse illam ipsam horam, quâ contigerat visio, & de qua fit mentio in florido illo libello, cui titulus Rosæ cælestes itineribus æternitatis aspersæ, Dilingæ impresso anno 1654. Pater Joannes Baptista Peruschus nobilis Romanus Episcopi civitatis civitatensis nepos etiam ipse tempore Sancti Fundatoris fuit in societatem receptus jam Sacerdos; erat homo internus, & sanctæ conversationis, gubernavit provincialis provinciam Venetam, obiit quasi octogenarius in Domo professa Romæ 18. Decemb. anno 1598. Erat absens in alio Collegio Pater Julius, & illo ipso tempore habuit longam de eo visionem, déque ejus multis meritis ipsi revelatis. Vidit illum inter multos Patres Societatis, de cujus progressibus in illa extasi multa præsensit. Hunc ipsum Patrem vidit in superiore revelatione de meritis Sancti Ignatii stantem sub porta cujusdem templi. Erat Pater Julius unà cum aliis Patribus ad focum calefaciens se se; dixit illis; timeo, ne Pater Peruschus obierit, nolendo ex modestia aperire revelationem; verùm post triduum suffragia Romam allata prædictionem detexerunt.

P. Joannes Baptista Peruschus.

Habuit de eo longam visionem.

Prædictionem firmavit eventus.

Eodem modo cùm esset valde longinquus, vidit animam in cælo Patris Vincentij Bruni, ejus glotiam inter multos Patres, qui cum ipso erant in eadem mensa convictûs Agnelli, mors autem ejus contigit 13. Augusti anno 1594. Romæ fuit iste Pater Connovitius nostri Patris Julij, homo pientissimus, sicut apparet ex meditationibus, quas vulgavit, de vita & morte Jesu Christi; vir insigni humilitate, patientia, & contemptu sui ipsius; qui licèt vicies bis sanguinem sputaverit ex vena pectoris rupta, nihilominus, nihil prorsus à laboribus assiduis in obsequio divino remisit

Vincentius Brunus.

Laudes Bruni.

misit. Fuit Rector Collegii Lauretani & Romani loquendi parcissimus, nec unquam exibat domo, nisi ægerrimè, & in casu summæ necessitatis. Obiit Romæ 13. Octob. anno 1554. Pater Sebastianus Romer Castilienſis ad societatem susceptus ab ipso Patre sancto decennio quasi ante, quam morereturr. In religione fuit adhibitus ad varias gubernationes, verùm illustrior in eo fuit charitas & humilitas, propter quas valde eum amavit Sanctus Pater, & illi frequentes & publicas dedit occasiones in iis se exercendi. Apparuit ille Patri Julio post mortem suo subdito, & pœnitenti carissimo, dum erat in vivis, manifestans illi suam quietem & gloriam, qua fruebatur in cælo. Et quoniam iste Pater vivens solitus erat dicere, nostros homines in vita non habere aliam quietem, quàm cùm ægri decumbunt in lecto, & nec sibi hanc quidem quietis partem esse concessam à Deo, propter apostema in pectore, quod ipsi etiam decubitum reddebat inquietissimum, intellexit Pater Julius, Deum ipsi in altera vita singularem quietis assem reservâsse inter beatos.

P. Sebastianus Romer.

Sanctus Pater multum illum amavit.

Pater Matthæus Riccius homo tantæ virtutis & famæ, de quo diximus libro primo, cujus illustria facta & res gestæ ab insigni rerum nostrarum scriptore prodierunt, habet & ipse à Patre Julio amico, & cognato suo nobile testimonium & in vita & post mortem. Dicit enim eum egisse vitam innocentem, puram, humilem, verecundam jam inde à teneris annis usque ad obitum, post quem asserit eum, posse numerari inter beatos societatis. Obiit Pechini in civitate Sinarum regia. Tunc temporis erat Pater Julius Neapoli toto orbe remotus. Apparuit autem ipsi in visione admodum clara Pater Matthæus, & stabili, per multos continuos dies, ad eum modum, ut nihil de eo cogitans, nec ob longinquitatem locorum quicquam de eo memorans, illum tamen clarè ante se videret. Nuntiavit ipsi suam mortem,

P. Matthæus Riccius.

Obiit Pechini, apparuit P. Julio Neapoli.

mortem, simul & laborum suorum præmium longè maximum, simul & Patris Julij Piani civis sui indicavit mortem, qui & ipse plurimos per annos summa cum laude sterile illud desertum impigrè excoluerat. Nuntians ei mortem suam & præmium.

Habuit quoque revelationem de morte, & beata vita insignis viri Patris Bernardi Calnagi, cujus virtus cum sit notissima, & plena prodigiorum, ejus quoque vita versatur in manibus omnium. Hic nihil aliud addam, nisi simplicem attestationem ab homine à Deo illuminato, qualis fuit Pater Julius. Denique ipsi revelata mors fuit, & gloria Patris Joannis Baptistæ de Alexandris nobilis Augustæ civitatis perusini, cujus admirabilem conversionem, sanctam vitam ac mortem, si ego hic paucis referam ipsius Patris Julij verbis, non putandus sum saltare extra propositi rhombum, vel certè lectorem minimè pœnitebit audivisse, & cognovisse, quod ipsi libêret factitare. Erat igitur Joannes Baptista annorum Circitet 21. quando ei unicus suus major natu frater à quodam nobili fuit occisus. Sanguis, ætas, aliique spiritus ipsum ad vindictam extimulabant, ut diu noctúque cum ejusmodi professionis hominibus discursaret armatus in indagine inimici. Mater pientissima matrona, & assidua in templo nostro in frequentandis Sacramentis illum Deo identidem & per se, & per Patres nostros commendabat; quoties domo maximè noctu prodibat, comitabatur eum usque ad januam cum precibus & lachrymis rogans Deum, ut eum ab illa expeditione abstraheret, cùm verò nihil proficeret, benedicebat illi & plangebat. Dudum satur juvenis fæmineæ pietatis, quæ ipsi paulatim videbatur importunior, nihili Matrem & sorores faciebat, quæ identidem antiquam succentabant cantilenam. Hoc magis ipsæ aggerabant orationes, & eleëmosynas permovendo Deo, & matri ejus sanctissimæ, quandoquidem in filio & in fratre frustra omnia erant. Denique post

Bernardus Calnagus.

Joan Baptista de Alexandris.

Ejus frater occiditur.

Vindictæ studium.

Mater & sorores orant, & plangunt.

Nec concio nec privata monita illum percellunt.

post tot repulsas, cùm novus quidam insignis Ecclesiastes in templo nostro verba faceret, impetratum est ab eò, ut eò se conferret ad audiendum eum, illique insuper loqueretur, & cum Patre Rectore Collegii, à quibus, licèt modico cum fructu, vehementer fuit impulsus ad ignoscentiam, & confessionem peccatorum. Verùm Deus, qui istam animam tantopere anhelabat, quanto illa ipsum fugiebat, ex sua divina providentia permisit, ut in platea, quam vocant magnam, in quæsitum suum inimicum incideret; erat ille inermis & nec tempus nec locum habebat effugiendi, unde ad ea unica arma confugit, quæ ipsi illo in articulo poterant esse peropportuna; procidens in genua dixit: *ego ego malè feci occidendo fratrem tuum, agnosco errorem, per amorem Dei rogo te, ignosce.* Ad ea verba pendebat animi Joannes Baptista, rogans & ipse Deum, suggereret sibi, quid statuere cum eo in articulo oporteret. Fuit autem ità prompta, ita potens inspiratio divina, sic clara mentis illustratio, ut absq; ulteriori mora ipsum manu apprehenderet, & solo elevaret, arctóque ipsum complexu tenerè oscularetur, ac diceret: *ex amore Dei ignosco tibi, ac recipio te in locum illius germani fratris, quem è medio sustulisti.* Fuere copiosissimæ mutuæ lachrymæ præ gaudio profusæ, magna omnium præsentium admiratio summum omnium circumstantium, & totius civitatis gaudium, & vel maximè charæ ejus Matris & sororum jubilus, quæ magno suo sumptu illam ipsi à Deo gratiam impetraverant. Nec multum temporis intercessit, cùm matris & sororum lachrymas suspiria abundè pensavit; vocatus enim ad nostram societatem annos natus 22. illam est ingress', facultatibus suis omnibus, ex æquo inter ipsas distributis, licèt & ipsæ ad exemplum fratris & filii omnes tres religiosas se fecerint omnibus suis bonis nostro Collegio relictis excepta necessaria ipsis dote. Imo donatis Collegio mulis & molendino, cùm mulio propter uxorem

Ignoscentia notabilis.

Itum in mutuas lacrimas.

Ipse ingreditur in societatem.

uxorem religiosum se facere non posset, voluit ultrò tota sua vita societati servire, quod non minùs fidelissimè re ipsa præstitit, quàm verbis adpromiserat. vixit Pater Joannes Baptista in societate annis triginta, studuit Philosophiæ & Theologiæ, excelluit in educanda juventute, confessarius indefessus convictorum, seminarii & in Collegio Romano, juvit plurimùm pauperes discipulos bonæ indolis eleemosynis, ut traducere decenter sua studia possent. Ait Pater Julius, se diu multúmque cum eo versatum fuisse, fuisse hominem sui victoriâ clarum, certatum inter ipsos fuisse, uter plura pœnitentiæ opera faceret, nullum in eo vitium agnovisse, extitisse castissimum, & plenum sancti zeli, non habuisse quidem summum talentum dextrè tractandi juvenum animos, eósq; virtuti lucrandi, suppleviſſe tamen abundè exemplo, humilitate, charitate, & multis pœnitentiæ operibus, quæ pro illis obibat. Coronavit denique laudabilem vitam suam gloriosâ morte. Româ Perusium ad villam illius Collegii translatus, ut aura frueretur nativâ post longam exantlatam infirmitatem. Illic, cùm non esset alius modus juvandi multos illius vicini castelli pauperes, ruri inter culmos collegit spicas à messoribus relictas, quâ in exemplari charitatis functione intus accensus, & à solaribus perustus caput radiis recidivus abiit ad illum videndum solem, qui omnes corroborat, & nunquam occidit, contentissimus sua moriendi sorte, cùm opinione publica servi Dei tam inter nostros quàm sæculares.

Vixit in societate annis 30.

Ejus officia & laudes.

Obiit ruri spicas pro pauperibus legens.

Denique ante quàm Pater Petrus Antonius Spinellus nostræ societatis decederet, cùm sacrum faceret de sancto Angelo Custode, vidit Pater Julius gloriam animæ illius in paradiso præparatam, quòd amplificâsset honorem & cultum sanctorum Angelorum: ac fuit talis ea gloria, ut eam nequiverit satis explicare verbis. Ac similiter inter litandum vidit animam fratris Pauli Ceccotti adjutoris tem-

P. Petrus Antonius Spinellus.

Frater Paulus Ceccotti Coadjutor.

poralis, qui paucis ante diebus obierat, ascendentem in cælum divina quadam similitudine conspicuam; prout aliàs annotavimus. Testatur noster Pater Antonius Beatillus, narrante Patre Jacobo Anello, cui ille hoc deposuit, obvium se habuisse aliquando Patrem Julium, interrogâsse ipsum, num quispiam è nostris obiisset? Patrem Antonium respondisse, nihil se scire, factum tamen ex hac interrogatione curiosiorem, tanquam qui sciret Patris Mancinelli virtutem, validiùs apud eum institisse super hujus interrogationis causâ, demum hoc responsi obtinuisse. *Mihi apparuit Angelus sanctus resplendens, & ascendit in cælum.* Non intellexit tunc Pater Beatillus, sed intellexit postea, quando venit suffragium, mortuum fuisse unum ex fratribus nostris nomine Angelum, qui verè talis erat etiam moribus, usque ad annum 75. Quadraginta ipsos egerat in societate pharmacopæus excellens, qua de arte conscripserat duos utilissimos libros, quos reliquit; sed multò utiliora inculpatæ vitæ exempla, victor sui, propriorum commodorum hostis, & si credimus Patri Julio, cùm sanctissimum ei præberetur viaticum, Angelorum chorus ejus in cubiculum paulò antè suam mortem descendit.

Frater Angelus.

Ejus occupationes, & scientia.

Inter hos annumerandus est Pater Joannes Andreas Terzo, qui licèt à Patre Julio non sit visus in paradiso, testimonium tamen de illo perhibet ejusmodi, ut illum declaret hominem optimum. Dicit itaque illum fuisse vita exemplari, & integerrimâ ab ipso usque ad annos 78. productâ, fuisse suum confessarium percharum; fuisse à Deo continuis morbis probatum, plagis pœnosissimis per totum corpus exercitum, ità ut nec quidem jacere in lecto posset, nec somnum capere aliter nisi sedendo, quæ illi infortunia nunquam eripuere serenum animum, nec unquam impedierunt sacrificium Missæ, quam privato in sacello perpetrabat. Confessiones in templo protraxit indefessus

P. Joan Andreas Terzo.

Ejus encomium.

fessus usque ad ultimum vitæ diem. Dicit præterea eum fuisse prudentissimum, & mirè gratiosum tractandi negotia cum Magnatibus, ad quod eum superiores identidem adhibuerunt, demum asserit ex testimonio Patris Benedicti Turrigiæ confidentissimi Patris Andreæ, ipsum à Deo petiisse & impetrâsse, tota ut vita sua esset mutilus, mancus, & curvus, sicut sanctum Andream non descendisse de cruce, ac propterea ejus corpus 29. Novemb. anno 1613. post mortem detectum, fuisse repertum planè integrum, pulchrum sine plagis absque curvaturis in præmium scilicet, quod eas ex amore Dei vivens & desideraverit, & toleraverit; propter quod Pater Julius tùm præsens ipsum vocat corpus miraculosum, & illud poterat cum ratione vocare quasi beatum; quoniam jam fruebatur dono pulchritudinis, quam corpora justorum deformium habitura sunt post resurectionem, cum futura sunt beata.

In vita curvus post mortem rectus & integer.

Corpus miraculosum.

Fuêre insuper multæ Patrum ac Fratrum nostrorum visiones, qui apparuerunt Patri Julio in loco salutis; uti Pater Franciscus Turrianus scriptor percelebris, & innocentissimæ vitæ; cujus anima post mortem, quæ contigit Romæ, visa fuit in regione pacis à Patre Julio tunc Constantinopoli commorante. Pater Ruiz mortuus inter labores Indiæ, qui Romæ primam bonam formam in novitiatum introduxit. Pater Pignatavus, Pater Alphonsus Storella, Pater Lucas Pinellus: Pater Benedictus Tonesi, Frater Dionysius Torrenus in morte à Patre Julio adjutus, Frater Vincentius Scocciglia homo invictissimæ patientiæ, & laboris etsi viribus perinfirmis: Pater Jacobus Francus Socius Patris Julii Constantinopoli, ubi & obiit; cujus corpus post 20. annos dicitur incorruptum injectum in sepulturam patrum Capuccinorum, & multi alii, quos longum esset hic memorare. Visionibus particularibus, quas habuit

Vidit P. Turrianum Constantinopoli existens.

Complures alios.

Habuit visionem de universis.

Pater Julius de aliquibus, addam in fine illam, quam habuit de universis generatim modo sequenti.

XXI. Decemb. anno 1594. in festo die Sancti Thomæ Apostoli in novitiatu Sancti Andreæ cùm multa agerent de futuris successibus Societatis Patres Romæ in Congregatione generali congregati, Pater Julius multas fundebat preces ad Deum, ut illam dignaretur de bono in melius promovere; cùm in atrio, ubi cisterna est, & horologium, paulò altiores domo vidit duos soles splendidissimos, unum ab altero distantem, quantum canna muratorum est, unumquemque bis majorem sole ordinario: fuerant pleni vultibus humanis lucidissimis, jucundissimis, ridentibus, emicantibus certo quodam motu & splendore, qualis videtur fervente æstate supra aquas maris vel lacuum, certa quædam à sole reverberata lux innatare, erat in ipsis ea gravitas, gratia & magnificentia cælestis, ut qui in eos intueretur, extraordinarium acciperet robur. Subtus unum illorum solum erat adhuc in aëre Pater Claudius Aquaviva tunc generalis, subtus alterum eodem modo alius quidam Pater, cujus non exprimitur nomen, sed solùm, eum non ita multò pòst sanctè transiisse ad alteram vitam. Magnum fuit Patris Julii desiderium intelligere significatum hujus visionis; explicatum ipsi fuit, esse prædestinatos nostræ Societatis; in uno sole fuisse illos, qui jam completo cursu mortalis vitæ venerint ad terminum, & possessionem gloriæ cælestis, in altero resplenduisse illos, qui, licèt adhuc sint in via, essent tamen à Deo destinati ad gloriam, & aspicerentur in illo gloriæ gradu, quâ deberent aliquando frui in perpetuas æternitates, haberi hic respectum ad illum versum psalmi 88. *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo.* Intellexit porrò Patrem Claudium subsitisse sub globo vivorum, illum autem alterum patrem, qui non multò pòst obiit, sub globo vita functorum. venio ergò eam in spem,

Fundit preces pro Societate.

Vidit duos soles.

Interpretatio prædestinati societatis.

Versus Ps. 88.

(congruen-

(congruenter aliis revelationibus Beati Franciſci Borgiæ,& aliorum,) hanc viſionem prædeſtinatorum ſocietatis intelligendam non de aliquibus duntaxat, verùm de omnibus & univerſis illis, quibus per divinam miſericordiam conceditur perſeverantia in religione & in obſervantia regulari uſque ad mortem, verùm ponendus eſt tandem finis huic capitulo, & viſionibus unâ duntaxat adhuc allatâ, quam habuit Pater Julius 17. Auguſti anno 1603. inter litandum non de noſtris ſolùm beatis, verùm generatim de totâ curiâ cæleſti, poſt communionem, dum recitat illam orationem,quæ incipit,menſæ cæleſtis participes effecti,incidit in illuſtriſſimam & planè mirabilem viſionem.

Intelligitur de perſeverantibus in ſocietate omnibus.

Viſio de universâ cœleſti curia.

Reſerato illi cælo vidit illam ſumptuoſiſſimam & maximam menſam oneratam ferculis cum incredibili ſplendore & delitiis. In capite menſæ ſedebant tres divinæ perſonæ, & prope illas Beatiſſima Virgo, & poſt illam ex ordine Angeli ex uno latere, ex altero per ordinem omnes Sancti & Beati, conformiter gradibus & meritis uniuscujusque; communicabat unus alteri excellentiam & gloriam,quæ licèt à Deo tanquam à fonte in ipſis redundabat, videbatur tamen propria uniuscujusque, & demum in Deum redibat, & iſte erat illius convivii lautiſſimus cibus, peracta Liturgia non poterat perſolvere gratiarum actionem propter nimiam illius lucis impreſſionem, quæ ſuo ſplendore perſtringebat ejus capacitatem, verùm ſenſim ſe objiciebant magis deſtincti gradus & ordines beatorum in multitudine, varietate, conditionibus ciborum, miniſtrorum, canticorum, harmoniarum, & prorupit contra ſuam voluntatem in clamores, & ſuſpiria cum impetu & ſpiritus fervore,ut crederetur tunc anima exitura à corpore.

Nimia lux perſtrinxit oculos.

Aliquanto pòſt quievit, petiitque multásque gratias cùm pro ſe, tum pro aliis ab illis ſanctis, qui læti ex illo cæleſti & divino convivio videbantur nihil ipſi poſſe negare.

Videbatur anima exitura à corpore.

Scripsit postea bene prolixam & probè ordinatam meditationem, quantumvis admodum doleat, non ita bene potuisse, sicut in se expertus erat, in illa exprimere certas illustrationes intellectûs, certos voluntatis gustus, & sapores, certos benignos Dei & sanctorum intuitus, certam puritatem animarum beatarum, nihil humanis rebus subjectarum, & mille alias res similes, quas solus Deus nobis dare potest intelligendas sua illa interna luce, cum quali, & in qua assiduè vivebat Pater Julius à mundo penitus abstractus, ut ita dicam, potius cælestis quàm terrestris inquilinus.

CAPUT XI.

Visiones Patris Julij quarundum personarum sæcularium inter beatos post earum obitum.

QVoniam Deus non observat discrimen personarum vel statuum, & ipsi æquè facile est de sterili sæculi deserto ac de amænis religionum hortis colligere flores, ac fructus sanctimoniæ, pro consolatione in mundo degentium, videtur mihi hic è re fore, referre aliquot visiones, in quibus Patri Julio se præbuêre aspectabiles multi & multæ domi suæ vitam agentes inter divitias & commoditates.

Vidit Ferdinandum de Silva fratrem Proregis Neap.

XVII. Aprilis anno 1611. inter orandum divisit se cælum, ac vidit thronum Dei, & coram illo in ultima orchestra, paulò altiori Dominum Ferdinandum de Silva, fratrem Domini Petri Comitis de Lembos proregis Neapolitani in veste candida, putabat Pater Julius illum esse angelum. Verùm considerando illum meliùs ex viridi & aliquantum severo aspectu notavit non esse angelum, ac cupido sciendi, quis esset, revelatum fuit, illum esse dictum Dominum Ferdinandum fratrem proregis. Visionem decursam mox in Scripta retulit, ut obsequeretur mandatis,

quæ

quæ ipsi ea super re data fuerant, & quia aliquis Patris Julij amicus, vel superior illam manifestavit, ac proregi detexit, ille libentissimè intellexit fratrem suum esse in cælo, atque inde oculo benigno respicere posse domum suam; paucis post diebus viceregina curiosior indagendi veri evocavit Patrem Julium, ac coram marito & uno ejusdem fratre Domino Francisco interrogavit solicitè de habitu & lineamentis, ac figuris, & alia particularia in ipso visa, ac reperit omnia ritù congruere cum illâ effigie, quam habebant de dicto Domino Comite Ferdinando. Exhibuit illam Patri Julio, qui dixit illam esse simillimam planè ac genuinam. Itaque læti omnes concorditer laudavere Deum. Erat Dominus dux Franciscus Theodorus filius Dominæ Isabellæ de Rovere principis de Bisignano, annorum 14. unicus eximiæ virtutis, & qui promitteret mundo bonum ac prudentem principem, cùm Domino Deo aliter visum, cúmque ab hujus vitæ periculis sancta morte liberare. Pater Julius Neapoli aberat plus 300. millibus planè ejus mortis insscius, vidit illum assidere mensæ vultu angelico ante aram principem templi nostri in domo professa, quod tunc de novo ædificabatur ex eleemosynis principissæ matris ejus. Inde paululùm vidit comparere pulcherrimam Virginem, quæ illi ad latús assedit, & non ita multò pòst successit alia speciosissima puella, quæ & ipsa consîdens ad alterum latus eum medium inclusit. Inde paulatim maxima cum gloria & honore totius Ecclesiæ per manus plurimorum Angelorum sic, ut erant sedentes, fuerunt sublevati, usque ad supra summum tribunatûs. Atque ità terminavit visio. postea Pater Julius certior factus est de illorum obitu. Duæ juvenculæ erant Domina Silvia & Domina Maria Sorores ex clarissima domo Caraffa: Istæ vixerant quasi 30. annis à nostris Patribus in spiritu educatæ, semper raræ cum virtutis exemplo, & communi cum sensu non mediocris sanctitatis,

Viceregina evocavit P. Julium.

Omnia congruebant.

Dux Franciscus de Bisignano.

Sorores Caraffæ educatæ à nostris cum exemplo.

ctitatis, adeò, ut earum vitæ conscriberentur vel à Patre Joanne Francisco Araldo, vel à Patre Luca Pinelli. Illarum parentes sæpius æquali cum dote conati sunt illas collocare honestissimis matrimoniis. Verùm usque frustra. Deductæ ad mortem reliquerunt legatum pro illo ipso templo, ut in eo ædificaretur sacellum, quod tempore Patris Julij nobilissimum & magnificum stetit. Placuit justo Deo remuneratori bonorum exaltare istas animas non solùm in paradiso, verùm & secundum hanc visionem etiàm in templo ab ipsis educto & ornato.

Voluit illas Deus exaltare in hoc ipso templo.

Alias die anniversario mortis hujus principis habuit Pater Julius revelationem, ipsum in florenti prato perfrui gloriâ paradisi, & commendando animam Domini Principis de Bisignano sui Patris nomine Nicolai Bernardi ex nobilissima familia Sanseverinâ, vidit Angelos luminosos confligere pro illa cum tenebrosis, & Beatissimam Virginem inter posuisse se se auxiliatricem. Verùm tunc bonos Angelos non prævaluisse ad eam ad cælum deducendam. Hærebat itaque Pater Julius anxius de exitu. Postea verò duobus aliis temporibus cognovit satis certò, illam iviſſe ad purgantes flammas. XIII. Julii anno 1603. transiit ad meliorem vitam Domina Lucretia filia Dominæ Camillæ Filomarinæ & Domini Fabritij Pappacodæ, fuit teneris ab annis deditissima pietati; & contemptui mundanarum vanitatum, patiens, humil is, erga matrem obedientissima, moderata in vestitu, & in quavis alia re temperato usu, voluit esse sanctimonialis domi suæ, frequentando per totam vitam singulis octiduis sanctissima Sacramenta in templo nostro Neapoli. Vixit in perpetuis infirmitatibus, verùm biennio, antè quàm moreretur, creverunt plurimùm morbi, duabus ultimis septimanis conflictata fuit continuâ agoniâ, nec emori poterat cum admiratione omnium, qui intererant, quibus non videbatur meruisse purgatorium

Angeli luminosi, & tenebricosi.

Lucretia Filomarina.

Passa est pœnam damni brevi intervallo.

tam

tam longum, támque difficile, venit denique ad refrigerium, & Pater Julius intellecta ejus morte oravit pro ipsa totam noctem, versus auroram apparuit ipsi tanquam luna, nuntians ipsi, se per breve admodum spatium passam fuisse pœnam damni; unde illam non multò pòst iterum vidit, sed tanquam solem in meridie, lætam & beatam.

D. Indicus Guevarra intravit societatem.

Dominus Indicus Guevarra, qui relicto Ducatu de Bovino, & cum illo toto mundo se Deo consecravit in nostra societate, habuit duos filios, unum nomine Vincentium Equitem Melitensem, alterum Diegum, ambos optima indole, nec minori pietate, ac quia istis non digna erat terra, valde tempestivè eos messuit cælum, inter octavum & nonum annos obiere quasi eodem tempore primus 29. Septemb. secundus 14. Octob. eodem anno 1606. Pater Julius habuit revelationem de ipsorum morte & gloria sex mensibus ante hoc est 11. Martij ejusdem anni hoc modo. vidit ab una valle valde longinqua & inde transeuntem per aërem, ascendentem tamen in altum animam unius illorum, quam optimè cognovit penetrantem cælos usque ad civitatem beatam, quæ videbatur castellum, vel munitio, quod ipsi subitò apertum patuit, introivit. Inde sat multò pòst per eundem tramitem vidit venientem alterum filium, qui & ipse, sicut prior, statim admissus est, & duplicavit Patri Julio lætitiam, cum propter ipsosmet, quos optimè noscitabat, & sæpius cùm ipsis egerat, tum etiam propter Patrem eorum jam in societate degentem. Nil cogitavit hic tunc temporis de morte, verùm postea tempore prædicto comperit ambos fuisse mortuos, & assumptos in cælum.

Cognovit de ipsorum morte & gloria.

Lætatus est etiam propter Patrem in societate degentem.

Jam abierat annus ab obitu Domini Antonii de Cardines annorum 17. juvenis, verùm jam annosâ virtute senis. Ipsius progenitores erant afflictissimi, & quia ille erat maximus omnium, & obierat phreneticus absque viatico,

Joannes Antonius de Cardines.

dubitabant de ipsius salute, licèt sanus fuerit frequentissimus in adeunda sacra synaxi, tota domus vivebat deditissima societati, in rebus salutis semper recta, & gubernata per homines societatis. Vnde 25. Octob. die mortis anniversario ultra alia pietatis opera in bonum ipsius animæ petiere, ut Pater Julius pro ipsâ sacrificaret, fecit id magno cum affectu, & animi applicatione, & cùm se in cubiculum contulisset ad dicendas horas canonicas, ex improviso sensit magnum divinæ præsentiæ gustum, & erga Deum confidentiam, tanquam erga patrem, cum lætitia & suavitate cordis singulari, ac si perciperet saporem & fragrantiam plus quam humanam, & ab illa obtineret rem multo desideratissimam, vidit in ictu oculi referari cælum & objici lucem magnam, candidam, aureo circulo inclusam, intra quem vidit infantulum sive pusionem instar solis in sphæra sua resplendentis, qui perstringebat intuentium oculos.

Lux aureo circulo inclusa.

Dictum fuit ipsi, illam esse animam Domini Antonii, apud quem sit divina præsentia, quæ minimè videri, sed solùm intelligi, gustari summa cum claritate, voluptate, & tranquillitate animi posset. Dubius Pater Julius, ne sibi phantasia, vel imaginatio forsan illuderet, divertit animum per magnum spatium, sed semper eadem ipsi visio constantissimè rediit, & eodem modo; unde ipse veri certus in lachrymas solutus genua flexit ad agendas Deo gratias, ac perrexit in recitando inchoato divino officio ex animo sat diu impotens illam validam impressionem eradendi.

Erat anima Domini Antonii.

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Mozza Episcopus Aversanus vir optimi exempli duobus vel tribus ultimis annis à Deo gravibus fuit morbis visitatus; anno uno priùs id est, 17. Maij anno 1605. fuit mors ipsius & sancta ejus conversatio inter beatos revelata Patri Julio hoc modo, videbatur sibi esse cum illo prælato in missione suæ diœceseos, & cùm in templo quodam vacaret orationi expectante

Episcopus Aversanus.

Ejus gloria revelata.

expectante numeroso populo pastorem suum, vidit illum venientem, & in loco ad id præparato flectentem genua. tunc ab altari quodam exibat alius Episcopus vultu Apostolico, tanquam ex sua sepultura, séque contulit ad excipiendum Mozzam, salutavit illum, & complexus tanquam fratrem: quo facto ex alio diverso altari exit alius Episcopus, & acceptum medium Mozzam deducunt ad aram majorem, illic preces fusurum. Secundum hæc introducunt eum intra unum prædictorum altarium: ex quo Pater Julius intellexit vicinam ejus mortem, quæ & est postea secuta.

Ex hoc didicit mortem.

De Reverendissimo Hugolino jam secretario statûs Ecclesiastici, qui totum se dedit integritati vitæ, operibus pœnitentiæ austeræ, ac Sacramentorum frequentiæ, diximus aliàs illum vidisse prius in purgantibus flammis, postea beatum atq; instar solis resplendentem, quod contigit quadam nocte, cùm ille in civitate Thessalonicensi multum divexaretur propter pusillanimitatem duorum sociorum, plurimùm in illa apparitione recreatus fuit. Vidit etiam in gloria paradisi animam Dominæ Portiæ Caracciolię matris Domini Antonii Carmignani 30. Augusti anno 1610. tametsi in historia non exponatur, quomodo; & solùm dicatur, fuisse raræ virtutis, frequentâsse Sacramenta, diu infirmam extitisse, patientiæ exemplari studuisse, cùm aliquando eum rogâsset, ut Deo se commendaret, misisse post illum multò pòst eundem suum filium, qui ipsum commoneret, non petiisse se recuperandam sanitatem; Verùm bene se disponi ad mortem, illud autem feciisse se cum pietatis sensu, ut totum ejus studium in agonia fuerit componere corpusculum suum in formam crucis extentis brachiis, licet in hoc experiretur gravissimos dolores: moriens legavit patribus Oratorii Sancti Philippi Nerii Neapoli bonam pecuniæ summam.

Prius in flammis postea eum inter Beatos vidit.

Domina Portia Caracciola.

Moriens composuit corpusculum in formam Crucis

Quibus de visionibus Dominarum ac Dominorum tam illustrium plurimis titulis, ac nominibus magnopere lætari debent illorum propinqui, & consanguinei, habere illos, sicut piè credi potest, beatos & advocatos in cælo pro domibus suis, sed & ipsos & quoslibet alios sumere animos oportere, ac spem ejusmodi beatitudinem obtinendi, etiam in medio mundi, si noverint illum, sicut ipsi contemnere, & ut ipsis dignos subjiciam stimulos ad hoc audendum, finem huic capiti imponam visione, quam Pater Julius habuit, de ipsamet mundi vanitate. In festo Pentecostes anno 1596. cùm totus contemplatione in horto Domus professæ Romæ absorptus hæreret, vidit totum istum mundum inferiorem reductum in globum Lunari similem, stantem in aëre sub cælo. Objiciebantur ipsi omnia in illo regna, magnificentiæ, opes, voluptates, deliciæ, quas solent desiderare mundani homines, qui in ipso degunt, cæci, mancipia, animalia inclusa. Supra hunc globum vidit aperturam grandem cæli, per quam cernebatur tanquam per artem prospectivam civitas cælestis cum suis pulchritudinibus, magnificentiis, splendoribus, jucunditatib⁹ habitantium in ea & faciendo comparationem unius cum altera, habuit inexplicabiles intellectus longissima cum extasi, à qua cum reverteret ad officia corporis, reperit illud quasi emortuum, non secus, ac si anima illo tempore planè id penitus deseruisset, nec suam illi virtutem communicâsset. In corde autem ipsi hæsit altissimus rerum humanarum contemptus, & ardentissimum cælestium desiderium.

Nova alia visio.

CAPVT

CAPVT XII.

De Revelationibus & prophetiis Patris Julij.

LIcet, ſicut in principio diximus de viſionibus, difficile eſt ſeparare illas à revelationibus & prophetia, & multas retulimus, quæ ipſas in ſe continebant, nihil ominus hic magis in particulari loquemur de revelationibus & prophetiis, nihil dicturi de ſimplicibus viſionibus. Ac quoniam plurimæ revelationes fuére, quas habuit Pater Julius, & prophetiæ, quas edixit, diſtinguemus illas in plura capita, ſecundum nobilitatem objectorum, dicturi in hoc illas, quæ pertinent ad prælatos ſanctæ Eccleſiæ. Ipſe igitur per viam certitudinis animi abſque ulla viſione corporea habuit revelationem ſecuram Cardinalem Montaltum futurum papam, ut ad aliud ſubjectum, licèt vellet, non poſſet, mentem applicare, & convincebat per eam omnes rationes humanas, ipſi occurrentes, & ab aliis in contrarium auditas. Et ſuper hoc fundamento ſcripſit duo folia utiliſſimarum annotationum, ad magnos Eccleſiæ prælatos, & illas communicavit auditoti ſuo pœnitenti. Hic illas libentiſſimè audivit, & omninò volebat, ut Pater Julius illas offerret Cardinali: Verùm ille conſiderans periculum modeſtiæ ſuæ nullo modo id facere voluit. Paucis ab hinc menſibus obiit papa, & ille magna cum facilitate fuit electus ſucceſſor, & vocatus Sixtus V. æternâ dignus memoriâ. Eodem modo ſenſit plenam in animo certitudinem de futura electone ad papatum Anteceſſoris Sixti, Gregorii XIV. & una neptis ipſius de domo Sfondrata voluit, ut Pater Julius eundo Romam, à civitate in qua ipſa morabatur, deferret à ſe ad illum adhuc Cardinalem Chirographum pro impetrandâ gratiâ, quando futurus eſſet papa.

Cardinalis Montaltus futurus pontifex.

Obſtitit modeſtia P. Julij.

Greg. XIV.

Detulit ille; non tamen unquam persuaderi ipsi potuit, ut illi in persona offèrtet, licèt secretarius dicti Cardinalis Boncompagni illum adjuraret, ac securum redderet, Cardinalem summo teneri desiderio. Intravit conclave, & prodiit ille prudens & sanctus pontifex, quem mundus novit.

Leo XI.

Paulò ante mortem Antecessorio prædixit assumptionem ad papatum Leonis XI. hoc modo. dixit Domino Orlandino cognato dicti papæ, qui erat tunc ejus secretarius. Dic nostro Domino Cardinali de Medicis esse opinionem cujusdam Patris Societatis, eum papam futurum. Erat conceptus de eo, quem habebant & Cardinalis, & Orlandinus, ità magnus, ut omninò vellent eum adire Cardinalis domum, & cum eo sermones cæderet, cùm in summa existimatione ejus prædictiones haberent, nunquam tamen ille consentire voluit, ut se suâ in modestiâ & summissionis gradu teneret. Cardinalis factus est papa, & statim dedit signa amoris erga societatem; cui vivæ vocis oraculo se promiserat, & factus esset alter Gregorius, si ipsius non tam abbreviati dies fuissent. Cuidam suo magno amico aulæ præfecto Cardinalis Aldobrandini, qui postea fuit Clemens Octavus, etiam prædixit pontificatum sui patroni, dedit ipsi scripta utilissima à Cardinale summo cum gustu, & approbatione lecta, dedit ipsi etiam quasdam meditationes supra Missam, ex quibus ita profecit, ut etiam ad papatum assumptus quotidie variis in templis per Romam celebraverit cum devotione & exemplo singulari; sed hoc totum per aulæ præfectum & quendam Episcopum amicum suum, qui nunquam ab eo impetrare potuere, ut loqueretur Cardinali, metu, ne quid detrimenti sua pateretur modestia, si negotiis se grandium immisceret & electionibus, quas aliis annuntiabat. Hujus magni pontificis mortem ipsi Deus aliquanto tempore nuntiavit antè quàm

Cuidam suo magno amico prædixit pontificatum sui patroni.

Timuit suæ modestiæ.

succe-

succederet, in orationibus, quas prope continuas faciebat pro ipso, sæpè sensit se impelli, ut scriberet, & ad moneret papam de vicina morte; verùm timor magnus, quem habebat, de gloria & fama prophetæ, semper illi pennam de manu excussit, donec revelatio fuit re ipsa completa.

Significavit ipsi etiam Deus promotionem quorundam insignium prælatorum ad cardinalatum, multo tempore ante, quàm succederet. Jam inde à quo tempore fuerat Constantinopoli, quoties cum procuratore sereniſſimæ reip. Venetæ ex nobiliſſima Morosinorum gente à nobis supra laudato agendi fuit commoditas, habuit prænotionem tam fortem, illum futurum Cardinalem, ut, licet voluisset contradicere, non potuerit & parùm ab fuerit, quin violentia quædam interna illum cogeret in actus externos prorumpere cujusdam venerationis, & oſculi manibus figendi; adeò certus erat, ac si eum jam videret vestitum purpurâ, tanta cum animi lætitia, ut sola eum submissionis vis & modestia, ne videretur, Propheta, illum inhibuerit, à manifestanda ipsimet Morosino revelatione. Ita semet frenabat, quando improvisus modestiam impetus non prævertebat. Tunc enim excidebant ipsi prophetiæ absque suo consensu, & animadversione ita Deo permittente. Quapropter aliàs ab illo suo raptus impetu, qui ipsi postea perpetuus fuit, quando vidit illum Dominum, illi clarè prædixit & quibusdam de ejus familiâ, & sicut prædixit, ità evênit contra torrentem tot contradictionum. Et fuit Cardinalis non vulgaris, & percelebris in Ecclesiasticis historiis.

Erat Octavius Bandinus nobiliſſimus Florentinus annorum 18. noster Romæ discipulus, quando Pater Julius audivit illum in Sancto Joanne Florentinorum recitantem orationem latinam, mox illo momento incidit menti calor, adolescentem illum certo fore Cardinalem; conabatur Octavius Bandinus.

batur abstrahere mentem ab ea cogitatione rationibus, quæ ipsi in illis adjunctis videri poterant efficacissimæ in contrarium, ita tamen illi certus perseverabat animus, ac firmus, ut nequiret dubitare & ab illo tempore inposterum, semper ipsum pro tali habuit, & pluribus personis ejus promotionem revelavit, quæ post multorum annorum decursum denique est consecuta; fuitque addictissimus Patri Julio, & ipsius operâ, prout diximus, plurimùm usque est in sua diœcesi Firmanâ, & extitit Cardinalis dignissimus regendi totam Ecclesiam, insignis fautor nostri Collegii in illa antiquissima & potentissima civitate.

Reverendissimus Spinellus Archiepiscopus Neapolitanus cùm Romam venisset, incidit in morbum domi professæ nostræ, duravitque morbus aliquot septimanis. Pater Julius & propter meritum singulare illius nobilissimi, & dignissimi prælati, & propter benevolentiam teneram, quam à primo in societatem ingressu Patri Petro Antonio ejus fratri detulerat, ob raras ejus virtutes, quas in illo notaverat, fundebat identidem preces pro ejus sanitate, quas inter tam firmam concepit animo opinionem, illum purpureum legendum in senatum esse, ut non potuerit se continere, quin eam ipsi diceret: itaque vocato ad se Joanni Thomæ Pagliarino Archiepiscopi cubiculario dixit, *dic sis patrono tuo à parte mea, illum nuntium Papæ futurum apud imperatorem, atque inde creandum Cardinalem.* Prædictionem comprobavit eventus. Archiepiscopus quâ oratione quâ nuntio Patris Julij lætus, statim ab infirmitate valuit.

Reverendissimus Archiep. Spinellus.

Prædixit ipsi Cardinalatum.

Pari modo prævidit, ac prædixit, Cardinalatum nostris duobus patribus Toleto & Bellarmino, magnis sanctæ Ecclesiæ luminibus, non minus per integritatem vitę, quàm per eminentiam doctrinæ. Ac quia rerum præsentia potentius nos movet, adjungo hic revelationem a Patre Julio factam in hoc proposito antè plus sexaginta annis, quam nostris-

nostrísmet oculis videmus completam in persona Domini Innici Caraccioli Archiepiscopi Neapolitani & Cardinalis, qui eam mihi sæpius narravit, & fidem facit authenticam, quam penes me teneo, sequentibus verbis. Cardinalis Caraccio-lus.

Ego infra scriptus facio plenam fidem pro veritate, quo pacto in domo bon. mem. Domini ducis de Airola Patris mei, fuerit avus mei fratris, & meus, qui fuerat in domo nostra multò ante, quàm meus Pater uxorem duxerit. Iste avus igitur senex in domo mihi dixit sæpius, quomodo bon. mem. Domina Ducissa de Airola mea avia, mater mei Patris voluit dare uxorem meo Patri Dominam Isabellam filiam Domini Innigi de Guevarra Ducis de Bovino sinisalci regni, qui postea fuit religiosus societatis Jesu, spe plenâ, dictam Dominam ætate florentem annorum 17. bonæ complexionis, fœcundis majoribus prognatam facilè domui daturam successionem, fuit igitur concluſus iste parentatus, & postquam mea mater fuit in domo sponsa, fuit notata ab avia mea, mea mater nec dum habuisse flores menstruos. Concepit ex eo mea Avia maximam afflictionem, quod meus Pater esset unicus. Consultum visum iri Neapoli Airolam experiundi causa, utrum exercitium corporis & itineris prodesset; ubi admonitus Pater Innicus de Guevarra, filiam sponsam valde affligi propter mœrorem, in quo videbat socrum, cùm Patrem Julium Mancinellum Societatis Jesu Sacerdotem, magnum Dei servum pro amico singulari coleret, ipsum effictim rogavit, ut se Airolam conferret, filiam aliquantum consolaturus. Contulit se eò bonus Pater Julius, & post aliquot dies sub vesperum dixit ad Ducem, bon. mem. Patrem meum. Domine dux vellem, ut tua Excellentia meo cras inserviret sacrificio Missæ, respondit hic; Eja! valdè libenter, & ita fuit: absoluto sacrificio & actis de more gratiis, Pater Julius vocavit Dominum Ducem patrem meum, ac dixit: Domine Dux esto bono animo, Deus namque concedet tibi sobolem, feminas & mares, unus eorum erit Cardinalis. *Inde discedens Airolâ dixit meo Patri,* Testimonium Eminentissimi Cardinalis.

ut curaret sibi fieri quadrum (sive picturam,) pro ut ipsi placeret, & bon. mem. Pater meus præcepit illi personæ, quæ in proprio curru eum Airolâ comitari debebat Neapolim, ut curaret illi fieri quadrum, prout vellet; ac cùm venissent Neapolim, dictus Pater Iulius dictavit & factum est quadrum: Et pictura hæc asservabatur domi nostræ, & anno 1659. cum essem domi, petij illam à Domino Duce meo nepote, ut mihi donaret, & nunc illam penes me habeo. Est autem dictum quadrum effigies ipsius Patris Julij Mancinelli in Sacerdotem celebrantem vestiti, & in dicto quadro palmus est fimbriæ, ubi credo variæ sunt depictæ revelationes, & inter alias Galerus Cardinalitius, prout illic apparet. Et quia sua sanctitas Domini nostri papæ Alexandri VII. pro sua clementia 7. Martij anno 1667. me creavit Cardinalem & Archiepiscopum Neapolitanum, cum videam ita clarè impletam fuisse prædictionem, visum est mihi pro gloria Dei, & honore servi sui; hanc præsentem contestationem faciendam, dictandam & propriâ manu subscribendam, & meo sigillo corroborandam hoc die 23. Maij anno 1667.

Ego Cardinalis Caracciolus.

Assumptio quorundam Episcoporum revelata.

Etiam assumptio quorundam Episcoporum fuit Patri Julio revelata, & ab ipso prædicta per viam visionis. Præsensit ille Episcopatum Domini Sorbolongi, qui fuit Episcopus Eugubii persona magni spiritûs & amicissimus Patri Julio, vidit itaque illum expressè in choro Episcoporum, vestitum sicut ipsos, candidè, absque mitra, cum amictu, tuniculâ in similitudinem cælestem, gravem & jucundum, & intellexit eum fore Episcopum, ipsúmque de eo admonuit, id quod post prædictionem contigit anno sequenti. Dominus Petrus Cartolarus distinebatur officiis sæcularibus magna cum prudentia, doctrina, & integritate vitæ, cùm Pater Julius intrepidè & magnâ cum libertate, cum qua differitur de rebus, quæ videntur, ei dixit à semet, & etiam ab aliis curavit ipsi dici, ipsum certò futurum

Episco-

Episcopum; non habuit de eo visionem, sua tamen solita animi certitudo per viam discursus omnem ei dubitationem exemit. Fuit Episcopus montis Feltri in Ducatu Vrbinate. Eodem modo, cùm Pater Julius esset Aquilæ & Mozza sæpius à nobis nominatus Romæ in diversis congregationum secretariis occupatissimus, præsensit ejus Episcopatum Aversanum; in quo postea tantopere excelluit per exemplas & sanctissimam institutionem à sancto Carolo Borromæo, cujus multis annis vicarium egit, acceptam & haustam.

De Reverendissimo Mozza.

CAPUT XIII.

Revelationes & prophetiæ de principibus & principatibus sæcularibus.

POstquam Imperator Rudolphus operatus est multa in bonum fidei Catholicæ, extirpavit hæreses, hæreticos privavit officiis, & privilegiis, auxit supra modum Catholicos, qui antea pauci erant, surrexerunt in ipsum tumultus & persecutiones. Et hæc omnia prævidit & prædixit Pater Julius cum comitiis, quæ ad remedia tantis malis destinabat sua Majestas. prævidit etiam & prædixit ejus successorem in imperio; præterea nullum paulò celebrius factum successit in bello Vngarico, quod Deus ipsi non priùs revelasset, tale fuit jactura & postea recuperatio Giavarini prius à Patre Julio perscripta, quàm contingeret.

Prædixit Rudolphi Successorem.

Prædixit etiam vicinam mortem Amuratis Imperatoris Turcarum ab ipso cogniti Constantinopoli, prædixit Electionem filii ejus in Imperatorem, & quod futurus esset amicus Christianorum, & habuit de electione hujus ad imperium ita claram revelationem, ut Neapoli in spiritu audiverit strepitum tuborum æneorum, qui in signum læ-

Amuratis filius amicus Christianorum.

titiæ & gratulationis explodebantur Constantinopoli, ita, ut ille rumor ipsi terminaverit visionem, omnia & singula evenerunt, pro ut ipse ptædixerat,& comparatione temporis factâ compertum, solemnitates Constantinopoli factas, & festivos applausus cum visionis hora concordâsse. Et novus Imperator Turca fuit humanissimus erga Christianos,& mancipium quoddam redemptum narravit ipsi Patri Julio, se loquentem cum filio, antè quàm moreretur, Amurathes,rogasse illum,quando ascendisset ad solium,ut dignaretur meminisse fidelitatis suæ, & aliorum Christianorum mancipiorum,ad quod ipsum respondisse,omnino id certò se facturum, quod illos expertus fuisset meliores, qualicunque aliâ sectâ; orarent proinde, ut ipse fieret imperator,prout postea fuit,& sanè stetit promissis erga Christianos.

Benignum Sultani responsum.

Simili modo item obtinuit revelationem claram de victoria contra Turcas obtentâ à colligatis copiis tempore Pij V. Auctore Joanne de Austria, illo quasi momento, quo ea obtinebatur. Dicebat ille Missam Florentiæ, quando per magnam cæli aperturam vidit multitudinem angelorum,& sanctorum,qui in cælo celebrabant solemnissimã festiviratem, cum lætitia & plausu planè singulari; Et cupido sciendi, quorsum ea pertineret, dictum est, id fieri propter navalem victoriam, & fuit talis spiritûs impetus in eo inexspectato gaudio, ut parùm abesset, quin se verteret, & præsenti populo illam lætitiam annuntiaret, verùm timida & cauta sua eum modestia continuit,missâ completâ aperuit id quibusdam suis confidentibus, qui missæ intererant,& paucis pòst diebus allatum est Evangelium in civitatem,in qua nihil dum sciebatur.

Intellexit victoriam ad Naupactum.

Habuit etiam Pater Julius mysterioſam revelationem de tempore, quanto durare deberet Imperium Ottomanicum; verùm aut illi revelatum fuit in confuso, vel ipse id nobis

Quanto tempore durabit Imp. Ottomanicum.

nobis non satis clarè reliquit. Et quandoquidem sumus Constantinopoli, dicam hic revelationes & prophetias ejus circa illam missionem : Illam tractavit Pater Claudius Aquaviva cum papa Gregorio XIII. anno 1583. ita insecreto, ut humano loquendi modo nihil posset de ea rescìri, & Pater Julius longè aberat à Roma: nihil omninus ipsi tractatio revelata fuit, & conclusio de ea tam certa, ut ipsemet scripserit Patri Claudio, se séque obtulerit, unde Pater Generalis collegit, Deum ipsum destinâsse in talem expeditionem, ac factum decretum de eo mandando. Verùm prius quàm ipsi quicquam diceretur, cùm Pater Julius quodam die cum alio Patre esset in horto Romæ in domo professa, quò interea se contulerat, illi patri dixit : *Ego ita sum certus proficiscendi Constantinopolim, quanto certus sum me hic coram astare.* Hoc totum intellexerat à Deo continuis in suis orationibus; quas, uti diximus, fundebat pro impetranda missione, de qua etiam ipsi omnes futuri successus revelati fuêre, prius quàm Româ discederet pridiano vespere, prout deinde omnia ad unguem contigere. Duobus mensibus ante quàm mitteretur Algierum ad redimendos captivos, cùm esset in quadam villa, planities opinor dicta, Collegii Neapolitani, sortitus est clarissimam revelationem, illamque pluribus personis aperuit, & cùm esset in mari eò versus, fuit ipsi ostensus bonus successus, quem habiturum esset illius iter ac intentio, viditque nostros sanctos ac beatos, qui multas preces fundebant pro ipso, & ejus sociis in gravibus eorum periculis, & omnes illos est consolatus.

Prævidit missionem Constantinopolitanam.

De missione Algierum clarissimam habuit revelationem.

Cùm adhuc Constantinopoli moraretur, & nihil sciret nec cogitaret de regno Franciæ anno 1584. habuit multas revelationes de morte Regis Henrici III. & de florenti statu, in quem reversurum esset Regnum illud nobilissimum. Vidit planitiem vastam in forma quadra, in qua germinabant

Revelationes de regno Franciæ.

Lilia aurea in staturam hominis grandia.

minabant paulatim lilia aurea, quæ in tantum exerescebant, quanta est statura hominis, & ipsi expressè dictum est, illa esse lilia regalis coronæ Franciæ, quæ intra modicum tempus se exaltatura sint in toto illo regno. Ille propterea hoc animosius orabat sanctissimam Virginem Lauretanam, ut faveret illi regno, & ad promisit Virgo se facturam. Illâ spe fretus & calore effervescens magno, quàm unquam, precabatur, & eò excrevit impetus illius Spiritus divini in hac parte, ut quodam die in domo professa nostra Neapoli, viso cuidam Patri Gallo in Franciam redituro, licet vehementissimè impelleretur ad tacendum, coactus tamen fuerit violentiæ internæ succumbere, ac dixerit: *Abi, nuntia Patribus Gallis, ut sint bono animo, quia res illius regni florebunt magis, quàm unquam; & est in hac Domo Pater, qui habuit hac de re revelationem particularem.*

Jubet PP. Gallos bono esse animo & quare?

Consideret nunc peritus rerum Arbiter, qui novit historias illorum temporum, ac videat hodie gloriam illius regni, quàm verà exstiterit prophetia Patris Julij. De regno & regibus Catholicis asserebat ille, tunc ea pace & statu floruisse, ut non admodum opus haberent suis orationibus.

Res Hispaniæ erant sic, ut non valde egerent precibus.

Dicam duntaxat teducem ex Hispania Neapolim Ducem de Monte Leone destinatum à suo rege Catholico ad conducendam filiam in Franciam, siquidem cum rege Christianissimo esset concluſum matrimonium; Pater Julius prædixit Dominæ Ducissæ conjugi, ipsam longo tempore Neapoli habituram longas & plurimas difficultates, quæ interventuræ essent, antequam conveniret ille parentatus, illas futuras hoc majores, quanto majus ex illo commodum & emolumentum esset consecuturus Christianismus.

Habuit certitudinem matrimonii concludendi.

Difficultates distulerunt in longum tempus sponsalia, donec quodam die 2. Septemb. anno 1614. Pater Julius vocatus à Domina Ducissa, ut preces funderet pro illa infirma, facta oratione, cùm ei in memoriam reduceret prædi-

ctionem

ctionem usque adeò veram, ipsi respondit, Ducem maritum prope diem profecturum in Hispaniam, jam per mensem solidum sensisse se in animo certitudinem sanè magnam matrimonium concludendum, & sortiturum effectum in despectum quorumcunque obstaculorum. Et sicut ipse dixit, sic evenit; die namque insequenti Ducissa jussit ipsi nuntiari, ex Hispaniis venisse Cursorem ad maritum, qui ipsum celerrimè vocaret in aulam.

Fuêre quidam proreges Neapolitani valde ipsi addicti, & illis diversis temporibus multa futura prædixit, idcircò, cùm Comitissa de Lemos Viceregina plurimum in illo confideret, antequam reverteret in Hispaniam, se contulit in templum, rogatura ipsum preces pro felici itinere, ipsam statim reliquit in corona reliquorum patrum, à sni spiritûs fervore ad Sanctissimum Sacramentum abreptus, ut oraret pro ipsa; ubi sic altos sibi subjici stimulos sensit, ut quàm primùm rediret, eamque prosperi itineris bearet evangelio, expertem omnis mali & infortunii, ut, licèt nollet loqui, & diu sibi inferret vim ad effugiendum prophetæ nomen, ac frustra esset id tacere, nihilominus oportuerit illud evulgare, quanquam peræquè suæ modestiæ & submissioni caverit, dum revelationem non Vicereginæ, sed Patri Hernando confessario illam dixit: atque ita examussim res successit, pervenit in aulam salva & incolumis, usa omni bona & prosperrima fortunâ.

Proregina ejus preces imploratæ.

Omnia evenere, prout prædixit.

Dominus Franciscus Filius supra nominatæ Vicereginæ, qui postea legatus fuit Romæ nomine sui regis, desiderabat legere uxorem sibi parem; quæ & illum desideraret maritum. Verùm ex Hispania venit Nuntius, illam extra Neapolim desponsandam, parentésque eam ab illa cogitatione conabantur abstrahere argumentis satis convincentibus. Illa quæ jam multis annis eo in proposito constans perseverâsset, rata, illam esse voluntatem Dei, nunc autem

autem à tantis & tam potentibus impulsa ventis contrariis cœperat propemodum assentiri, prius tamen, quàm quid decerneret, per literàs petiit auxilium & Consilium Patris Julij. Suggessit illud ipsum, quod ea peroptabat; perseveraret in primo proposito tenerétque consilium à Deo ipsi primum suggestum, quod si sequeretur, è re animę & corporis futurum, plus quàm ipsa posset sperare. Cum has literas exararet, manifestè cognovit se scribere Prophetiam, & talis fuit. Quia & matrimonium secutum est contra omne humanum consilium; & Dominus Franciscus factus est primus aulæ minister, adhibitus ad splendidissima quæque Monarchiæ officia & munia. Rediit in gratiam Parentum impetratam & prædictam à Patre Julio, & per ejusdem preces obtinuit filios mares, & primum quidem sequentem in modum. Orabant illum identidem & Dominus Franciscus & Vxor, ut id impetratum sibi vellet; tandem quodam die coram Principe de Rocca; S. ...scitatur ex eis patet, cur tantopere expeterent prolem? & quia illi respondérunt, ad honorem Dei, sensu planè Christiano; ille ipsis dixit: Si ita est, ite, habebitis certò. Tunc princeps ipsi replicans, *Cedo sis autem inquit, pater, nos gratiæ obtinendæ præfigimus terminum. Sum contentus*, inquiebat, *ille*; *volo duos præcisè annos, quantum opus est orationis ad impetrandum filium masculum vobis. nimium* respondit *Princeps*; *nos assignamus duos menses, non amplius.* Tum Pater Julius aliquantum se reflexit, & postea dixit: *Fiat*, atque ita discessit, relictis iis omnibus contentis. Nec dum terminus duorum mensium effluxerat, cùm Domina fuit gravida & suo tempore peperit filium matem.

Petiit consilium & auxilium P. Julij.

Cognovit se scribere prophetiã.

Nos gratiæ obtinendæ præfigimus terminum.

Dixit tandem, Fiat, duos menses.

Hic ipse Dominus Franciscus designabatur legatus à Rege Catholico ad quemdam magnum principem tunc, cùm gravissimæ dissensiones cum alio potente intercederent, petiit per literas, interventu supra nominati Principis de

de Rocca orationes & instructiones à Patre Julio, fecit eas magno cum studio & affectu, deinde dixit Principi: Scribe legato me illum jubere peramicè salvere, ac bono animo esse, ipsius negotia fortitura glorioſissimum exitum: atque ita fuit; etsi tunc temporis res forent perquam turbatæ, & desperata concordia.

Tunc temporis nullæ ad id idoneæ erant dispositiones.

Dominæ Vicereginæ cognatæ Domini Franciſci, Filiæ Ducis de Lerma venit nuntius ex Hiſpaniis, ſuum genitorem incidiſſe in graviſſimam infirmitatem, nec procul opinione omnium abeſſe à morte, illa ad eximendam ſe ab inuſitata afflictione, & implorandum maximum, quod poſſet, auxilium, quamvis ex longinquo ſtatim exaravit literas ad Patrem Julium, rogans illum orationes; oravit ille Deum per aliquot dies; ſecundum quos reſpondit Vicereginæ; haberet bonum animum, Dominum Ducem namque ſuum genitorem convaliturum; Sicut revera convaluit. Non habuit de eo viſionem vel revelationem per viam Phantaſmatum, ſed animi certitudinem cum vehementiſſimo Spiritûs impulſu, quem illi Deus frequentiùs indulgebat; & hoc eſt illius loqui ad cor, ſicut obſervat S. Gregorius, longè certius aliis revelationibus, verùm difficilius diſtinctu ab impulſu noſtri deſiderii & præſumptione.

Convaluit, ut prædixit.

Hoc eſt illius loqui ad Cor.

Eodem Spiritus impetu & certitudine animi tribus annis ante, quàm ſuccederent, prævidit ille ſupra indicatas diſſenſiones inter duos magnos Principes, ita quidem, ut ſtimulatus ad adeundam quamdam eorum Dominiorum civitatem, illic preces fuſurus, & celebraturus miſſas eo fine ut obtineret ſartam tectam pacem, calidas exararit literas ad Patrem generalem ad obtinendam illam miſſionem, reſpondit ipſi loco Patris generalis Pater Fabius de Fabiis Italiæ aſſiſtens; repræſentaret Patri Noſtro cauſas, quæ illum inducerent ad relinquendum Neapolim, & aliò concedendum: Et quia viſum eſt id ſe non poſſe facere abſque

Destitit à petitione.

notâ temerarii, in præsumendo, quasi prævideret tantò antè res futuras, destitit à petitione, & tacuit. Evenientibus inde rebus ante visis fuit ferventissimus & constantissimus in fundendis precibus pro quiete & pace, & hoc eo ampliùs, quòd semel orandi fessus vidit clarissimè coram oculis suis beatissimam Virginem, quæ ipsi actu majestate pleno & divinum quid spirante gratiam petitam annuebat.

Prævidit legatos Japonenses.

Cùm spoleti esset, potitus est revelatione de adventu Romam Legatorum Japonensium, & orans in Spiritu conspicuè illos vidit in foro Capitolii in præsentia totius populi Romani tunc prostrati, & humiles Deo agentis gratias; & ille ipso tempore vidit in cælo fieri festivitates propter illam missionem. Cùm Neapoli nihil sciretur de morbo, nec quisquam illum rogaret, ut precaretur pro sereniſſimo magno Duce Hetruriæ Ferdinando Primo, præsensit duobus mensibus ante mortem se stimulari, ut in missa oraret pro ipso quotidie, signo multùm probabili, animam illam magnam illius Principis, veri Principis Ideam ire debere in locum salutis & emolumenta terræ conjungere cæli lucris. Similiter habuit pulcherrimam, & clarissimam revelationem, antequam alii quicquam de ea intelligerent, de insigni victoria obtenta per classem & copias Tuscas in expugnatione muniti loci in Morea, prout ipse notavit, 11. Septemb. anno 1608. Quam ipse revelationem vocat dignam gloria Dei, verùm ego non potui illam aliter reperire.

Tunc agebatur festum in cœlo.

Expugnatio muniti loci in Morea.

De Ducibus Vrbinatibus.

De Ducibus Vrbinatibus habuit etiam multas & pulchras revelationes. Domina Principissa de Bisignano sereniſſimi Ducis Franciſci Soror longo tempore, pari cum efficacia illum rogavit, ut funderet ad Deum preces pro impetranda prole, tametsi esset major quinquagenariâ, multos eorum vixerat cum uxore improlis absque omni spe fæcunditatis. Commendabat illum in omnibus suis oratio-

nibus,

nibus, & in Missa, & placuit Deo illi dare magnam spem obtinenda gratia per sequentes tres revelationes. Prima fuit in visione, quam habuit de duce S. Marci; defuncti Filii ejusdem Principissæ in paradiso. Vidit illi inter brachia prolem summo cum Ducis Vrbinatis gaudio, de quâ ipsi palam dictum est, debere esse Filium. Hoc fuit anno 1599. cùm Pater Julius abesset Neapoli 200. millibus. Altera fuit anno 1604. in Quadragesima, postquam multas missas celebrâsset in villâ Novitatûs Neap. dicta Sancto Joanne, manè cum horas canonicas legeret, aperto ipsi cœlo vidit nescio quem Principem Vrbinatem, qui de principatu terreno sibi faceret scalas ascendendi ad cœlestem, & reddidit ipsum prolis certum, quam suis orationibus obtinebat in successionem suæ domûs. Et hæc visio fuit ità viva & menti impressa, ut eum nullo modo relinqueret attentum officio, quod recitabat, & ipsi duravit multis diebus. Tertia deniq; fuit 18. Decemb. anno 1604. Vidit distinctè, quem nasci oporteret ex illo Duce, & vidit omnia lineamenta, audivítque vocem, quæ ipsi expressè hoc ipsum diceret: Vidit inde alios descendentes ex eadem serenissima domo, verùm ait, non sibi visos ex eadem stirpe: & forsan prophetia nec ab ipsomet intellecta respiciebat preciosa germina ex illo unico nobilissimo surculo de Rovere, qui ex tot hodiéque supersest transplantatus à Metavro in ripam Arni inter lilia & poma aurea Medicæa pro consolatione & fructu non solius Tusciæ, sed Europæ totius. Scripsit Pater Julius has prædictas visiones, quæ postea opere completæ fuerunt intra annum non integrum, in quodam filio mare, qui in sacro fonte nomen tulit Fridericus Baldus.

Sequentes tres revelationes faciunt spem prolis. Prima.

Altera.

Tertia.

Prophetia forsan nec ab ipsomet intellecta propheta.

Etiam Dominæ Isabellæ de Rovere prædixit sanitatem ex funesto malo, quod ipsam per 33. annos divexavit. Res successit hoc modo. Cùm ipse degeret Neapoli anno 1602. & valetudinis causa non posset se occupare so-

Dominæ Isabellæ de Rovere prædixit sanitatem.

litis suis ministeriis, totum tempus dabat orationi. Quodam die recitans Rosarium expendebat dignitatem Beatissimæ Virginis & magnam aliarum mulierum vilitatem, tunc visa ipsi Diva Virgo respondit, & dixit, Dominam Isabellam non esse ita vilem, à qua non multas discere virtutes ipse posset, & nominatim singularem quandam maternam erga miserabiles pietatem, nec non & heroicam liberalitatem; propter quod porrò sedulam teneret illius memoriam in orationibus. Fecit id in posterum summa cum diligentia, & illam magis ex animo miseratus suasit ipsi, mutaret medicum, promittens, convalituram contra communem opinionem omnium. Obediit illa, ac priusquam uteretur novis medicinis, voluit illas pia obiri prece à Patre Julio, qui 18. Junij anno 1611. ferventius pro illa oravit, & raptus in spiritu propria eam manu sanavit, auferendo ipsi ex naso mucum, vel crustam internam, in qua malum consistebat. Atque ita fuit in veritate momento sanata. Illum pusionem masculũ, quem supra indicavimus fuisse obtentum duorum annorum precatu Domino principi de Rocca à Patre Julio, ipsi promisit quasi eodem tempore prius, quàm illum petens revelationem habuit manifestam, tanquam historiam, vidit oculis corporeis, vidit cameram, in qua debebat nasci, vidit vitam, quam debebat agere, usque ad 17. annum, & quod tunc tractabatur, de uxore ducenda. Nec plus ultra vidit. Et hæc omnia dixit Dominæ Victoriæ Filomarinæ sorori dicti principis, quodam die, cùm eam vidit in templo nostro, ut illum hoc evangelio exhilararet, & postea illi ipsi dixit cohortans illum, ut laudaret Deum de hoc beneficio, quod ipsi præparabat, & ut se disponeret ad continuandam Sacramentorum frequentiam. Omnia ex ordine evenerunt, sicut ille prædixerat. Partus contigit in ipso conclavi, quod prævi-derat, & filius vocatus fuit Franciscus. Et quia Pater Julius

dixerat

Dignitas Beatissimæ Virginis, aliarum vilitas.

Suasit, mutaret medicum.

Momento sanata.

Habuit revelationem tanquam historiam.

Prophetiæ P. Julij impellebant ad bonum.

dixerat, se illum vidisse usque ad ætatem annorum 17. apparebat Patrem Julium debere illum parentibus, & Deum Patri Julio usque ad id ætatis salvum præstare; pro ut re ipsa fecit, sæpius illum per suas orationes sanando, & semper affirmatè ejus sanitatem prædicendo. Continuata prophetia.

Quo loco, ne disjungam, quod huc pertinet, oportet me narrare rem, quæ non spectat ad prophetiam, verùm sæpè propria magnorum prophetarum, causa fuit, ut Pater Julius esset plus, quàm propheta. Hic ipse filius gravissimo conflictatus cum morbo devenerat ad mortis viciniam. Ita sanè videbatur omnibus, qui aderant, & ipsi præsenti medico; qui eum asserebat mortuum. Fuit extremus in domo dolor, & desperatio, ac, seu ut sese solarentur, seu ex spe certa, quam habebant in prædictione Patris Julij, miserunt, qui eum arcesseret: Mox ille adfuit ad lectum, & viso casu, dedit se ad orationem manibus supra parvulum junctis. Ità per dimidium quadrantis stabat immobilis; & ecce! defunctus excitabatur, revenit, sicut qui resuscitatur. Stupor & admiratio fuit maxima, par miraculo, per quod, utpote tam evidens illuminatus quidam Pater Patris Julij socius, qui semper adhuc ejus Spiritum parvi fecerat, fuit primus inter eos, qui ei venerabundus oscularetur vestem, quod & reliqui mox præsentes ejus exemplum imitati fecerunt. P. Julius plus quàm propheta. Rebus desperatis vocatur P. Julius. Alius Pater, qui Patris Julij spiritum parvi hactenus fecerat, primus encæniastes.

Etiam neptis supra dicti principis de Rocca, Domina Hippolyta Pignatella filia ante nominatæ Dominæ Victoriæ Filomarinæ experta fuit ejus orationes & prophetias recuperandæ corporis sanitati salutares; per has liberata fuit à mortifera oppilatione, cùm moraretur ad Roccam, ita ut perfectè valeret, verùm postea Neapolim reversa recidit in illud ipsum malum illo cum inctemento, ut à medicis deposita domestici & familiares jam inciperent eam plangere, & invicem sibi çondolere de jacturâ. Ad hoc jam

Jam complorabatur.

accesserant nonnulli propinqui & cognati. Composuit se ad orandum pro ea Pater Julius, & habuit à Deo certitudinem illam solitam, eam valituram. Inde erigens se à genuflexione, & impetu Spiritûs actus dixit illi, præsentibus omnibus, quotquot magno numero concurrerant, confide, non morieris ex hoc morbo; imò si omnes medici, qui sunt Neapoli, dicerent, moriendum esse, ne credas illis. Sicut ipse dixit, sic fuit, illa perfectam consecuta fuit sanitatem.

Perfectam consequitur sanitatem.

Plus satis adverto mihi inter manus crescere argumentum, & forsan videbor lectori nimis in eo diffundi; & tamen salva gloria, quæ debetur Deo in servo suo, & obsequiis eorum, qui gaudebunt legentes Dei favores suis majoribus collatos per merita Patris Julij, quantum per veritatem & brevitatem fieri potest, multa omitto, quæ mihi visa sunt non tantopere necessaria ad integritatem historiæ. Prætermitto item aliquam ejus prophetiam de magno principatu, nondum impletam, tametsi bona se dent principia illam favente Deo impletum iri.

CAPVT XIV

Revelationes & prophetiæ spectantes religiosos, societatem maximè nostram.

VI. Decemb. anno 1605. revelatum ipsi fuit in societate nostra convocandam congregationem generalem, quæ post tres annos celebrata fuit 6. Feb. anno 1608. Nec hanc solam inter nos, sed & prædixit capitulum generale Patrum Conventualium & personam generalis in eo eligendi, qui postea fuit Episcopus Molfetanus.

Cong gen.

Ipsi quoque revelata fuit mors patris nostri generalis Everardi Mercurialis, nec non & ejus in generalatu successor Pater Claudius Aquaviva in sequentem modum. Pro suo

Pater gen. Conventualium.

ſuo magno zelo, quo flagrabat boni publici ſuæ religionis plurimum ſolicitus vivebat, quod audierat à multis, ætatem paulatim ingraveſcentem reddere Patrem Everardum minùs habilem ad portandum validè totius religionis onus. Propter hoc litabat ille continuis orationibus ad Deum, ut vel ipſi vires concederet, vel aliter provideret. Vna igitur noctium poſtquam plurimum oraverat, in magnam abrepto extaſin ipſi oſtenſus fuit frater Bernardinus Sacriſtanus Neapoli tunc æger. Habebat iſtic manu unam illarum erucularum, quæ ſolent collocari ſupra mortuos, & illam portabat in cameram Patris Everardi, intellexit ex hoc, clarè mortem vicinam hujus, & illius: atque ita fuit. Sacriſtanus namque obiit die hanc viſionem ſequente, pater autem generalis paulò pòſt, cùm Pater Julius eſſet in Miſſione Montorij terra in Sabinis, quò ipſi allatum eſt de morte.

Mors Patris Everardi. Succeſſor P. Claudius Aquav.

Similili modo in non diſſimili extaſi vidit noſtram ſocietatem totam congregatam in vaſta planitie. In medio univerſorum ſupra pulpitum eminens optimè cognovit Patrem Claudium Aquavivam, qui tanquam ſuperior concionabundus exhortabatur multitudinem. Multi eorum non erant contenti, & declarabant illud vultu mœſto, & repugnante. Alij propiores cathedræ adſtabant alacres & læti. Iſtis ſpargebatur in vultus lux quædam de cœlo affulgens, & reddebat illos totos luminoſos. Reliqui erant in obſcuro, niſi quantum illa lux per reflexionem parumper illos illuminabat. Pater Julius ſuper hoc afflictiſſimus, ſe ſe incendebat, quantum poterat, ad orandum pro communi approbatione, donec ille paulatim ſplendor ſe propagavit in omnes, qui omnes propterea læti, & quieti conjunxerunt ſe in unionem charitatis. Hæc omnia ſcripſit antequam evenirent, Patri tamen Claudio nunquam dicere quicquam voluit, ex uſitato ſuo ſubmiſſionis reſpectu.

Societas Congregata.

Motus in electione P. Claudij Aquavivæ.

Conjunxerunt ſe omnes in unione caritatis.

Eodem

Eodem mentis habitu processit, cùm 28. Novembr. anno 1613. nocte habuit revelationem, Patrem Mutium Vitelleschum eidem Claudio successurum in generalatu; nihil unquam ipsi dixit, quamvis aliis id confidenter crediderit,& scripserit: Quam revelationem,dicit Pater Jacobus Anellus in sua relatione, plures personas deposuisse cum juramento,audivisse se à Patre Julio anno prius,quàm opere compleretur. Prævidit item 21. Aprilis propinquam mortem Patris Claudij,& de pulchritudine interna animæ illius habuit perinsignem visionem. In Rocca 25. Julij in festo S. Jacobi Apostoli anno 1605. functionibus missionis occupatus vidit Patrem Claudium in Regione longinqua amæniſſimo vultu & oculis in cælum sublatis, specie longè pulcherrima, ut neminem unquam in vivis pulchriorem conspexerit, unde altissimum habuit conceptum de divina natura. Inde paularim vidit illum transferri in locum amæniorem in actu contemplantis, sub conopæo prædivite sustentato quatuor hastis à personis invisibilibus. Demum multis annis post habuit visionem, illum ipsum patrem sensim se exuere, & componere in lectulo sumptuosissimè præparato, & ad id ipsum se disponebat quidam alius Pater in eodem lecto,sed ad pedes. Per quod ipsi significabatur morbus, quo vexabatur Pater generalis, & propinqua mors non multò post secuta. Et quamvis ille hic nullam faciat mentionem, quis ille pater esset, nihilominus, cùm ille alio loco dicat,prævidisse se mortem Patris Fabij de Fabiis, cui etiam prædixerat fore Assistentem Italiæ & ipse non multis mensibus paulo pòst Patrem generalem obierit vitæ probitate & integritate per insignis, credibilissimum est, illum fuisse, & sicut labores gubernandi habuête communes, ita etiam præmia & quietem in altera vita habituros supparem.

Mutius Vitelleschus succedet Claudio.

Vidit Patris Claudij gloriam & quietem.

Denique

Denique hic minimè tacendum in argumentum maximæ existimationis & confidentiæ, quam habuit Pater Claudius Aquaviva de Patre Julio Mancinello,& de peculiari protectione Dei erga Patrem Claudium, id, quod ille huic communicavit sub rosa,& est, illum habuisse multas personas potentes multùm contrarias, & quæ multùm ejus bonum regimen perturbabant,quadam nocte recurrisse ad Deum per orationem ac percepisse vocem ipsi clarè dicentem : Noli timere quia tecum ero. Ita refert Pater Julius ipse.

P. Claudius habuit quosdam contrarios.

Generali Neapolitano tantæ virtutis & nobilitatis subjectam alium ex eadem patria pari sanguinis splendore, virtute autem & sanctimonia non paulò clariori. Hic est Pater Vincentius Caraffa frater Ducis Andriæ, de quo adhuc adolescente habuit Pater Julius pulcherrimam revelationem sequentem in modum. XIX. Septemb. anno 1604. sub noctem ante missam, in qua ipse Domino Vincentio debebat præbere sacram Synaxin, qui tunc temporis deliberabat de ingredienda Societate, cùm plurimùm oraret, clarè cognovit; (utar verbis Patris Julij) famam de ipso suo tempore spargendam; videbatur namque ex templo in Sacrarium ingressus, & inde in alium locum abjectum,ubi æra pulsabantur campana; illic cœpit inflare tubam magnam ita sonorè, ut supra tectum turris & campanilis audiretur in foro, ubi frequens erat congregatus populus. Evaporabat ex tuba multa, sed clara nubes,instar camini fumantis, ubi spectabantur variæ sortes colorum & flammarum de foco pertingentium usque ad cælum, inde redibant deorsum supra illos populos magna cum ipsorum admiratione & stupore. Et hoc videbatur se extendere in regiones longinquas extra Italiam. Altero manè communionem præbuit adolescenti & habuit in missa multas extases summo cum gustu suo & omnium domesticorum

Sequitur P. Vincentius Caraffa.

Visio mirabilis de sanctitate P. Vincentij.

propter res ipsis enarratas. Ita loquitur tanquam de tertia persona Pater Julius, qui & tunc rogatu Domini Vincentij composuit pientissimam orationem. Quæ res quantum postea veræ sibi constiterint, optimè intelliget, quisquis Patrem Vincentium cognovit servum Dei adeò grandem; aut librum legit pretiosissimæ vitæ ejus.

Prædixit insuper Domino Antonio Losfredo Baroni de Turisano Patris Claudij Aquavivæ Nepoti ingressum in societatem certum, etsi ipsi superstites essent duæ sorores nubiles & ipse studiis operam non dedisset, & litibus inhæreret non levis momenti, animavit ipsum tamen ad perseverandum, securum illum reddens, quod omnia denique pertrumperet, & tandem suscipiendum; sicut examussim omnia succedere, quandoquidem ille Dominus summo cum exemplo ad omnia se superioribus nostris obtulit, absque ulla exceptione ad quoslibet gradus, etiam ad infimum, qui sit in societate.

Superioribus se plenè ad exemplum aliorum subjecit,

Quemadmodum ingressum in societatem quibusdam, sic & quorundam egressum prædixit ex hac mortali vitâ. Hinc discedenti Neapoli Cosentiam in patriam suam fratri Vincentio Bellmonti dixit Pater Julius, illum illic paulo pòst moriturum; & sanè divinus fuit, etenim Calendis Septembribus ejusdem anni lecta sunt suffragia de ipsius obitu allata. Vidit etiam in spiritu mortem animæ ex gravi peccato, in quod casurus erat Sacerdos ordinis cujusdam regularis; Vidit occasionem peculiarem ejusdem lapsûs; & Deum ipsum permissurum incidere in morbum corporis, ut mederetur animæ, & in hoc magnam extitisse pugnam animi, utrum eum admonere posset absq; eo, quin videretur Propheta. Vicit denique pars hæc, & prævaluit, prout in illo religioso pervaluit sensus, oppressâ ratione; & plus multo quàm oportuisset, vera facta est ex omni parte prophetia. Melior fuit successus, quem Domino

Etiam egressum quibusdam prædixit.

Pugna P. Julij secum.

Vtinam non factum quod prophetatum malum.

mino Carmignano prædixit de morbo uxoris, hoc est, illam morituram, & illum in Sacerdotem consecratum usque ad mortem perseveraturum in genere vitæ multùm sanctæ; prout ante vidit, sic evenit. de missionibus à Patre Julio prævisis & prænuntiatis diximus supra, cùm diceremus de Imperatore Constantinopolitano.

Non est hic silentio prætereundum, quo pacto nostro Patri Francisco Bozzomo profectionem prædixerit ad Indias, licèt gravissima illi impedimenta fuerint superanda, donec eam impetravit. Inde vidit ejus illuc appulsum prosperum, gaudium sociorum in eo excipiendo, inusitatæ Charitatis significationes, & complexus; non secus acsi illic fuisset præsens. Quæ omnia ipsi prædicta antequam pedem Italia efferret, credi vix potest, quanto ipsi solatio in gravissimis navigationis periculis, non dico ipsimet, sed & ipsis nautis exstiterint, id quod ipsemet ex Indiis plenè impletum perscripsit Pater Bozzomo.

Ac si in India fuisset præsens P. Julius.

Ipsissimam talem visionem habuit de duabus Missionibus in Moscoviam, de earum exitu nunc infelice, nunc fortunato, quem deberent sortiri; & de patribus, qui illic applicandi erant à Patre Claudio generali, sicut multò ante quàm evenirent, reliquit ipse scriptum in Diariis suis, & ego hic ex professo prætermitto. Nec solum de personis, sed & de domibus nostris religiosis, déque earum fundationibus Deus illi revelavit distinctè principia & progressus. Tempore Papæ Pauli IV. Collegium Romanum nec dum habebat certam habitationem, sed conductitiam incolebat domum. Ejus reditus stabiles & prima fundatio erant sexcenta scuta annua ex Camera Pontificia illi assignata, reliquum ad sustentandos 200. nostrorum, (jam enim jam tunc (dicit Pater Julius) tot alebantur) veniebat ex eleëmosynis, quâ Româ, quâ speciatim ex Hispania. Isto tempore Domina Marchionissa Victoria de Valle, papæ neptis ex

De Missionibus in Moscoviam.

parte ſororis de domo Tolfa in conjugem data Domino Camillo Vrſino, relicta vidua tanquam mulier, qualis ea erat, dedita ſpiritui, prout eam Pater Julius vocat, cogitabat ædificare ex ſuo à fundamentis Monaſterium, in quod incluſa præpararet ſe ad mortem; in hunc finem jam emerat ea quasdam ædes, cùm Dominus Patruus Paulus IV venit ad mortem, per quam comperto ſua conſilia disjici, cùm abſque ejus auxilio videret ſe propoſitum tenere non poſſe, decrevit ſua dare ad ædificandum Collegium Romanum, prout factum; & eſt digna ejus rei memoria in illo ipſo Collegio propè Sacrarium templi, ubi in nobili marmore inciſi ex auro Characteres aptiſſimè & eximiam ejus liberalitatem, & amorem noſtrum erga tam memorabilem benefactricem exprimunt. Nunc, ut veniamus ad propoſitum, Pater Julius prævidit optimè hanccè novam domum tanquam illam cerneret oculis corporis. Atque aliquot antè diebus cùm ipſe nihil prorſus ſciret, vidit noſtrorum hominum longam proceſſionem, qui bini vel terni per ordinem incedebant, ex domo Cardinalis Salviati, in qua tunc conductâ habitaverant, deferentium ad novum Collegium ſupellectilia & utenſilia, alij libros, alij ſcamna & lectos, alij alias reculas ad domeſticum uſum ſpectantes deferebant. nimirum ipſiſſimo illo modo, ſicut ipſe prævideraat, totum negotium ſucceſſit, cum ſummo totius Romæ exemplo & approbatione, dum videre fuit homines bono genere natos, meritis & talentis inclytos occupare publicè perſonas ſuas in exercitio tam humili & abjecto. Poſtea ſedente in Sede Sancti Petri Gregorio XIII. æternæ memoriæ, uno anno prius, quàm ſua ſanctitas inſtigante illum Cardinali Datario natione Gallo manum magnificæ fabricæ novi collegij admoveret, tunc, cùm Patri Julio iſta cogitatio planè clam eſſet, perſona quępiam, cujus formam non poterat ſibi amplius menti imprimere, illum duxit ad viden-

Decrevit Collegium Romanum exædificare.

Vidit noſtrorum hominum longam proceſſionem.

videndam pulchram illam fabricam collegij valde magni, & splendidi, cum aulis regalibus, ambulacris, conclavibus, videbat nihilominus opus non esse perfectum; deërat nimirum (utar ejus verbis) quasi quarta pars, revelavit ipsi illa persona (cum ipse id scire concupisceret) illud ipsum esse futurum Collegium Romanum. Inde ulterius illum ducens ostendit illi nobile ædificium domûs professæ educendæ à Regia munificentia Cardinalis Farnesij; & erat illud, dicebat ipse, valde nobile, & probè ordinatum, sed & huic defiebat una certa pars. Atque hisce visionibus ille plurimùm recreabatur adeò, ut ad probè eas menti imprimendas carbonem in manus sumpserit ad designandas eas, & extendendas in muro, quo facilius eas patrum oculis ostenderet; verùm dum hoc facit, illa intelligentia, vel Angelus, qui ipsum circumduxerat, videri desiit, termino visioni imposito. Ipse autem ex eo, quòd illa opera non viderit perfecta, sibi persuasit ea se vivo non ducēda ad exitū, sed solùm post mortem, prout re ipsa demum contigit.

Ipsemet delineabat suas prophetias.

Ac, quandoquidem loquimur de collegit Romano, non involvam silentio, Patrem Julium duas iteratas habuisse visiones de quibusdam sanctorum magno numero sepulchris, nec intellexisse mysterium; postea autem 16. Martij anno 1613. accepisse explicationem cum certitudine, illud esse Cæmiterium S. Priscillæ recens inventum in Pariola, ejusdem Collegij Vinea prope Romam. Nec solum ædificia nostrorum collegiorum ac Domorum prævidit, ac prædixit, sed & ruinas aliquarum partium ipsorum. Cum post sacrificium Missæ rediret ad cubiculum, ipsi ter vel quater revelatum fuit, hanc talem muri partem in ambulacro quodam domûs professæ Neapoli collapsuram, de eo admonuit quendam fratrem coadjutorem professione Murarium, Joannem Mariam dictum, sed, quia vel

De Cæmiterio Priscillæ.

Ruina secessit.

dicenti non credidit, vel de nullo remedio prospexit, ruina, prout prædicta fuit, successit.

Est etiam memoriâ digniſſima illa Patris Julij prædictio de quodam nostro Patre, non solùm, antequam natus esset, sed & antequam ejus mater de ineundo matrimonio suscepisset cogitationem. Successum habeo ex eodem patre parato, si opus sit, ad id jure jurando corroborandum. Et fuit sequens-

Prædictio de quodam nostro Patre multo antè.

Erat mater ejus, nomine Portia, filia Domini Joannis Baptistæ de Apuzzo, adhuc parvula Neapoli, cùm parentes ejus eam meditabantur collocare in Monasterio educandam, eum in finem, ut tandem sanctimonialis fieret. Pater Julius, qui admodum amicè uteretur Domino Joanne Carolo de Apuzzo nostræ domûs professæ advocato & patruo illius puellæ, ex parte patris, cùm quodam die ejus domum adiisset in negotio redemptionis captivorum, quorum Pater Julius curam habebat, intellecto agi de nepte in monasterium intrudendâ, dixit apertè, illam nupturam, & filium ex ea primum ingressurum societatem, & quamvis Dominus Patruus persisteret in proposito, illam debere esse sanctimonialem, iteravit Pater Julius eandem prædictionem. Habuit illa maritum, & cùm ventum esset ad partum, vehementer periclitata est. Nuperrimè obierat Pater Julius; & unus ejus frater Andreas de Apuzzo dictus, Patri Julio addictissimus, hodieque superstes, vir genere & pietate perinsignis in Congregatione nobilium Neapoli, paratus item, si opus est, factum deponere asserto Jure Jurando, applicavit sororis capiti pileolum quadratum servi Dei, quem illa reliquiarum loco devenerabatur, & jussit, conciperet votum, imponendi parvulo nomen Julij, voto facto statim peperit filiolum, eúmque Julium Antonium dixit: Qui deinde nec de prophetiâ, nec de voto à genitoribus facto quicquam sciens, qui & ipsi prorsus omnium

dixit apertè, illam nuptui tradendam, & filium ex ea societatem ingressurum.

Pileolus P. Julij, & nomen Julij.

obliti

obliti degebant, ingressus est suo tempore societatem, & de voluntate Patris Vincentij Campanilis Novitiorum Magistri, relicto priore nomine, Antonij nomen retinuit, quo hodieque vocatur, & factus est haudquaquam vulgaris concionator. Multis annis post ingressum, hoc est anno 1641. die quodam invisit suam matrem in domo paterna, eóque concessit cum fratre Joanne Dominico Falcone Veterano Coadjutore, qui longo tempore fuerat socius Patris Julij & supra narratam prophetiam ex ore prophetæ exceperat. Frater iste ingressus domum, & loci compositione agnitâ, cœpit recordari facti, & cùm antea nunquam sciviſſet, juvenem illum, cujus erat socius, esse filium Portiæ Dominæ, ipsi dixit: *Recordarísne o bona! Patrem Julium tibi prædixisse, quod esses habitura maritum, & filium primum, qui nasceretur, ingressurum societatem?* Tum enimvero mater, & avia omnino se jam optimè meminisse testatæ sunt, & juveni præsenti affirmarunt iteratis assertionibus, prout ipse mihi eam perscripsit Venetiis 10. Decemb. anno 1662. nec caruit successus hic singulari Dei dispositione, fuisse fratrem Falconem ejus socium, qui alioqui non amplius propter ætatis prærogativam dari consueverat pro socio exeuntium.

Est in societate concionator.

Renovat memoriã prophetiæ prægressæ.

Signa interveniẽtis providentiæ divinę.

In fine prophetiarum à me narratarum, factarum à Patre Julio possem unam in medium afferre à memet ipso visam opere completam secundùm omnes partes non solùm, quo ad modum præcisè, sed & ex ipsis causis, propter quas ille eam vulgavit ante annos 47. cum eam primum viderim opere impletam mense Aprilis anno 1662. quam ille prædixerat 10. ejusdem mensis anno 1604. in quadam epistola, quam ego penes me habeo, propria manu perscripta Neapoli Maceratam, verùm justis de causis cogor illam adhuc publico debere. Non præter misero interim observare, Patrem Julium solitum fuisse habere multas revela-

Rectiùs debebo publico.

tiones

tiones rerum fututarum, licèt tot annis antè, nihilominus contingentium illis menſibus, ac velut iiſdem diebus, quibus poſtea debebant ſuccedere. Sic ego jam nunc dicebam, illum rem quampiam menſe Aprili prænuntiaſſe, quæ poſtea menſe Aprili contigit, verum tot annis poſtea. Ita paulò ſupra dixeram, illum 24. Novemb. habuiſſe revelationem de futuro generalatu Patris Mutij Vitelleſchi, qui poſtea 16. Novemb. fuit electus duobus annis poſt. Nunc mihi reliquum eſt, ut dicam ad probandam ejus revelationum & prophetiarum veritatem, quando ipſis nulla habita fides fuit, Deum repopoſciſſe pœnas modicæ fidei ab illis, qui fidem illis abnuerant. cui argumento ſatis ſint duo vel tria exempla. Cùm ille verſaretur in Miſſione de Rocca, cujus toties mentionem fecimus, quodam die, quo abfuerat, reverſus vidit quosdam chartis luſoriis terentes temp⁹; reprehendit illos more ſuo acriter, & quia non ſecuta ſuit poſt monitionem ſuam prompta emendandi ſe, & lusûs abrumpendi celeritas, vehementiùs in reprehenſionem exarſit, vocando illos inimicos Dei, ac dilacerando chartas, talis humi abjectis. Ad quam vociferationem occurrit Vicarius Foraneus Archipresbyter, multi Sacerdotum ac civium primipili, in quorum præſentia comminatus eſt transgreſſoribus; niſi emendaſſent ſe in poſterum, illos flagellum Dei ſenſuros in illa tota terra, grandines ac tempeſtates coorituras. Verùm ſive ea obſtinata fuerit protervia ejus, qui ſe emendare debuit, nec ſe emendavit, aut oſcitantia illius, qui remedium afferre per auctoritatem potuiſſet, nec attulit, illo ipſo adhuc die ſudo & ſereno nubila contexere ſolem, magna vis grandinis ſata & vineas pulſavit, cum non modica camporum ſtrage. Contigit hoc 7. Martij anno 1606. poſt quod factum luſus ille in totum proſcriptus eſt à Rocca.

Mutius Vitelleſchus duobus annis poſt.

Zelus P. Julij in luſores. minæ.

Grando adhuc illo die cecidit.

Quod

Quod sequitur, Neapoli contigit; Mater Patris Julij Recupiti habebatur pro depositâ à medicis; Pater Julius & quia id officii tanquam optimè de societate meritæ debebatur & ut filii aliquo numero in religione futuri habuisse rationem videretur, eò se contulit ad eam invisendam, sed hoc ipsum aliud non fuit, quàm annuntiare ei sanitatem; Quàm primùm enim illam conspexit, statim eam affatus dixit, intra triduum valituram. Omnes circumstantes magno numero mirabantur vehementer simplicem hominis facilitatem in promittenda vita, quæ jam plus dimidio fuerat demortua. Eventus nihilominus tertio die demonstravit illos potius fuisse temerarios in judicando, quàm eum simplicem in promittendo. Inter illos, qui Patrem Julium temeritatis condemnaverant, fuêre nonnulli Sacerdotes. Isti comperto, alio die Patrem Julium alteri non nemini principi viro itidem moribundo prædixisse sanitatem, ægroto jam jam prædictionis potiente fructibus, deserturóque lectulum, nescio quo spiritu in illam domum ingressi id effecerunt, ut Pater Julius ne quidem illud ostium amplius videret, malo illius principis maximo, quippe recidens in antiquum malum brevi iter æternitatis est ingressus.

Eam visitasse, sanasse fuit.

Malo heri arcetur P. Julius à domo.

Simillimum eventum sortita est in eadem civitate altera Patris Julij prædictio, à primaria quadam Domina vel non credita, vel non curata. Isthanc viderat Pater Julius tempore Bacchanalitio tota facie fœdatam & infectam inficeto colore, ut larvæ solent in illâ temporum licentia. Non tulit Pater Julius, acriter in eam invectus, adjecit minas divinæ nemesis in maritum, & filios. Non propterea tamen emendata paucos intra dies vidit conjugem & sobolem morbo correptam. Invisit ad eos Pater Julius. Sponderunt emendationem, obtentâ per Patris Julij preces sanitate. Impetrâsse gratiam, & promissis non stetisse

Bacchanalitia licentia punita.

ſdem fuit, verùm non perinde revaluit filius, recidivus in Libitinæ complexum ruit,& una cùm eo familiæ ſucceſſio. Tum demum enimverò adhibuêre fidem prædictioni, & verâ ducti pœnitudine ad promiſere ſolidæ emendationis genus. Oratio Patris Julij obtinuit ipſis alium filium marem, & cum eo novum lapſantis domûs columen. Adeò Deo non ſolùm prophetæ,ſed & prophetiæ cordi ſunt.

CAPVT XV.

Communis opinio,& fama de ſanctitate Patris Julij.

Licet tota vita teſtimonium ſit ſanctitatis, tamen hic quædam particularia dabuntur.

MAxima pars vitæ hucuſque ſcriptæ, & actæ à Patre Julio perpetuum eſt teſtimonium ejus conceptûs, in quo florebat apud eos, quibuscum vivebat. Quo de argumento multa diximus in capite 12. lib. 1. de ejus obitu; nihilominus plura ad hunc locum annotanda nobis reſervavimus; Cum hæc talis fama & opinio ſit quaſi anima illius vitæ, quæ ſuperſtes eſt & manet etiam poſt mortem.

Opinio ſanctitatis eſt anima vitæ poſt mortem ſuperſtitis.

Sancti nomen tulit ab Hæreticis, Schiſmaticis, Turcis, eúmque ut talem reverebantur; nec ejus pias Sanctásque actiones ſtuduerunt impedire, imò ſubinde coadjuvabant, aut ex occulto cum admiratione & ſilentio eum obſervabant orantem. Diebus eſurialibus procurabant cibos quadrageſimales, nec eo præſente audebant veſci carnibus.

Ipſi hæretici eum venerabantur

Ferociſſimi quique homines, latrones, Aſſaſſini ipſi & pro ipſo aliis ignoſcebant, & cum patientia ejus excipiebant correptiones. Leones & Juvenci aliæque feræ agnoſcebant ejus bonitatem, ipſíque præſtabant obſequium. Ipſimet mali dæmones pro veneratione, quam ipſi inviti deferebant, vel abſcondebant ſe coram illo, vel oculos in altera palpebrarum pelle velabaut, vel demiſſi cadebant

Item latrones,& beſtiæ, imo & Dæmones.

in

in terram. Signa profectò jam aliàs fusè explicata, quibus plus satis declarabant, quo in virtutis gradu, & sanctitatis opinione illum tenerent coram omnibus, ut ita dicam, creaturis etiam coram illis, quæ non poterant aut nolebant illum agnoscere. Illi autem, qui cognoscebant illum, & cum eò familiariter agebant, vocavêre illum sanctum pleno ore, osculabantur ejus vestes, manus, pedes, & hoc persolenne erat magnis Dominis, & in gradibus dignitatum constitutis, monstrabant cum digito cum dicto: *Ecce re! en ille Sanctus.*

Noti illum pleno ore vocabant sanctum.

Aliquando publico in templo Marchio quidam cum Sacerdote magno & illustri, audito ejus sacro, conjecit se in genua, ejusque pedes osculo deveneratus est. Et quoniam in illo ipso templo Neapolitano Mense Augusto, anno 1611. plures personæ principes & Dominæ se cum tumultu nonnullo constipaverant, ad venerandas ejus manus ipse se fuga proripuit domum. Dominus Princeps de Sancto Severo, & Dominus Tiberius Caraffa Princeps de Bisignano cursu ipsum insecuti sanctam ipsi renitenti intulêre vim. Pater Generalis cujusdam ordinis valde celebris nunquam ipsi obviam fieri voluit, nisi ipsi per vim dissuaviaretur manum; Ipse enim omni studio, modóque se se ejusmodi demonstrationibus suffurabatur; causa erat (dicebat ille) quoniam illum habebat pro Sancto, & sæpius jam expertus erat ejus ad Deum orationes valde potentes. Non credi facilè potest, quantum ejusmodi honores & venerationes displicerent, & dolerent humili Servo Dei, qui gratias Dei quàm occultissimas tenebat. Hinc cùm aliquando metueret, ne nobilis quidam, cujus in domo mira operatus fuerat, ea incautius vulgaret, seriò illum objurgavit, verùm mox intellexit, illum nihil evulgâsse. Magis mirum videri queat, ipsum hasce reverentiæ delationes admisisse etiam ab iis, qui non aliud integritatis argumentum

Veneraturis sefugâ proripuit.

P. Generalis cujusdam ordinis semper ejus manui osculum fixit.

Humili servo Dei honores displicent.

habebant, nisi nudam illam modestiam & compositam præsentiam, ex qua, ut aliàs diximus, ejus Sanctimoniæ lumen & radii transparebant; ita ut solus ejus conspectus sufficerit non nemini, ad valedicendum mundo, & ad se se faciendum religiosum.

Radii sanctitatis ex ejus præsentia transparebant.

In hoc proposito cùm ipsi quadam die mulier loqueretur, eique suum filium cemmendaret infirmum, reliqui omnes parvuli filii absque eo, quod ad id faciendum vel exemplum, vel præceptum haberent, ultrò, sponte sua illum certatim circumdederunt alii ejus manum osculantes, alii pallium, alii pedes genu flexo. Eodem modo cum improvisus Marchio de Sancto Elmo in domum Principissæ de Bisignano superveniens illic Patrem Julium offenderet, multa cum diligentia scisscitatus est, quis esset, videbatur enim ipsi habere faciem, si non angeli, certè Sancti. In hunc ipsum modum locuta est Princeps de Cariati, ubi illum primùm vidit. Neque verò ego multùm demiror corpori ejus, dum in vivis erat, tot signa venerationis data fuisse ab iis, qui illum videbant, cùm & post mortem, qui nunquam eum viderant, sed solum ex fama audiverant, muris ac parietibus domûs ejus, in qua natus & educatus fuerat, genua usque in terram flexerint, & dulcissimo eos fletu osculabundi humectaverint. Hujus rei mihi locupletem sane fidem fecere multi viri nobiles Neapolitani, qui id se vidisse testantur, dum Macerata Lauretum peregrinorum ritu transmeabant ad Sanctam Domum.

Ex ore infantium & lactentiũ.

Facies ejus si non angeli, certè sancti.

Domum, in qua natus erat, venerati sunt.

Ejus sacra Lipsana quantum expeterentur, indagarentur, per vim abriperentur, legimus in ejus obitu. De his, déque suo sacro corpore habuit à Deo claram revelationem 15. Julii anno 1607. quid fieri oporteret, undecim annis pòst, qua pietate colenda, quæ operatura prodigia, in quas civitates etiam longinquas deferenda. Nos hodie videmus per amplè impletas propheias, dum ubicunque

Habuit revelationem de reliquiis post mortem.

locorum

locorum asservantur, Neapoli, Craccoviæ, Romæ, Maceratæ, omnino privatim quidem, sed valde piè habentur; pérq; illa Deus multas operatur gratias, potissimum autem per sæpiùs dilaudatum thoracem, seu cilicium. Exstat ejus de corpore prophetia ab ipso edita, quæ, etsi eam non scripserit, nihilominus tamen patribus nostris Neapolitanis innotuit, & ad notitiam plurimorum pervenit, major se ipsa facta, tum primùm post tot annos, cùm opera completa est, quàm in principio fuerat.

Per Cilicium multa mira.

Illam ad me quidam noster Pater Sacerdos professus Neapolitanus perscripsit, eámque audivi narrari à pluribus nostris, qui multis annis versati sunt Neapoli, sequentem in modum. Patre Julio adhuc superstite, & multis ante obitum annis ortum est incendium in templo nostræ domûs professæ Neapoli non sanè contemnendo cum damno. Tunc edixit, illud templum de novo conflagraturum, flammam tamen corpus suum illic sepulturę mandatum minimè ausuram contingere; prædictio vera exiit magno illo Dei servo domui præposito Patre Vincentio Caraffa, qui & ipse habuit revelationem, tametsi non ita dilucidam. Et fuit ultimis diebus antecineralibus ex occasione theatri pro comprecatione 40. horarum excitati annis omninò viginti post mortem Patris Julii, cujus sepulchrum, licèt ex plumbo, nullum passum est damnum, nec ulla ratione destructum, & tamen ab insolito æstu incrustaturæ marmorum dissolutæ sunt, & duo organa à dicto sepulchro satis remota ab illo incendio periere, quod planè ex vero dici potest, ex invidia diaboli excitatum, honorem hunc Sanctissimo invidentis Sacramento, prout eidem Patri Vincentio Carraffæ fuit revelatum, qui malignus Dæmon, sicut in vita non potuit prævalere adversus servum Dei, ità nec post mortem potuit inferre nocumentum ejus sacris Lypsanis. Nec minùs in pretio & æstimatione fuere

Incendium in templo Domûs professæ Neapoli.

Nihil nocuit corpori Patris Julij.

Pallii fimbriam abscidit quædam devota.

apud pios homines, cùm esset in vivis. Domina Diana Spinelli Domini Marchionis de Fuscaldo soror clam, ipso nihil advertente, fimbriam pallii abscidit, & Domina Comitissa de Martorano ejus Mater annis compluribus ante, eidem similem intulerat vim in supra veste, quàm vocamus, domesticam, quòd eam hiemali præsertim tempore domi gestamus, & pia ista furta inter sua pretiosiora domi asservabant, nec absq; earum devotionis fructu, & emolumento; quippe huic secundæ sanitatem contulêre ex infirmitate lethifera.

Integer conventus Neapoli petiit reliquias.

Integer Conventus Neapoli Virginum usus est omni arte & studio, ut socius, qui ei comitari solebat, quiddam ipsi sublegeret pro se se, quod ipsis utpote fœminis non esset integrum. Vir illustris genio subsevero, quem edomitum inimicus conabatur præcipitem agere in desperationis barathrum, cùm aliud nanciscì non posset, procuravit sibi, suo ut in libello haberet saltem chartulam scriptam manu Patris Julii, quæ ipsi loco munitissimi fuit asyli adversus omnes inferorum impressiones. Hujusmodi chirographa nomine subscripto diligentissimo investigabantur studio, & asservabantur tanquam uniones pretiosissimi. Et nos jam vidimus plurimis contulisse sanitatem aliis corporis, aliis animi; atque alii non propter aliud illi scripsêre, quàm ut præcisè haberent responsum.

Vir illustris tãtùm chartulam ejus manuscriptam petit.

Scripserunt ipsi, ut præcisè haberent responsum.

Detinebant multi ejus effigiem in oratoriis, séque ipsos illi quotidie commendabant relatis multis bono suo beneficiis, & gratiis. Hoc se in dies agere, & egisse confessus est dux ex Bisaccia cum sua Domina conjuge, & Domina Isabella de Capua sua Matre, gratiis identidem actis de continua protectione, quam haberet, domûs suæ coram Deo. Idem actitabat Dominus Antonius Carmignanus, & die quodam, quo ejus Domina Conjunx Julia Milano incredibili partûs dolore cruciata credebatur moritura, extemplo,

templo, cùm ejus in conſpectum eſt allata effigies, quam habebat, de Patre Julio, eique tantiſper ſe commendavit, feliciter enixa eſt ſobolem maſculam. Et aſſerebat Joannes Maria Scorcella Oriundus de Rocca Doctor, imaginem Patris Julii etiamnum vivi, qui neſcio, quem in finem depict⁹ erat inter vota & gratias, in templo Annuntiatæ, in veneratione habitam fuiſſe à populo, qui illic ipſi ſe commendabat; illam Neapoli contra voluntatem ſuam ab Apelle quodam Neapolitano depingendam, per quam Deus patraturus eſſet miracula, ipſemet revelationem habuit anno 1596. cùm eſſet in conſuetis ſuis miſſionibus in Montibus Norcio, & Viſſo, cùm ille cogitatione etiamnum erat Neapoli remotiſſimus, & primùm deducta in opus fuit poſt 14. vel 15. annos, & ejus illuc profectio in eam civitatem, & miraculoſa effigies, quæ fuit, ut ego conjicio, Domini Antonii Carmignani, quem ſupra dixi: Alii deinde & hi quidem magno numero, omne genus hominum, cum aliter litare ſuæ pietati non poſſent, illo in publicum ptodeunte tenebant in promptu ſuas coronas, id quod eis vetari difficile erat, illisque ipſum tetigiſſe fuit loco pretioſarum reliquiarum. Quam ad piam venerationem concurrit ſubinde Deus modis miris, ut promoveret affectum erga Patrem ſuppeditando nonnunquam reliquias de ſuo, quandoquidem ab illo quid obtinere non ſinebat modeſtia.

Effigies ejus, partûs difficultatem ſolvit.

Ipſemet revelationem habuit ſuam imaginem patraturam mira.

Satis ipſis erat eum tetigiſſe.

Hanc in rem unicum duntaxat caſum referre placet, in quo non minùs elucet meritum virtutis illius perſonæ, in cujus bonum operatio facta eſt, quam exiſtimatio, quam illa habuit de Sanctitate Patris. Fuit iſta jam aliàs ſæpius laudata Domina Maria Brancaccia educata in virginitate ſua à quinto ætatis anno, uſque ad quadrageſimum domi ſuæ, & illo ipſo teneræ devotionis enutrita lacte à Domina principiſſa de Biſignano de Rovere, de prole cujus fratris Ducis Vrbinatis & ipſa habuit revelationem illo ipſo tempore

pore, quo Pater Julius, qui secum illam vidit in eadem extasi. Jam manè quodam, cum Pater Julius staret in procinctu ad sacrum faciendum in sacello principissæ, cupida Domina Maria aliquid reliquiarii, & memoriæ habendi de servo Dei, ferventer oravit Dominum, viditque mox ex ore ejus gemmulam instar crystalli cecidisse, quam illa solicitè collegit, & accepit à Deo mandatum, illam ut tanquam rem pretiosam servaret, utpore intra paucos annos multa mira patraturam, sacro finito rogavit Patrem Julium, ut sibi id granum donatum vellet, libenter id annuit P. Julius, illa autem id in plurimos conservavit annos digniori loco, quàm quantumlibet pretiosissimam gemmam.

Ipse Deus quosdam beavit reliquiis P. Julij.

Remoti se diligenter ipsi commendabant,

Longinqui, qui neque Lypsanorum aliquid de ipso nec imaginem hebebant, nisi vivam ejus effigiem virtutum, suis in necessitatibus se ipsi studiosissimè saltem commendabant. Dominus Marcus Antonius Aurea præter plures alios exaravit ad eum literas, in quibus narrat, se in quadam tempestate periculosissima, quàm navigans ex Hispania in Italiam incurrerat, evasisse liberum & incolumen ex eo solo capite, quòd se ejus orationibus commendâsset. Id ipsum illi perscripsit Domina Ducissa de Evolis ejus conjunx Genuâ 31. Augusti anno 1611. supplex illi pro una certa gratia facta, à quo plures alias absente, ubi solùm se illi commendasset, sæpius miraculosè accepisset. Nec facilè iniri numerus literarum potest, quæ ad ipsum undequaque missitabantur, rogantes vel novas à Deo impetrandas gratias, vel pro impetratis gratias agentes.

Commendans se ipsi evasit tempestatem maris.

Dominus Marchio de S. Lucito, D. Placidus de Sangro, Dominus Joannes Baptista Gambacorta gratias agunt ab infirmitate liberati, cujus solum remedium positum erat & inventum in miraculo. Dominus Joannes Franciscus Baro Dominæ Marchionissæ de Modugno frater propter cancrum pede exesse jussum, qui nervum corripuerat,

Sanantur multi cum miraculo.

ripuerat,& propterea credebatur incurabilis. Et ut ex brevi temporis spatio, quo in missione fuit extra Neapolim, ad Roccam de Aspido, mense Junio anno 1605. rogatu Dominæ Beatricis Thomæ Filomarini conjugis,comitis dictæ terræ ineatur numerus illorum magnus, qui toto anno in omni occasione ejus ad orationes confugiebant, vel consilium in difficultatum conflictu postulabant, mihi visum est, non absre fore, hic catalogum illustrium illarum personarum referre,quæ modico illo tempore ad illum literas dedêre, preces ejus & suffragia in privatis suis necessitatibus expetentes. Fuere sequentes, Principissa de Bisignano, de Rovere. Dux Senior de Bovino, de Guevarra, Dux de Airola de Carraccioli. Ducissa de Bisaccio de Capua. Ducissa de Evoli de Tolfa. Dux ejus Maritus Marcus Antonius Aurea. Marchio de Lauro Pignatelli. Marchio de Capuzo Papacoda, ejúsque mulier de Tolfa, Marchio de Boccalino de Loffredi ; Marchio de Modugno de Grimaldi ejúsq; uxor Pignatella. Marchio de Bitet Caraffa ejúsq; conjunx de cardines. Mardiconissa de Valle Domina Isabella Alascon Mendozza, Comes de Castro, Domin⁹ Franciscus, ejúsque uxor. Comes de Celano, Piccolomini ; Baro de Monteforti de Vicariis. Baro de Castello S. Laurentio Caraffa, Baro de S. Antimo Revertera. Dominus Alphonsus Brancatius de Sanchez Vicariæ Judex, noster Pater Mutius Vitelleschus. Ex quo magno numero respectu brevis tempusculi judicet nunc lector, quantus fuerit concursus intuitu omnium temporum, qualísque opinio & existimatio passim apud omnes de Patre Julio. Longè major fuit frequentia eorum,qui coràm cum eo ejusmodi peragebant officiorum genera; Integræ familiæ se ad ejus prosternebant pedes, genu flexo, ut aliquid benedictionis ipsis impertiret, & in sinum suæ protectionis reciperet. Non facilè quis iter longinquius inibat,non auspicabatur litem,non perferebat

Nomina eorum, qui brevi illo tempore literas ad eum dederunt.

Integræ familiæ ad ejus se prosternebant pedes.

In arduis se Patri Julio commendabant, etiam morientes.

casus adversos, non tentabatur infirmitatis incommodo, qui non ejus ad preces, commendationémque recurreret, nec judicabantur pro ægris debita adhibita remedia, nisi in subsidium implorata fuisset ejus oratio, nec moriebatur quisquam planè contentus, nisi prius ab eo abstulisset venerabundus benedictionem. Etiam passim de eo habebant

Nihil negabatur ei a Deo, quod seriò postulabat.

opinionem, esse in ejus potestate obtinere à Deo, quod ipse vellet: ac sæpiº magni Domini lamentabantur de eo se non accipere à Deo certas gratias, quod is nollet eas à Deo impetrare, probè gnari, nihil ei negari, quòd ipse seriò postulasset.

Et Domina Ducissa de Celenza 19. Januarij anno 1609. dixit ipsi cum viro suo duce, licèt se omnium bonorum per Neapolim precibus commendet ad impetrandam à Deo prolem, nihil tamen hactenus tanto tempore se obtinuisse, nunc omnes certatim sibi suasisse, ut ad eum refugeret, certissimò voti compotem futuram, cùm in tota passim urbe Neapolitana non sit efficacius ejus orationibus remedium. Hoc totum tamen perparum est respectu illius multi, quod ipsi variis in locis occurrit in argumentum magni illius conceptûs, quem habebant de ejus sanctitate.

Suadetur, quod alibi impetrari nequit, à P. Julio petatur.

XVI. Novemb. anno 1608. Neapoli vir quidam spiritui deditus, prudens ac gravis petiit ab ipso efflictim, ut suum sibi filiolum demortuum suis precibus revocaret in vitam, quâ de re cùm eum Pater Julius reprehenderet, rogavit illum, ut saltem ei statum indicaret, in quo versaretur ejus anima, alioquin & se emoriturum. Quædam Domina Patris Julij cognata habitans Tolentini civitate Marchiæ, cum ipsi filiolus quinquennis obiisset, rogavit illum, ut eò se conferret, ad eum resuscitandum, quia verò ejus votis noluit obsequi, id apud superiores effecit confidens mulier, ut id ei sub præcepto injungerent, quippe illa pro indubitato tenebat, si ex sepulchro eum evocaret, filium ejus audita voce ad vitam reversurum. Sed quem-

Vir gravis petit, ut sibi filium revocet in vitam.

Rogatur ut resuscitet filium.

admo-

admodum Pater Julius ex obedientia eò se contulit, ita ex modestia subticet, quid illic egerit, solùm obiter rem hisce verbis pervolat, dextrè, se illam contentam dimisisse. Ac quoniam absque magni solatii genere mater sic animata relinqui non poterat contenta, permitto libenter lectori judicium ejus, quod Deum hac in parte pro servo suo operari oportuit, cùm præsertim articuli impressi asserant, eum & in vita, & post mortem multa & clarissima operatum fuisse miracula in diversis mundi partibus; asserta in processu testimoniis omni exceptione majoribus, quem quidem processum, ut viderem, obtinere non potui.

Processum obtinere non potui.

Denique in nobilissima & antiquissima civitate Cortona in Thuscia, ubi missioni litabat, adeò ejus mirorum crevit fama; ut vidua quædam induxerit confessarium suum curionem, virum catum & prudentem, iret ad Patrem Julium, eúmque iteratò rogaret, quô filium suum jam ante tres menses vita functum resuscitaret. Hæc & his multò plura à me non referenda fiebant ad obtinendas à Patre Julio gratias corporales, duplo plura ac majora subibantur ad impetranda spiritualia beneficia. Beatus habebatur, qui eo uti patre spirituali, atque ab ea in via salutis instrui poterat. Ac quoniam, sicut diximus in primo libro, ipse gloriabatur esse se confessarium personarum vilium, & abjectarum, Dominus Marchio de Fuscaldo obtinuit pro se & Domina Diana sua sorore â patre suo Petro Antonio Spinelli Provinciali pro gratia singulari, ut pater Julius esset ipsorum Confessarius. Dominus item Julius Cæsar Capece, 28. Decemb. anno 1613. misit patri Julio suum gladium, ac pugionem affabrè cœlatos, ut eos primùm Deo oblatos juxta exemplum Sancti Ignatii in eleëmosynam pauperum conversos ipse acceptaret, sic enim se mundo remissurum nuntium, se séq; in filium spiritualem eidem dicaturum, dirigendum in viam Salutis æternæ.

Curio rogat patrem, ut suscitet mortuum.

Expetebatur à P. provinciali Confessarius.

Religioſi non pauci ventitabant ad eum confeſſionis cauſâ, eique totam ſuam conſcientiam libenter aperiebant, & doctrina & gradibus ſpectabiles. Duo venerabiles Monachi Caſſinenſes ex profeſſo Româ rectà ad ipſum contenderunt, ut ipſi dictitabant, ad videndum & cognoſcendum virum Sanctum, & ad tractandum cum eo de negotio ſaluris. Idem actitabant major pars noſtrorum patrum ac fratrum, & pater Evangeliſta de Gattis præfectus Spiritus in Collegio Neapolitano notiſſimæ virtutis vir non volebat ab alio ſibi tradi Exercitia ſancti Patris noſtri Ignatij, cum quot annis more noſtro in ſacrum hunc ſe receſſum recipiebat, quàm ab ipſo patre noſtro Julio. Pater Mutius Vitelleſchus tunc provincialis in Neapolitanâ, & poſtea Generalis per orbem notiſſimus & propter raram prudentiam & innocentiam morum ſingularem in ſuis maximi momenti & publicis & privatis negotiis conſulebat patrem Julium, ejúsque orationibus ſe commendabat, in quibus dicebat ſe plurimum confidere; & ſemel amicâ cum exprobratione ipſi in ſuis Neapolin ſcriptis objicit, quaſi ſuimet penitus memoriam obliterâſſet. De Patre Claudio Aquaviva Generali jam ſupra vidimus, quanto familiariter eo uteretur, quantúmque confideret ejus ad Deum precibus. Collegij Neapolitani incolæ orabant certatim ſuperiores, facerent ſibi copiam ei inſerviendi in cubiculo, ejus reculas pauperiémque componendi, quas in numero reliquiarum deputabant, & ut quoddam efficax documentum conſequendæ perfectionis ab eo addiſcerent. In hunc ipſum finem, cùm ille in Capite Montis loco aliquantum à civitate remoto moraretur, multi noſtrorum cupiebant ejus lateri hærere, rati loci ſolitudinem cum primis talis viri converſatione & exemplis compenſari.

Duo Caſſinenſes patres veniunt ad videndum ſanctum, ut aiebant.

P. Generalis in rebus magni momenti conſulebat P. Julium.

Noſtri cupiebant cum eo converſari & degere.

Vir provectæ ætatis & prudentiæ, qui in ſæculo inſignis erat & expertus Cauſidicus expetebat in præmium ſuorum labo-

laborum facultatem inserviendi Patris Julij lyturgiæ eo ardore, ut id jure suo videretur flagitare, verùm cùm id non judicaretur è re fore, nec ejus modestiæ, nec superiorum prudentiæ, voluit saltem, quoad licuit, ejus sacri esse perpetuus auditor. Non potuit tamen negari cuidam Monacho sacerdoti, quin in Missione quadam versanti omni modo illi quotidie inserviret missam celebranti januis clausis; verum quidem est hominem Dei adeò animo fuisse alieno à testimoniis aliorum in illa sanctissima functione ad evitandam illam opinionem, cujus gratia alij eam desiderabant audire, ut erga multos magnos viros, qui certatim se offerebant pro clericis, & erga multos spectabiles prælatos illi multa arte & industriis non usitatis utendum fuerit ad eos sanctè fallendos, & dimovendos. Non potuit tamen semper ejus Modestia ità esse felix & ingeniosa, quin aliorum diligentia subinde triumpharet, & omnia ejus effugia eluderet, nunc occupando sacelli locum, ubi celebraturus erat, nunc præmittendo servulos, qui eum caperent & impedirent, ne portæ clauderentur, & tunc aliquoties cedendum fuit usurpatis violentiis, quamquam magna ex parte illum privarent eâ dulcedine, quam experiebatur anima ejus in tractando cum Deo solo, cum plena libertate, ac sine teste. Ita rogatus aliquando à patre Priore Salvatoris loco patrum Camaldulensium, quatuor millibus Neapoli remoto, ut eò concederet, religiosos suos tradendis exercitationibus spiritualibus exerceret, quod & ipse se & sua religiosissimo illi conventui per litteras commendare solitus erat, pro jure quasi amicitiæ, sivit se adduci, ut eò se conferret, mansit illic cum inusitato animi sui solatio, habuit ad eos sacras cohortationes, tradidit ipsis pias meditationes, ad aram fecit, cum sensu & gustu animi singulari, solitus illic gratias â Deo frequentes, extases, raptus experiri cum æquali admiratione

Certamen inserviendi ejus Missæ.

Gaudebat cum Deo solo agere.

Camaldulæ cum inusitato suo solatio substitit.

tione & compunctione sanctorum illorum Dei servorum.

Erat autem ita fervens ejus spiritus, quem suis sacris instillabat alumnis, ut illic planè exempla videre esset rara, ac minimè vulgaria, Fuêre principes feminæ, quæ illic palam repentè jussu ejus promptissimè genua flecterent ad osculandos mancipiorum, & captivorum pedes: & alij confessarij, cujuslibet ordinis & conditionis essent, in negotiis animarum gravioribus mittebant suos pœnitentes ad Patrem Julium consilij causâ, & aliquando honoratissimæ cuidam Neapolitanæ fœminæ nupturienti præ omni magna dote fuit pœnitentem fuisse Patris Julij. Hoc unicè ejus sponsum, hoc Parentes illius permovit, ut assentirentur in affinitatem, cum opinione & existimatione quam de Patre Julio habuere omnes illi, qui eum noverant, facilè ex æquo consensit amor, quo ipsum prosequebantur. Atq; hinc eveniebat, ut, cùm fortè quodam ægritudinis afficeretur incommodo, omnes promiscuè ipsi cuperent adesse, & si quà possent, quadamtenus obsequi. Fiebant pro ejus salute publica pœnitentiæ opera videre erat Principes, magnos viros præter complures alios privatos, qui capita sua & vitas non dubitabant offerre Deo ad eum in vita retinendum, optantes millies pro ipso emori. Verùm & in conspectu Dei vita Patris Julij pretiosa, & adeò in magnam Dei gloriam vergebat fructus spiritualis, quem colligebat in mundo, ut illum sæpe per miracula conservarit incolumem. Multa retulimus, unum ad hunc locum reservavi, quod modo quodam singulari ob oculos ponit Dei amorem erga incolumitatem servi sui.

Eius exempla illic nõ vulgaria.

Mittebantur pœnitentes consilij causâ.

Offerebant suas vitas ad eum in vita retinendum.

Capuæ graviter decumbens ad mortem vidit cælum totum turbatum, & ex fusca nube fulmen spargi æquè fuscum ac subnigrum, directè ad eum feriendum. Erat non amplius evitabilis ictus, non remotior quàm cubitus à pectore, cùm ecce manus invisibilis sagittam aliorsùm aver-

Fulmen ab ea invisibili manu avertitur.

avertit. Et ille tanto cœlo dilectior, quanto odiosior stygi, à qua illud fulmen excussum, salvus & intactus permansit. Ad amorem accessere testimonia, quæ spectatissimi quique de illo dedêre. Sat multa ad hoc propositum dixi, quando agendo de ejus missionibus inter Græcos grandia illa retuli encomia, quæ in illum primates Episcopi, Patriarchæ congessere. Sat multa etiam paulò supra attuli loquendo de revelationibus ad Prælatos, Cardinales, pontifices spectantibus, qui ipsum in summa habuere veneratione & conceptu. Duorum duntaxat vel trium hic oportet me recordari.

Missi meum sanctum.

Vnus est Cardinalis Bandinus, qui cum ipsum suam mitteret in Diœcesin, solebat dicere; *missi meum Sanctum.*

Bernardinus Realinus.

Alter sanctimonia non vulgari conspicuus fuit Pater Bernardinus Realinus, cujus vita in lucem procusa solidis abundat virtutibus, & magnis resplendet miraculis, dignissimum utique omni magna Fide testimonium.

respondit sequendum indicium P. Mancinelli.

Hic interrogatus super spiritu cujusdam puellæ, cui dicebatur frequenter Sancta Catharina Virgo & Martyr apparere, respondit, hoc in negotio audiendum, & sequendum judicium esse Patris Julij Mancinelli, qui tantopere â Deo illuminatus esset.

Proreges Neap. illum vocavere sanctum.

Proreges Neapolitani, qui illi regno ejus temporibus præfuere, omnes illum palam vocavere sanctum, & ut talem publicis demonstrationibus devenerati sunt. Dissuaviati sunt ejus manus, applicuere suas illi coronas, commendarunt illum solicitè superioribus, ut illius sedulam gererent curam, seque regni negotia ejus orationibus committebant, & in rebus animæ illi libenter tanquam magistro obtemperarunt, orabant coram illo, & cum illo, ut eorum oratio ne careret & regulâ, & fervore.

Compendium ejus vitæ ex articulis impressis.

Demum libet mihi hic sub finem aliquot pauca verba apponere ex articulis latinè impressis pro ejus canonizatione toties à nobis citatis, tanquam publica cum auctoritate &

Fide

Fide concinnatis, in quibus succinctè afferuntur ea omnia, quæ nos diffusè in hac vita digessimus. Sic itaque habent.

Servus Dei Julius Mancinellus, dum vixit, semper passim fuit reputatus, æstimatus, & habitus pro sancto, & amico Dei, etiam à personis prudentibus, gravibus & illustribus ita quidem; ut etiam ipso vivo efformarentur imagines, conquirerentur reliquiæ omni cum diligentiâ, quas res conservabant in cubiculis cum veneratione. Aquam ab ipso benedictam expetebant magnopere, & accipiebant cum singulari devotione. Post mortem ejus sanctitatis fama crevit, & in dies crescit, magis ac magis, sine interruptione, unde publicè & palam etiam à personis eminentibus habetur, & tractatur ut Sanctus, hinc commendant se ejus intercessionibus, venerantur ejus reliquias & rogatu quarundam illustrium personarum præcepit Pater Generalis, ejus imaginem in domo professa Neapoli inter alias patrum imagines, qui cum magna Sanctitatis opinione obierunt, exponi, id quod publica, notoria & manifesta vox est & fama.

Hucusque articuli sæpius citati.

Hucusque articuli in testimonium magnæ illius opinionis & famæ, in qua tenebatur, ac tenetur Pater Julius.

De amicis non est mirandum.

Verùm quid miramur bonum ei testimonium perhiberi ab optimis ejus amicis, & notis? cum id ipsum ei perhibere compulsi sint capitalissimi ejus inimici? Diabolus ipse suo pessimo coactus fuit fateri, eum apud Deum præpotentem, siquidem cùm nulla ratione ejici ex cujusdam obsessi corpore per exorcismos posset, alta voce exclamavit, à Patre Julio ejici se posse & alias cùm exire de quadam puella detrectaret, comminati sunt illi, vocaturos se Patrem Julium, ad quod mirum quantum cæpit ringi, furere & quiritari, obsistere, utpote probè gnarus ab ipso ejiciendum se se, id quod factum. Verùm sicut non omnium oculi boni sunt ad aspiciendam lucem, imò luce excæcantur, & reperiuntur animalia, quæ omni vano conatu dan-

Diabolo minantur P. Julium se vocaturos.

tur in

tur in rabiem adversus lucidissimos planetas, ita non omnes se regunt ad splendorem alterius virtutis, & hinc sæpè prodeunt importuni contradictores. Hujusmodi farinæ hominem longa Patris Julii patientia supportavit, cujus actionibus aut ex Zelo conscientiæ, aut ex malignitate genii & Naturæ siniſtrè interpretatus privatim publicéque obtrectavit, ut semel palàm edixerit, ipsum esse fatuum. Non tulit ipsum diutius Deus semper innocentiæ sui servi defensor fidelis, & id testimonium, quod ejus de virtute lingua & voce recusavit, dare coactus fuit totâ sua personâ, & ipsiusmet impendio vitæ; cùm namque otiosus Spectator fabricam novi templi in Collegio Neapolitano miraretur, nescio in quam foveam delapsus, æstimo cujusdam fundamenti, illic repente exspiravit; & sicut cuidam absenti revelatum fuit, qui id suo confessario Patri Pavoni dixit, descendit in ignem purgatorium sui erroris daturus pœnas; ut exinde videatur potius fuisse perversitas in intellectu, quàm in voluntate.

Canes rabiosi contra Lunam, mali contra virtutis lucem.

Fatuum illum interpretans cadit in foveam & moritur.

Quantum hactenus dictum est, & illud multò amplius, quod dici posset, sed amore brevitatis omittitur, totum eò collineavit, ut in testimonium cederet ejus Sanctitatis, & opinionis; quâ apud omnes Servus Dei vivens florebat. Sed & eadem fama post mortem non pauciores habet testes; quos inter est concursus incredibilis ad ejus benedictum corpus, odor & fragrantia, quam exhalavit incorruptio, flexibilitas membrorum, quam conservavit, imagines multæ & variæ procusæ. Elogia scripta & impressa, publica & Regia consilia convocata, facti delectus, articuli typo mandati in processum Canonizationis. Verùm de his omnibus abunde dictum, in argumentum & signum conceptûs, in quo erat Pater Julius Sanctitatis & Virtutis &c. Vitam autem ejus non statim post mortem scriptam fuisse, & in lucem datam, inde est, quòd, sicut jam aliàs dictum,

Fama sanctitatis post mortem.

Concursus ad sepulchrum, fragrantia, incorruptio, flexibilitas.

Cur ejus vita non statim à morte edita?

nostri Patres Neapolitani plus justo modesti fuerunt. Certum est enim Dominum Franciscum Purpuram misisse nobis chirographa, prout reperio in variis literis, & in una ejus epistolâ ad Dominum Flamminium Mancinelli 3. Januarij anno 1625. & id plurimi expetebant, ab usque Craccovia, prout ipse illic dicit, nostri Collegii Rector; & ipse Purpura erat propensus, quia ut scribit Parri Philippo Faraoni nostræ Societatis 23. Decemb. anno 1622. Neapoli: *De nostro Patre Iulio Mancinello fama & existimatio in dies crescit ex rebus, quæ de illo produntur, & ex illustribus miraculis, quæ succedunt in dies, & omnes de eo cum tanta reverentia & devotione loquuntur, ut appareat esse negotium Dei & jam jam tempus esse gerendæ rei.* Sic ille; intelligit tempus non solùm publicandæ ejus vitæ sed & ejusdem apotheosis sive canonizationis. Verùm ipse forsan novo Episcopatûs munere impeditus non poterit huic rei vacare. Et quia servus Dei identidem postea perrexit continuare gratias non solum apud sepulchrum Neapoli, verùm & in aliis longinquis civitatibus, ubi ejus asservantur reliquiæ & venerandæ imagines, ita desiderium ejus legendæ vitæ nunquam interquievit, quam quidem aliqui sæpiùs scribere sunt exorsi, sed nescio, quâ causâ absterriti facilè manum de tabula removerunt. Scio nostrum Patrem Franciscum Broccoli scribere Româ Maceratam Calend. Aug. anno 1635. apud Polonos, id quod ipse ex ore illorum & acceperat, pervenerandas esse imagines & reliquias Patris Julii, ejusq; vitam desiderio summo expeti; illam proinde quantocyus mittant, cùm & illic sit, qui eam Polonicè velit imprimendam curare, imò & Teutonicè. In hunc igitur locum distuli dicere de illis demonstrationibus, quas ejus virtuti & meritis præparari in altera vita præsignavit illi Deus ipse, non solùm Senis, cùm sæpius vidit se ipsum in summa altitudine propè cælum, quantum pertingi oculo

Apparet negotium Dei.

Continuat gratias ubivis terrarum.

De vita ejus condenda agitur.

potest

potest, genibus flexis orantis gestu, supplicem fieri Deo pro necessitatibus terræ, accepta insuper revelatione, se esse unum è septem DEI servis, qui ferventiùs pro DEI Ecclesia preces funderent, & cujus orationes Deo essenr acceptiores.

Unus ex septem, qui orant pro Ecclesia Dei.

Porrò in festivitate omnium Sanctorum anno 1607. valde ardenter oravit Dominum pro reductione quorundam suorum pœnitentium, qui fuerant magni peccatores, & ab eo conversi, destiterant tamen nescio quâ incuria à frequentia Sacramentorum, & obtinuit illis gratiam.

Obtinuit recidivis pœnitentiam.

Hos inter erat pauperrimus quidam Codrus, quem sua nuditas in diras hæretici hominis voces exacerbaverat; pacavit illum Pater Julius jussitque illum in perendinum adesse, se illi procuraturum vestes, quod & factum. Dedit illi namque vestem sibi à Patre Provinciali donatam, subtus pellibus inductam, & eo hoc propensius se privavit, quòd corpusculo suo peraccommodè aptabatur, & frigus egregiè propulsabat. Nocte hanc jam destinatam eleëmosynam præcedente aperuit se Cælum Patri Julio, illícque vidit certatim consui vestes aureo inrertextas filo, sciscitatus pro quo illæ pararentur, intellexit eas pro se elaborari.

Vestem sibi donatam alteri donat.

Vidit vestem sibi parari in cælo.

Non ita multò ante 20. Julii anno 1601. in villa Pianura dicta, postquam rusticanam puellam 24. aureis elocâsset nummis, nocte insecutâ inter consuetas suas preces, vidit se vestiri inter multos prælatos, in quodam templo, in maxima hominum frequentiâ, pallio pretiosissimo, quod pluviale vocamus, inde ab illis Prælatis deductus est in Processione ad Regium quoddam sacellum, ut illic sacris actionibus defungeretur, quibns ritè completis hinc reductus ad conclave longè magnificentissimè exornatum, inde exutus pallio perseveravit in reliquo aureo

holoſericóque cultu: quo temporis fluxu perſenſit in animo cæleſtes planè delicias, gravitatem inexplicabilem, dulcedinem humanâ majorem, participatam Regiam dignitatem, granditatem ſuper omnes res creatas elevatam.

Propter dotem 20. aureorum collocatur in ſolio.

Huic Viſioni ſimillima fuit illa, quam habuit 22. Junii anno 1604. poſtquam dotem 20. aureorum puellæ dederat cujuſdam noſtri fratris Franciſci Caracani ſororculæ. Viſus eſt ſibi eſſe Pater Julius in quodam regiſico palatio, exaltatus ac ſublimatus in ſolio tanquam alter ille apud Pharaonem Joſephus; veſtitus item cultu aureo mirante & adorabundo populo univerſo, qui ab eo imperia & decreta præſtolabatur.

Quænam res ipſum maximè ſolicitum redderent.

Denique 13. Decemb. anno 1611. die Sanctæ Luciæ Sacra, cui erat addictiſſimus, ejúsque honorem ac venerationem ſemper mirificè ſtuduerat propagare, viſitandis ægris, & Confeſſionibus exceptis perlaſſus, déque eorum ruditate & inſcitia multùm afflictus, ac, quod ipſum plus nimio cruciabat, quòd unus noſtrorum Societatem deſerturus ejus ſana Conſilia reſpuebat, contulit ſe ad orandum nonnullo cum tædio præſentis, & cum deſiderro futuræ vitæ: tum ſpectandus ei oblatus lectus eſt totus holoſerico & aureo intertextus ornatu, certis quibuſdam floribus cælo petitis interſtinctus; Stragulo, quale, niſi vidiſſet, nunquam ulla ratione ſibi imaginari potuiſſet, longè maximè bello & eleganti; ſupra Cornicem ludebant pretioſiſſimæ Corallæ, quæ pretium operi & arti addebant. Hæſit ille aliquantum intra ſe deliberans, an liceret ſe componere illo lectulo? & cum ſua ei modeſtia & ſubmiſſio ſuggereret, non licere, cùm præſertim ipſi revelatum fuiſſet, reſervari ſibi apparatum illum in alteram vitam, illo reſponſo planè recreatus decrevit

Adumbratur ejus requies in cælo.

crevit firma cum voluntate nullum recusare laborem pro salute animarum, quantumvis austerum & difficilem. si tantum gaudii Deus, qui operibus misericordiæ æternam promisit gloriam, præparavit in cælo homini tanquam uni ex nobis, terrestri; non minùs præparabit nobis, si erimus homines, qualis ille fuit cælestis.

PROTESTATIO AUCTORIS.

LEctor adverte, ut, si quæ in recensendis elogiis ac gestis magni Servi DEI Julii Mancinelli hoc libello complexus fui ultra mores illius ac vitæ Sanctitatem, & populorum erga eundem obsequia superantia vires humanas, quæ miracula videri possint & ad futurorum præsagia, arcanorum manifestationes, revelationes illustrationes quoque modo trahi valeant, Beneficia, quæ ejus interceffione dicuntur in miseros mortales divinitus collata, nec non ea, quæ nonnullis Sanctimoniæ, vel Martyrij appellatione tribui viderentur. Hæc omnia & singula ita tibi propono ut nolim accipi tanquam ab Apostolica sede examinata & approbata, sed ut ea, quæ à sola autorum suorum fide pondus obtineant; nec ideò aliam quàm humanam historiam sapiant. Quare etiam in hærendo decretis feli. Record. Urbani VIII. cum declarationibus ab eodem editis quoad venerationem & cultum, firmiter testatum volo, me hisce lucubrationibus nolle quidquam venerationis, aut cultus majoris eidem Patri Julio tribuere, vel famam aut opinionem sanctitatis ejusdem augere, nec illius existimationi aliquid adjungere, ullúmque gradum facere ad futuram quandóque illius Canonizationem, aut miraculorum comprobationem; sed omnia à me relinqui in eo statu, quem hisce meis lucubrationibus seclusis per se obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui S. sedis Apostolicæ obsequentissimus filius haberi cupit, & ab illa in omni sua actione dirigi.

Societatis Jesu Paderborne 1679.

(o)

INDEX.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A.

Abyssus Humilitatis l. 2. c. 7. pag. 178
Aqua benedicta sanat pustulas l. 1. c. 7. f. 62
Juvat parturientem. l. 1. c. 9. pag. 77
A dæmone obsessam ibid. pag. 75
S. Agnellus Abbas, sua apparitio l. 3. c. 1. p. 248
S. Agnes &c. suæ gratiæ &c. l. 3. c. 9. p. 308
Agnus Dei à rudibus Christianis l. 1. c. 8. p. 73
Alexander Frulli mirabiliter sanatur l. 3. c. 1. p. 248
Algieri, captivorum redemptio l. 1. c. 9. pag. 86
Labores per iis suscepti l. 1. cap. 9. ibid.
Amor divinus cæcus, quomodo l. 2. c. 11. p. 214. & seq.
Amor proximorum qualis esse debeat l. 2. c. 11. ibid.
Amor timore potior l. 1. c. 3. p. 29
Amor universalis erga P. Julium l. 3. c. 15. p. 362
Andreas Pescara Castaldi l. 1. c. 12. p. 115
Animæ purgatorii l. 3. c. 2. p. 254
Veniunt audire Missam, & plura ibid.
Angelus Custos l. 2. c. 10. p. 207
Angeli custodes l. 3. c. 3. p. 263
Angelus jocatur cum P. Julio l. 3. c. 8. p. 297
Angeli sancti l. 3. c. 8. p. ibid. & seq.
Angeli effundunt uniones l. 3. c. 2. pag. 258
Archiepisc. Pisanus l. 3. cap. 2. pag. 261
Antonia Costa mater Julii l. 1. c. 1. pag. 1
Antonius Angeluzi l. 2. cap. 3. pag. 260

Antonius

Antonius Carmignanus l. 3. c. 1. p. 245
Sanatur ibidem.
Exauditur p. 263
Ejus ſacerdotium p. 355
Mors conjugis prædicta ibid.
Antonius de Cardines l. 3. c. 11. pag. 329
Antonius Loffredus l. 3. cap. 14. p. 354
Antonius Suarez l. 3. c. 7. p. 293
Antonius Vgolinus l. 3. c. 2. p. 255
Apparitiones l. 3. c. 3. p. 263. ſeq.
Aquila Civitas l. 1. c. 6. p. 57
Archiepiſc. Leopol. l. 1. cap. 11. pag. 100.
Aſcenſio Chriſti l. 3. c. 6. p. 287
Arteficium l. 1. c. 6. p. 53. l. 1. c. 5. pag. 41

B.

Baro de fontana Roſa l. 3. cap. 3. pag. 263
Bartholomæus Bruti l. 1. cap. 11. pag. 99
Beati & prædeſtinati ſocietatis l. 3. c. 10. pag. 324
Domina Beatrix Philomarina l. 3. c. 3. pag. 267
Benedictio devota l. 2. c. 8. p. 189.
Bernardus de Barbieri ſanatus l. 3. c. 1. p. 243
Bernardus Colnagus l. 3. cap. 10. pag. 319
Bernardinus Confalonierus l. 1. c. 4. p. 36
Bernardinus Realinus l. 3. cap. 15. pag. 375
Bernardinus Sacriſtanus l. 3. c. 14. pag. 351
Bettona terra &c. l. 1. c. 7. p. 68
Bibliotheca l. 1. c. 1. p. 1
Banditi, latrones l. 1. c. 7. p. 65. ſeq.
Benedictio l. 2. c. 8. p. 189
Bacchanalia l. 1. c. 2. p. 15
Bellum Hung. l. 3. c. 13. p. 339

C.

Caſus P. Julii l. 2. c. 11. p. 224
Calumnia tolerata cum fil. l. 3. c. 10. pag. 312
Camaldulenſes l. 3. c. 6. pag. 278
Cameræ P. Julii lib. 2. c. 5. & pag. ibid.
Canes feroces l. 3. c. 6. p. 280
Cantio Angeli l. 3. c. 8. p. 298
Carbones accenſi l. 2. c. 5. p. 165
Cardinalis Aquaviva l. 3. cap. 1. pag. 247
Cardinales Boncomp. Caraffa pag. 115
faciunt proceſſum Canon. l. 1. c. 12

INDEX.

Card. Datarius Gallus l. 3. c. 14. pag. 356
Card. Morosini, Bandini, Spinelli. Toletus, Bellarmin. l. 3. c. 12. pag. 335
Card. Bandinus l. 3. c. 15. p. 375
Caritas magna cum frigido. l. 2. c. 1. p. 127
Caritas fervens vaporat l. 3. c. 6. pag. 288
Catena in collo l. 2. c. 5. p. 163
Cæsar Costa l. 2. c. 1. p. 130
petit pallium in purgat. l. 3. cap. 2. p. 256
Cæsar Eug. Caraccioli l. 1. c. 12. pag. 118
Cæsar Pignatellius l. 3. c. 2. p. 255
Christus l. 1. c. 6. pag. 56
l. 2. c. 11. p. 221. & seq.
l. 3. c. 6. & alibi sæpius.
Circumforanei, Circulatores, Histriones cedunt P. Julio l. 1. c. 6. p. 53. &c.
Cilicium P. Julii l. 3. c. 1. p. 236
Cæmeterium Priscillæ l. 3. c. 14. pag. 357
Clamores in oratione l. 2. cap. 8. pag. 199
P. Claudius Aquaviva l. 3. c. 14. pag. 351. &c.
Clemens VIII. &c. l. 3. cap. 12. pag. 334
Collegium Romanum l. 3. c. 14. pag. 355
Collegium Maceratæ l. 1. cap. 3. pag. 27
Colloquium in Communione l. 3. c. 6. p. 284
Communicat Pater Julius populos &c. l. 2. c. 11. pag. 222
Communio, rosæ, flores l. 3. c. 10. pag. 316
Communio frequentata à Patre Julio l. 1. c. 2. p. 10
Concursus ad funus l. 1. cap. 12. pag. 112
Confessio studiosorum l. 1. c. 7. pag. 61
Confessio l. 2. c. 8. pag. 201
Confessio peccatricis l. 3. cap. 3. pag. 264
Confessiones assiduè excipit. l. 1. c. 5. pag. 37
Confessiones excipiendo sanat infirmos ibid.
Congregatio provincialis l. 2. c. 7. pag. 183
Congregatio generalis l. 3. c. 10. pag. 314
Consilia data ante, quàm petita l. 2. c. 9. pag. 204
Comes de Monte aperto l. 3. c. 1. pag. 242
Conversiones l. 1. c. 5. p. 45. & seq.

Convivia grandium l. 2. cap. 7. pag. 176
Convivium cœleſte l. 3. cap. 10. pag. 325
Cornelia Maſtrilli l. 2. c. 1. p. 245
Cornelius Vishavæus l. 3. cap. 10. pag. 316
Corona ſtellarum &c. l. 2. cap. 8. pag. 200
Corona aurea ſupra caput lib. 3. c. 8. pag. 301
Coronæ l. 3. c. 15. p. 301. &c.
Corpus macerandum l. 2. cap. 5. pag. 159
Conſtantinopolis l. 1. c. 9. p. 76. & ſeq.
Conſtantia P. Julii l. 1. c. 3. p. 23. & ſeq.
Craecovia l. 1. c. 11. p. 100
Creaturæ l. 2. c. 11. p. 217
Criſtallus l. 3. c. 15. p. 368
Cruces in veſtibus l. 2. c. 1. p. 123
Chorea l. 3. c. 8. c. 9. p. 298.
Carnifex l. 2. c. 6. p. 173
Capitulum generale l. 3. cap. 14. pag. 350
Cucurbitæ l. 2. c. 6. p. 172. ſeq.
Contemptus ſuiipſius l. 2. cap. 7. p. 180
Cubiculum verrere l. 2. cap. 7. pag. 175
Cythara l. 3. c. 7. p. 290
Calvæ mort. l. 2. c. 5. p. 163

D.

Debilitas naturæ humanæ l. 2. c. 11. p. 226
Dæmon l. 2. c. 11. p. 223
Dæmones, ſæpius l. 3. c. 15. p. 36
Dæmon fatetur gloriam SS. Ign. & Xav. l. 2. c. 3. pag. 143
Dentes congelati l. 2. c. 5. p. 162
Depoſita furto ſublata l. 2. cap. 6. pag. 174
Deſiderium ſervitutis &c. lib. 1. c. 8. pag. 70
Deus continet omnia, quomodo l. 2. c. 8. p. 190
Dependentia à ſuperioribus l. 2. c. 7. p. 179
Diſciplinæ aſperæ & continuæ l. 2. c. 5. p. 163
Deſperatus præventus l. 2. cap. 9. pag. 204
Diſtractio in orat. Idololatria l. 2. cap. 8. pag. 187
Devotio non ſinit loqui l. 2. c. 8. pag. 188
Dorothea del Tufo apparet Patri Julio ad huc viva l. 3. cap. 3. pag. 269
Dux, Duces, Duciſſæ &c. l. 3. c. 15 l. 3. c. 13. l. 3. c. 8. &c. p. 366. & ſeq.
Domus profeſſa l. 3. cap. 14. c. 15. pag. 357

Domus

Domus hoſpitalis lib. 2. cap. 1. pag. 124

E.

Elogium P. Julii l. 1. c. 12. p. 119
Ercules Papacoda l. 3. c. 2. p. 262
Errores emendati l. 1. c. 8. p. 71
Exemplum l. 2. c. 11. p. 224. 225
Exercitia ſpiritualia l. 2. c. 8. p. 191
Eſſentia Dei, viſa l. 3. c. 6. p. 280
Extaſes l. 2. c. 8. ſæpius
Evangeliſta de Gattis l. 3. c. 15. pag. 272
Everardus Mercurianus l. 3. c. 14. pag. 351
Eleemoſynæ factæ à P. Julio l. 1. c. 1. p. 123. & ſeq.
Effigies l. 3. c. 15. p. 367
Epiſcopatus l. 3. c. 12. p. 338
Epiſcopus l. 3. c. 2. pag. 257
Epiſcopus lib. 1. c. 6. p. 57

F.

Fabius de Fabiis l. 3. c. 14. p. 352
Familiæ integræ flectunt lib. 3. c. 15. pag. 369
S. Felix l. 3. c. 9. p. 306
Ferdinandus I. l. 3. c. 13. p. 346
Ferdinandus Silva l. 3. cap. 11. pag. 326
Fervor P. Julii in ſuis Exercit. l. 1. c. 3. pag. 20
Fiducia multorum &c. lib. 1. cap. 7. &c. pag. 68
Fiduciâ filialis l. 3. c. 7. p. 292
Filii mares impetrati l. 3. cap. 1. pag. 250. ſeq.
Fornax ardens l. 3. c. 3. p. 268
Franciſci Purpuræ teſtimonium de P. Julio l. 1. c. 12. p. 110
Franc. Albertinus l. 3. c. 1. p. 252
S. Franciſcus Aſſiſias l. 3. cap. 9. pag. 307
S. Franciſcus Borgia. ſæpius l. 3. c. 10. & ſeq.
Franciſcus Silva l. 3. c. 3. p. 344
Franciſcus Milo l. 2. c. 3. p. 148
Franciſcus Muſtaccius l. 3. c. 2. pag. 256
Francia &c. l. 3. cap. 13. p. 342
Frigus hyemale l. 2. c. 5. p. 161
Fructus Miſſionum l. 1. c. 7. toto.
Faſcinum l. 2. c. 3. p. 147
Fuſtigatio l. 1. c. 9. p. 85
Fucus muliebris l. 3. c. 14. p. 361
Frater P. Julii l. 1. c. 3. p. 23
Fulmen l. 3. c. 15. p. 374

G.

Galata, unde &c. l. 1. c. 9. p. 77
Galera ſalvata l. 1. c. 11. p. 102

INDEX.

Gingivæ l. 2. c. 5. pag. 166
mirabiliter sanatæ l. 3. c. 1. pag. 242
Grandis Dux Tusciæ l. 3. c. 13 pag. 347
Græci l. 1. cap. 9. pap. 79
Gregorio XIV. l. 3. c. 12. p. 333
S. Gregorius Magnus l. 3. cap. 9. pag. 305

H.

Hæreditas recusata l. 2. cap. 1. pag. 128
Hæretici l. 3. c. 15. pag. 362
Honores à perversis l. 1. cap. 9. pag. 84
Humilitas l. 1. cap. 3. pag. 28
l. 2. cap. 7. pag. 176
Hippolyta Pegnatelli l. 3. c. 13. pag. 349
Hippolyta Rufa l. 3. c. 2. p. 261
Harmonia l. 3. c. 10. pag. 313
l. 2. c. 8. p. 193

I.

S. Ignatius solatur P. Julium l. 3. cap. 10. p. 312
Ignatius Armellinus l. 3. cap. 1. pag. 245
Imagines P. Julii lib. 1. cap. 12. p. 113. l. 3. c. 1. pag. 249
Imperator Turcarum l. 3. c. 13. pag. 339
Impetus fervoris l. 3. c. 4. p. 269
Impulsus internus l. 3. cap. 13.
Incorruptio corporis l. 1. cap. 12. pag. 113
Infirmitas l. 1. c. 12. pag. 111. & seq.
Injuriæ l. 3. cap. 15. l. 2. c. 5. l. 2. cap. 8.
Intelligentiæ in oratione lib. 2. cap. 8. toto.
Jesù Neap. l. 1. c. 12. pag. 116
Jacoba virgo Sen. lib. 2. cap. 3. pag. 145
Janizeri l. 1. cap. 9. pag. 87
Japonenses legati lib. 3. cap. 13. pag. 346
Joan. Andreas Terzus l. 3. c. 10. pag. 322
Joan Baptista Alexander lib. 3. c. 10. pag. 319
Joan Baptista de Porta l. 3. cap. 1. pag. 212
Joan Baptista de Alexandris l. 3. cap. 10. pag. 319
Joan. Maria Rastelli l. 3. cap. 1. pag. 245
Joannes Nacher l. 3. c. 7. p. 291
Julia Milani l. 3. c. 15. p. 366
Julianus Compagnoni l. 3. c. 2. pag. 260
Julius Cæsar Capece l. 3. cap. 15. pag. 371
Julius Piani l. 3. c. 10. p. 319

S. Josephus

INDEX.

S. Josephus l. 3. c. 9. pag. 305
Josephus Nacher l. 3. c. 2. p. 260
Isabella de Rovere l. 3. cap. 11. pag. 327
Instructiones utilissimæ l. 3. c. 12. pag. 333
Jacobus de Guevarra l. 3. cap. 11. pag. 329
Jejunia rigida l. 2. cap. 5. pag. 166
Ingressus in societatem l. 1. cap. 3. toto pag. 17
Jactura temporalium l. 2. cap. 11. pag. 226
Ignoscentia l. 3. cap. 10. pag. 320
Jocus ingenuus l. 1. cap. 1. pag. 4

L.

Lacrimæ l. 1. c. 3. pag. 25
Lacrimæ P. Julii l. 2. c. 10. p. 207
Lapis l. 1. c. 3. pag. 20
Lapis fundamēti l. 3. c. 14. p. 356
Leonardus Mancinelli l. 1. cap. 1. pag. 1.
Leo XI. l. 3. c. 12. p. 334
Leo mitescit l. 1. c. 9. p. 89
Literæ in ignem l. 1. c. 3. p. 22
Literæ missæ P. Julio l. 3. cap. 15. pag. 369
Lectus præparatus ipsi l. 3. cap. 9. pag. 308
Lixivium l. 2. c. 6. p. 173
Laus Dei l. 2. c. 11. p. 217
Lux excessiva l. 3. c. 4. p. 274
Lucretia Pappacoda l. 3. cap. 11. pag. 328
Ludovicæ Coppolæ lib. 3. cap. 2. pag. 255
Legatus Catholicus l. 1. c. 9. bis pag. 81
Latrones, Banditi l. 1. c. 7. pag. 63 seq.
Latinæ Ecclesiæ l. 1. c. 8. p. 72

M.

Macerata l. 1. c. 1. sæpius.
Maledicentia l. 1. c. 2 p. 14
Melancholia l. 2. c. 10. pag. 207
Mantellum l. 2. c. 7. p. 176
Marcus Anton. Aurea l. 3. cap. 7. pag. 294
Marcus Antonius de Rocca l. 3. cap. 1. pag. 245
Marchionissa l. 3. c. 3. p. 263
Marchio l. 3. cap. 15. pag. 363
l. 3. c. 1. pag. 244
Maria Brancatti l. 1. cap. 12. l. 3. cap. 15. pag 367
Maria Caraffa l. 3. cap. 11. pag. 327
Matrimonium Regis Franci &c. l. 3. cap. 13. pag 342
Mathematica l. 1. cap. 4. p. 31
S. Matthæus l. 3. c. 9. pag. 304
Magni Domini l. 2. cap. 7. p. 176
Matthæus Riccius l. 3. c. 10. p. 318
Meditatio Patris Julii sæpius l. 2. cap 8.

Memoria l. 2. c. 11. p. 232
Meretrix vana l. 2, c. 2. p. 141
Missa l. 1. c. 7. l. 2. c. 10. l. 3. c. 2. sæpius.
Michaël Archang. l. 1, c. 6. p. 58. & 59
Missio l. 1. c. 7. l. 3. c. 6. sæpius.
Modestia l. 2, c. 10. pag. 208
Monasterium l. 1. c. 7. p. 63
Mundus inferior l. 3. c. 11. p. 328
Mons Garganus l. 1. c. 6. pag. 58
Mortuus quatriduanus P. Julius l. 2. c. 7. p. 181
Mauri expectant Regem Franciæ l. 1. c. 9. p. 89
Murmuratio l. 2. c. 6. pag. 174 cap. 7. pag. 180. l. 3. cap. 15. pag. 377
Morosinus Bailus lib. 1. cap. 10. pag. 95
Mors Patris Julii l. 1. c. 12. toto.
Mortes repentinæ &c. l. 1. cap. 2. pag. 8
Mortificationes l. 1. cap. 3. p. 20 l. 2. cap. 5. pag. 159
Mugitus in orando l. 2. c. 8. p. 199
Mutius Vitelleschus l. 3. cap. 14. pag. 253. cap. 15. pag. 372
Margaritæ l. 3. c. 9. pag. 320
Mulieres perversæ l. 2. c. 2. p. 11
Morbus, infirmi l. 3. c. 1. pag. 236 l. 1. c. 2. pag. 8. l. 2. c. 1. p. 125
Mancipia l. 1. c. 9. pag. 77

N.

Neapolis l. 1. c. 12. p. 116. & sæpius.
Nativitas l. 1. c. 1. p. 1.
Nicolaus Bernardus lib. 3. cap. 11. pag. 328
Nicolaus Lancitius l. 1. c. 4. p. 33
Nomen Jesu l. 1. c. 6. p. 56
Novitius l. 2. c. 4. pag. 156
Navtæ l. 1, c. 6. p. 53.

O.

Obedientia lib. 2. cap. 4. toto' pag. 151
Occasio l. 3. c. 7. pag. 296
Odor varius l. 1. c. 12. pag. 113
Odor præsentiæ divinæ l. 3. c. 6. pag. 277
Odor Virginitatis lib. 3. cap. 3. pag. 264
Oliverius Manaræus l. 1. c. 2. p. 16
Oratio l. 1. c. 3. p. 22.
Oratio per manum Angeli lib. 3. c. 7. p. 294
Oratio l. 3. c. 1. p. 248
Tormentum Dæmoniorum l. 2. c. 3. toto.
Oratio l. 2. c. 11. pag. 223
Oratio contra sterilitatem lib. 3. c. 1. pag. 253
Organum l. 2. c. 8. p. 192
Os. l. 2. c. 3. pag. 150.

Otium

INDEX.

Otium, otiosi l. 1. c. 4. p. 35
Obsessi l. 1. cap. 9. pag. 78
l. 2. c. 3. pag. 147

P.

Pax justorum l. 2. cap. 11. pag. 215
Pater Julii excandescit lib. 1. cap. 3. pæg. 21
Panis l. 2. cap. 1. pag. 123
Paulus Spinellus l. 3. c. 1. p. 246
Paradisus l. 3. c. 9. p. 306. 307
Partes mundi l. 1. c. 11. p. 208
Patriarcha l. 1. c. 9. pag. 80
Peccata occulta l. 3. c. 3. p. 264
Peccatum mortale l. 2. c. 2. p. 138
Putet l. 2. cap. 9. pag. 203
Peccatores l. 2. c. 11. pag. 224
Peregrinationes l. 1. c. 6. p. 50. seq.
Pœna purg. l. 3. c. 2. p. 254
Pericula evitata l. 1. cap. 11. pag. 96. seq.
Perseverantia l. 3. c. 7. pag. 292
Pater Pica l. 3. cap. 1. pag. 247
Pedes Crucifixi l. 3. c. 6. p. 286
S. Petrus Apost. l. 3. c. 9. p. 303
Petrus Ant. Spinellus lib. 3. cap. 10. pag. 321
Petrus Cartolanus l. 3. c. 2. p. 262
Petrus Faber l. 2. c. 2. pag. 139
Pithagoras l. 2. cap. 8. p. 186
Poësis inter orandum lib. 2. cap. 8. pag. 193
Polonia l. 1. c. 12. &c. pag. 116
Populi barbari l. 1. c. 8. pag. 72
Portia Caraccioli l. 3. c. 11. pag. 331
Pauperes l. 2. c. 1.
Paupertas extrema l. 1. cap. 8. p. 74
Prædicatio l. 1. cap. 5. pag. 41. & seq.
Prædictiones lib. 3. cap. 1. l. 2. cap. 1. quasi totis.
Præsentia Dei l. 2. cap. 11. p. 217
Princeps Bisignanus l. 3. c. 2. p. 262
S. Priscilla l. 3. c. 9. pag. 308
Provincialatus lib. 1. cap. 4. pag. 36 l. 2. pag. 178
Pusillanimitas lib. 2. cap. 7. vide Humilitas.
Peste infecti lib. 1. cap. 5. lib. 2. cap. 1. pag. 123
Puella illusa l. 2. c. 3. pag. 144
Pthysicus l. 2. c. 7. pag. 183
Patruus Julii l. 1. c. 3. pag. 22

R.

Ragusa l. 1. c. 8. pag. 71
Regulæ l. 2. cap. 4. pag. 152
Religiosi l. 3. cap. 15. pag. 372
Religiosa vocatio l. 1. cap. 2. pag. 6 & seq.
Religiosi mali exempli lib. 1. c. 2. pag. 14
Religiosi tentati l. 2. cap. 4. p. 155
Reliquiæ Patris Julii l. 3. c. 15. p. 367 seq.

Replica-

INDEX.

Replicatio corporis lib. 3. cap. 1. pag. 246
Remedia l. 2. c. 6. pag. 172
Renegati l. 1. c. 10. pag. 90
Reſponſa l. 2. c. 7. pag. 181
Revelationes, viſiones l. 3. p. 236 l. 3. c. 2. l. 3. c. 5.
Reverentia l. 1. c. 1. pag. 4
Ruptura l. 2. c. 6. pag. 169
Rubini &c. lib. 2. c. 10. lib. 3. cap. 9. pag. 310
Rivulus l. 3. c. 10. pag. 313

S.

Sacramentum Corporis Chriſti l. 2. c. 10. pag. 206. toto.
Sanitas miraculoſa lib. 3. cap. 1. toto.
Sanctus, nomen conſuetum lib. 3. cap. 15. pag. 362. toto.
Scala ruinæ proxima lib. 3. cap. 3. pag. 265
Scripta charta l. 3. c. 15. pag. 369
Scripturam legit l. 1. c. 1. pag. 2
Schola &c. l. 1. c. 4. quaſi toto.
P. Sebaſtianus Romei l. 3. c. 10. pag. 318
Sella rapta cum ipſo lib. 3. cap. 4. pag. 272
Signa reverentiæ lib. 3. cap. 15. pag. 366
Secreta cordis lib. 3. cap. 3. l. 1. cap. 12. pag. 110
Simplicitas l. 2. c. 11. p. 254
Sepulcrum P. Julii lib. 3. cap. 15. pag. 365
Serpens ex hoſtia l. 2. c. 3. p. 145
Servum inutilem ſe vocat lib. 2. cap. 7. pag. 181
Septem ſervi Dei & ipſe unus eorum l. 3. c. 15. pag. 379
Silentium l. 2. c. 7. pag. 184
Silvia Caraffa l. 3. c. 11. p. 327
Synodus convocata lib. 1. cap. 9. pag. 79
Sixtus V. l. 3. c. 12. p. 333
Surditas P. Julii l. 2. c. 5. p. 163
Subſcriptiones ejus lib. 3. cap. 1. pag. 244
Spes certa multorum l. 3. cap. 15. pag. 368. ſeq.
Spiritus Sanctus lib. 1. c. 1. l. 2. cap. 10. p. 211
Spiritus internus l. 2. c. 9. p. 204
Stephanus Albanenſis lib. 3. c. 2. pag. 259
Steriles fæcundæ l. 3. c. 1. p. 251
Stratagema l. 1. c. 5. pag. 41
Studia Julii l. 1. c. 1. pag. 5
Sonus tympani l. 1. c. 6. p. 53
Sonus campanularum lib. 2. c. 4. pag. 152

Superio-

Superioratus l. 2. c. 7. pag. 178
Superiores l. 2. c. 11. pag. 228
Superior indiscretus lib. 3. cap. 9. pag. 304
Socii P. Julii l. 2. c. 7. pag. 68
Societas Jesu l. 1. c. 10. pag. 97
Sermones pii lib. 2. c. 10. p. 212
Senes l. 2. c. 5. pag. 159
Societatis desertores lib. 2. cap. 4. pag. 155

T.

Talentum concionandi l. 1. c. 6. pag. 51
Tactus ejus sanat lib. 3. cap. 1. pag. 243. pag. 267
Tentationes sæpius lib. 1. cap. 3. lib. 2. cap. 11. lib. 2. cap. 2. lib. 2. cap. 9. lib. 3. cap. 3.
Theodorus Sanseverinus lib. 3. cap. 11. pag. 327
Terra ferax piscium & grani l. 1. cap. 8. pag. 75
Testimonium virtutis lib. 3. c. 15. pag. 376
Timor deserendi religionem l. 2. cap. 4. pag. 154
Tolerantia injuriarum l. 2. c. 11. pag. 226
Translatio Corp. S. Ign. l. 3 c. 10. pag. 313
Tribulatio, tribulatus lib. 3. c. 4. pag. 270
Turcæ lib. 1. cap. 9. &c. sæpius.
Testimonia renegatis l. 1. c. 10. pag. 96

V.

Valerius Fronto l. 3. c. 2. pag. 260
Vidua lib. 1. c. 5. pag. 42
Vindicta l. 2. c. 2. pag. 140
Veneratio l. 3. c. 9 pag. 303
Virgo sanctissima lib. 2. c. 2. l. 1. cap. 12. sæpius. lib. 3. cap. 7. lib. 1. cap. 10.
Virginitas ex odore lib. 3. cap. 3. lib. 2. cap. 2.
Vestes P. Julii l. 3. c. 15. pag. 363
Vgulinus Prælatus lib. 3. cap. 11. pag. 331
Via Venetiarum l. 1. c. 3. pag. 18
Vice-Rex Neap. lib. 3. cap. 13. pag. 543
Vice-Regina l. 3. c. 13. pag. 543
Villæ l. 1. c. 8. pag. 71
Vincentius Bellmons lib. 3. c. 14. pag. 354
Vincentius Brunus lib. 3. c. 10. pag. 317
Vincentius Caraffa lib. 3. cap. 3. cap. 14. pag. 353

INDEX.

Vincentius de Guevarra l. 3. c. 11. pag. 329
Vipera l. 1. c. 3. pag. 18
Virgilius Ceparius lib. 2. c. 10. pag. 209
Visio lib. 1. cap. 2. lib. 3. cap. 5. c. 6. passim.
Visus P. Julii lib. 3. cap. 6. lib. 3. cap. 3. sæpius.
Vita solitaria lib. 3. proœm. l. 1. c. 2. pag. 10
Vita P. Julii ab ipso scripta, & lacerata lib. 3. proœm. lib. 3. cap. 15.
Victoria navalis lib. 3. cap. 13. pag. 340
Victoria Toscana pag. 346
Victoria Tolfa lib. 3. cap. 14. pag 355
Vivi nondum nati lib. 2. cap. 11. pag. 231
Vnio cum Deo lib. 3. cap. 6. pag. 288
Vocatio ad Indos lib. 1. cap. 8. pag. 79
Vox de cœlo lib. 3. c. 8. p. 301
Velle & nolle l. 2. c. 4. pag. 151
Voluntas Dei lib. 2. cap. 11. pag. 213. seq.
Vultus Patris Julii lib. 1. cap. 7. pag. 66.
Vota lib. 1. c. 3. pag. 21
Vrbanus Capitaneus reneg. l. 1. c. 10. pag. 91. seq.
Venatus, Venatio peccatorum l. 1. c. 5. pag. 41. seq.
Valcassar Consiliarius lib. 3. c. 1. pag. 247
Vulnera Christi lib. 2. cap. 11. pag. 222

Indicem hunc locupletare magnopere poterunt & marginalia per decursum vitæ adjecta, & Index Capitum in principio.

Menda

MENDA EMENDA.

Lib. 1. cap. 2. Bachanalia l. Bacchanalia. l. 1. c. 4. pag. 34. Exemplo l. exemplo. l. 1. cap. 6. pag. 58. dereniret l. deveniret. ibid. agyntharum l. agyrtharum. ſudere l. ſudore. lib. 1. cap. 8. pag. 71. caſnaccivæ l. caſnacinæ. lib. 1. cap. 8. pag. 74. oſtnea l. oſtrea. lib. 1. cap. 8. pag. 75. fuudus l. fundus. l. 1. pag. 93. nonum l. decimum. l. 1. cap. 10. pag. 93. liberas l. literas. l. 1. c. 11. pag. 101. Vienna l. Viennæ. l. 1. cap. 12. pag. 118. foris l. fors. ibid. ſcripturas literas l. ſcripturas & literas. l. 1. pag. 113. undecimum l. duodecimum. lib. 2. cap. 1. pag. 122. ſtipite l. ſtipe. l. 2. cap. 1. pag. 125. memoriæ l. memoria. l. 2. cap. 4. pag. 154. invitandæ l. evitandæ. l. 2. c. 7. pag. 185. mulus l. mutus. l. 3. cap. 1. pag. 253. mirns l. mirus. l. 3. cap. 2. pag. 262. cartolano l. cartolaro. l. 3. cap. 4. pag. 270. mirábiliter l. mirabile. l. 3. c. 9. pag. 305. valdæ l. valdè. lib. 3. cap. 11. pag. 327. ritù l. ritè. lib. 3. cap. 12. pag. 337. ſiniſalci l. ſiniſcalci adde magni regni Dapiferi. l. 3. c. 14. p. 353. ſubjectam l. ſubnectam. l. 3. cap. 14. pag. 356. Taleniis l. talentis. lib. 3. cap. 15. pag. 272. l. 372. In Proteſtatione quoque modo l. quoquomodo.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VITAE P
IULII
MANCINELLI

Th
2413